326799

Gde BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE
LYON
* 1895 *

HIBERNIA ANTIQVA



HIBERNIA.

Dives Lactis ac Mellis Inſula,
Cervorum venatu inſignis.

Ven. Bed. Eccleſ. Hiſt. Lib. 1. Cap. 1.

JACOBI WARÆI

Equitis Aurati 326799

DE

HIBERNIA

& Antiquitatibus ejus,

DISQUISITIONES.

EDITIO SECUNDA,

Emendatior

& quarta parte auctior.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON *1895*

Acceſſerunt

RERUM HIBERNICARUM

Regnante *Henrico VII*,

ANNALES.

Nunc primum in lucem editi.

LONDINI,

Typis E. TYLER, Impenſis JO. CROOK,

ſub Signo *Navis*, in cœmeterio S. *Pauli.*

MDCLVIII.

Editionis Primæ

PRÆFATIO.

Habes, Lector, Diſquiſitiones haſce, eo fine editas, ut vel bono rei literariæ ſerviant, vel ſaltem alios, melioribus auſpiciis, certiora ex Antiquitatis tenebris eruere incitent. Perexiguam ſupereſſe notitiam rerum in Hibernia geſtarum, ante exortam ibi Euangelii auroram, liquidò conſtat. Neq; me latet, à viris nonnullis doctis, pleraque quæ de antiquioribus illis temporibus, ante adventum S. Patricii in Hiberniam, à ſcriptoribus traduntur, tanquàm figmenta eſſe exploſa. Notandum quidem deſcriptio-

nes fermè omnium quæ de illis temporibus (vetuſtioribus dico) extant, opera eſſe poſteriorũ ſeculorum: Idcircò in hac indagine, de iis, admodùm parcè loquutus ſum, nec uſquàm, niſi ubi rem æquâ (ut potui) lance, penſitavi. In aliis etiam, ad recentiora tempora ſpectantibus, interdum coactus ſum, (fateor) veritatis ſtudio, vel à viro aliquo erudito, vel à recepta opinione, diſſentire; ſed in utroque caſu, redditâ plerùmque ratione. Veruntamen, ſi in hoc tam diſſitæ veritatis ſcrutinio ſæpiùs erraverim, haud mirum. Ardua res eſt (*ait Plinius*) vetuſtis novitatem dare, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, dubiis fidem. *Et è Senatu doctorũ quis idẽ non fatebitur?*

*fatebitur? Porrò, ut non negan-
dũ multa hîc aptiùs diſponi potu-
iſſe, ſi id tanti mihi viſũ fuiſſet, ita
fatendum non pauca etiã addi po-
tuiſſe, ex parte eâ ſchedarũ mea-
rum, quæ ad manũ non fuit, dum
hæc molirer, licèt hunc defectum
partim ſuppleverint amicorum
meorum Bibliothecæ, Londini
& Weſtmonaſterii. Utcùnq; in
his quæ nunc offero, præter ea quæ
à viris in hoc eruditionis genere
verſatiſſimis, ante me ſunt obſer-
vata, multa etiã hactenùs latẽtia,
et ſcitu fortaſſè non indigna, inve-
nies patefacta, commentis quibus
ſcatent ſcripta nonnullorum, tùm
veterum tùm recentiorum, de Hi-
bernia agẽtium, vel conſultò præ-
termiſſis, vel, quantum potui (è*

denſis vetuſtatis tenebris) detectis; at ſine aliquâ moroſitate, ut ex iis quæ poſteà dicturus ſum, (ſpero) liquebit. Veruntamen tum ob rerum ipſarum obſcuritatem, tum opinionum varietatem, ſæpè non auſus ſum, fateor, quicquam certò ſtatuere, ſed coactus multa, vel conjecturis venari & explicare, vel pleniori aliorum indagini relinquere: quanquàm non negem conjecturas, ad magnam politioris literaturæ partem e[illegible] ceſſarias. Nec dubit[illegible] ta veterum ex con[illegible] feliciter illuſtr[illegible] ter ea quæ à vi[illegible] ſunt expl cat[illegible] atque [illegible] commo[illegible]

Sed ne longè progrediar; Ex hoc quocunq; labore, ſi utilitatem aliquam percipias, me operæ non pœnitebit, imò horas ſucciſivas ità impenſas, me benè collocâſſe exiſtimabo. Vale. Londini, IV Nonas Maias, MDCLIV.

Editionis Secundæ
Anſa & Inſtitutum.

Prioris Editionis (quam ante annos jam IV in lucem emiſi) [illegible] Præfatio pri- [illegible] pus nuper nactus [illegible] lum in Hibernia [illegible] dicibus meis [illegible] gi, quæ in [illegible] ſſe vide- [illegible] anè, cum [illegible] palam, di- [illegible]

venditis prioris editionis exemplaribus, novam moliri accepiſſem, anſam arripui non ſolùm Editionem primam recognoſcendi, ſed multa etiam prætermiſſa interſerendi, ac cæteris poſtremò quatuor integra capitula adjiciendi. In primo, de Baſilicis agitur, ſive Eccleſiis cathedralibus Hiberniæ, ubi id nunc Baſilicis, quod anteà Cœnobiis præſtiti. In ſecundo, de priſcorum Hibernorum Servis, ſive Mancipiis, Deque illorum Villanis, *ſive* Nativis, *vel* Betagiis, *fundo quem colebant adſcriptis. In tertio, de priſcis, apud Hibernos, Probationum ſive Purgationum generibus, poſt converſionem Gentis ad fidem Chriſtianam.*

Ac

Ac in quarto denique, de veterum Hibernorum & Oſtmannorum in Hibernia Funeribus, Sepulturis & Cryptis ſubterraneis.

Atque, de ſecunda hac Editione, iſta ſunt quæ dicenda habui. Londini, IX Kalendas Julias, Anno Dom. MDCLVIII.

Syllabus Capitum.

CAP. I.

De variis nominibus quibus Hibernia veteribus innotuit : Deque Hiberniæ Etymo. Pag.1.

CAP. II.

De Hibernorum Origine : Deque linguâ Hibernorum veterum; an eadem fuerit cum Britannicâ. p.7.

CAP. III.

De Hiberniæ Diviſione & Dimenſione : ubi nonnulla etiam de Situ ejus. p.13.

CAP. IV.

De Forma Imperii apud veteres Hibernos: Deque Succeſſione & ſerie Regum Hiberniæ, ab anno Chriſti CCCCXXVIII, ad annum uſque MCLXXI, quo Inſula Anglici Juris facta eſt. p.16.

CAP. V.

De Druidibus eorúmque ſuperſtitionibus; Ubi obiter nonnulla de Diis, quos olim Hiberni, dum Ethnici, maximè colebant : Deque Bardis antiquis. p.30.

CAP. VI.

De variis nominibus quibus veteres Hiberni Externos appellârunt, præſertim vicinos. p.35.

CAP. VII.

De Hiberniæ Ornamentis, Commodis & Privilegiis quibuſdam ſpecialibus. p.38.

CAP.

CAP. VIII.

De Taniſtria, Lege Brehonica & Conſuetudinibus dictis Goſſipred, Foſtering, & Gavelkind. p. 40.

CAP. IX.

De Hibernorum veterum Cognominibus; Et quandò Cognomina cœperint eſſe fixa & Familiis annexa. p. 44.

CAP. X.

Hiberniæ Antiquæ Populi & Loca, de quibus fit mentio apud Ptolemæum, qui floruit ſub Antonino Pio, unà cum adjunctis nominibus recentioribus. p. 46.

CAP. XI.

De Hibernorum veterum Veſtitu & Ornatu. p. 60.

CAP. XII.

De priſcis Equitibus & Peditibus Hibernicis: Sed potiſſimùm de iis qui fuerunt mediorum temporum: Deque eorum Armis & Clamore Militari. p. 63.

CAP. XIII.

De priſcis Exactionibus Hibernicis, dictis Bonaght, Sorohen, Coſhery, Cuddy, Shragh & Mart. *Deque tributis ab Anglis introductis, vice* Bonaghti, *vocatis* Coyn & Livery. p. 68.

CAP. XIV.

De Mirabilibus nonnullis Hiberniæ: Deque aliis adſcriptitiis. p. 71.

CAP. XV.

De Academiis ſive Scholis inſignioribus Hiberniæ: Deque aliis, apud exteras nationes, Hibernorum operâ excultis. p. 74.

CAP. XVI.

De Antiqua Diſpoſitione Epiſcopatuū Hiberniæ. p. 83.

CAP.

CAP. XVII.

De Corbis *ſive* Corbanis, Erenachis, Scribis, Colideis & Anachoretis *Hiberniæ: Deque Igne dicto inextinguibili, à Monialibus cœnobii S. Brigidæ Kildaræ, olim cuſtodito.* p.91.

CAP. XVIII.

De veterum Hibernorum Navigiis quibuſdam coriis obtectis. p.98.

CAP. XIX.

De More antiquo creandi Milites, apud Hibernos. p.101.

CAP. XX.

In quo oſtenditur Hiberniam in Romanorum poteſtatem nunquàm conceſſiſſe. p.103.

CAP. XXI.

De Cormaco Culinani filio Rege ſimul & Epiſcopo Caſſelienſi: ubi obiter de aliis qui Reges fuerunt ſimul & Pontifices, vel Sacerdotes: Deque miro more tonſuræ ab Ædo, dicto Clerico Barboſo, *introducto.* p.105.

CAP. XXII.

De Hibernorum veterum Domiciliis & Ædificiis: Deque eorum Victu, Conviviis & Muſicis Inſtrumentis. p.110.

CAP. XXIII.

De Erroribus nonnullis & figmentis veterum aliquorum Scriptorum, de Hibernia agentium: Deque aliis Scriptorum mediorum temporum. p.116.

CAP. XXIV.

De Oſtmannis, *ſive Danis & Norwegis; Deque eorum Rebus geſtis in Hibernia, ab anno Chriſti 795, uſque ad Anglorum ingreſſum, ſub Henrico ſecundo, ſcil. per quatuor fermè centurias annorum.* p.120.

CAP.

Editionis Primæ

PRÆFATIO.

Habes, Lector, Diſquiſitiones haſce, eo fine editas, ut vel bono rei litterariæ ſerviant, vel ſaltem alios, melioribus auſpiciis, certiora ex Antiquitatis tenebris eruere incitent. Perexiguam ſupereſſe notitiam rerum in Hibernia geſtarum, ante exortam ibi Euangelii auroram, liquidò conſtat. Neq; me latet, à viris nonnullis doctis, pleraque quæ de antiquioribus illis temporibus, ante adventum S. Patricii in Hiberniam, à ſcriptoribus traduntur, tanquàm figmenta eſſe exploſa. Notandum quidem deſcriptio-

 nes

nes fermè omnium quæ de illis temporibus (vetuſtioribus dico) extant, opera eſſe poſteriorū ſeculorum: Idcircò in hac indagine, de iis, admodùm parcè loquutus ſum, nec uſquàm, niſi ubi rem æquâ (ut potui) lance, penſitavi. In aliis etiam, ad recentiora tempora ſpectantibus, interdum coactus ſum; (fateor) veritatis ſtudio, vel à viro aliquo erudito, vel à recepta opinione, diſſentire; ſed in utroque caſu, redditâ plerùmque ratione. Veruntamen, ſi in hoc tam diſſitæ veritatis ſcrutinio ſæpiùs erraverim, haud mirum. Ardua res eſt (*ait Plinius*) vetuſtis novitatem dare, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, dubiis fidem. *Et è Senatu doctorū quis idē non fatebitur?*

*fatebitur? Porrò, ut non negan-
dū multa hîc aptiùs diſponi potu-
iſſe, ſi id tanti mihi viſū fuiſſet, ita
fatendum non pauca etiā addi po-
tuiſſe, ex parte eâ ſchedarū mea-
rum, quæ ad manū non fuit, dum
hæc molirer, licèt hunc defectum
partim ſuppleverint amicorum
meorum Bibliothecæ, Londini
& Weſtmonaſterii. Utcùnq; in
his quæ nunc offero, præter ea quæ
à viris in hoc eruditionis genere
verſatiſſimis, ante me ſunt obſer-
vata, multa etiā hactenùs latētia,
et ſcitu fortaſſè non indigna, inve-
nies patefacta, commentis quibus
ſcatent ſcripta nonnullorum, tùm
veterum tùm recentiorum, de Hi-
bernia agētium, vel conſultò præ-
termiſſis, vel, quantum potui (è*

denſis vetuſtatis tenebris) dete-ctis; at ſine aliquâ moroſitate, ut ex iis quæ poſteà dicturus ſum, (ſpero) liquebit. Veruntamen tum ob rerum ipſarum obſcuritatem, tum opinionum varietatem, ſæpè non auſus ſum, fateor, quicquam certò ſtatuere, ſed coactus multa, vel conjecturis venari & explica-re, vel pleniori aliorum indagi-ni relinquere: quanquàm non ne-gem conjecturas, ad magnam po-litioris literaturæ partem eſſe ne-ceſſarias. Nec dubito quin mul-ta veterum ex conjecturis adhuc feliciter illuſtrari poßint, præter ea quæ à viris doctis antehac ſunt explicata, magno rei literariæ, atque adeò humanæ cognitionis commodo.

Sed

Sed ne longè progrediar; Ex hoc quocunq; labore, ſi utilitatem aliquam percipias, me operæ non pœnitebit, imò horas ſucciſivas ità impenſas, me benè collocâſſe exiſtimabo. Vale. Londini, IV Nonas Maias, MDCLIV.

Editionis Secundæ

Anſa & Inſtitutum.

Prioris Editionis (quam ante annos jam IV in lucem emiſi) Conſilium indicat Præfatio prior. Cæterùm tempus nuper nactus opportunum, dum in Hibernia eſſem, à ſchedis & codicibus meis MSS. non pauca ſelegi, quæ in jam dicta editione deeſſe videbantur. Atque hinc ſanè, cùm in Anglia poſteà Bibliopolam, di-

vendi-

venditis prioris editionis exemplaribus, novam moliri accepiſſem, anſam arripui non ſolùm Editionem primam recognoſcendi, ſed multa etiam prætermiſſa interſerendi, ac cæteris poſtremò quatuor integra capitula adjiciendi. In primo, de Baſilicis agitur, ſive Eccleſiis cathedralibus Hiberniæ, ubi id nunc Baſilicis, quod anteà Cœnobiis præſtiti. In ſecundo, de priſcorum Hibernorum Servis, ſive Mancipiis, Deque illorum Villanis, *ſive* Nativis, *vel* Betagiis. *fundo quem colebant adſcriptis. In tertio, de priſcis, apud Hibernos, Probationum ſive Purgationum generibus, poſt converſionem Gentis ad fidem Chriſtianam.*

Ac in quarto denique, de veterum Hibernorum & Oſtmannorum in Hibernia Funeribus, Sepulturis & Cryptis ſubterraneis.

Atque, de ſecunda hac Editione, iſta ſunt quæ dicenda habui. Londini, IX Kalendas Julias, Anno Dom. MDCLVIII.

Syllabus Capitum.

CAP. I.

De variis nominibus quibus Hibernia veteribus innotuit: Deque Hiberniæ Etymo. Pag. 1.

CAP. II.

De Hibernorum Origine: Deque linguâ Hibernorum veterum; an eadem fuerit cum Britannicâ. p. 7.

CAP. III.

De Hiberniæ Diviſione & Dimenſione: ubi nonnulla etiam de Situ ejus. p. 13.

CAP. IV.

De Forma Imperii apud veteres Hibernos: Deque Succeſſione & ſerie Regum Hiberniæ, ab anno Christi CCCCXXVIII, ad annum uſque MCLXXI, quo Inſula Anglici Juris facta eſt. p. 16.

CAP. V.

De Druidibus eorúmque ſuperſtitionibus; Ubi obiter nonnulla de Diis, quos olim Hiberni, dum Ethnici, maximè colebant: Deque Bardis antiquis. p. 30.

CAP. VI.

De variis nominibus quibus veteres Hiberni Externos appellârunt, præſertim vicinos. p. 35.

CAP. VII.

De Hiberniæ Ornamentis, Commodis & Privilegiis quibuſdam ſpecialibus. p. 38.

CAP.

CAP. VIII.

De Taniſtria, Lege Brehonica & Conſuetudinibus dictis Goſſipred, Foſtering, *&* Gavelkind. p.40.

CAP. IX.

De Hibernorum veterum Cognominibus; Et quandò Cognomina cœperint eſſe fixa & Familiis annexa. p.44.

CAP. X.

Hiberniæ Antiquæ Populi & Loca, de quibus fit mentio apud Ptolemæum, qui floruit ſub Antonino Pio, unà cum adjunctis nominibus recentioribus. p.46.

CAP. XI.

De Hibernorum veterum Veſtitu & Ornatu. p.60.

CAP. XII.

De priſcis Equitibus & Peditibus Hibernicis: Sed potiſſimùm de iis qui fuerunt mediorum temporum: Deque eorum Armis & Clamore Militari. p.63.

CAP. XIII.

De priſcis Exactionibus Hibernicis, dictis Bonaght, Sorohen, Coſhery, Cuddy, Shragh & Mart. *Deque tributis ab Anglis introductis, vice* Bonaghti, *vocatis* **Coyn** & **Livery**. p.68.

CAP. XIV.

De Mirabilibus nonnullis Hiberniæ: Deque aliis adſcriptitiis. p.71.

CAP. XV.

De Academiis ſive Scholis inſignioribus Hiberniæ: Deque aliis, apud exteras nationes, Hibernorum operâ excultis. p.74.

CAP. XVI.

De Antiqua Diſpoſitione Epiſcopatuũ Hiberniæ. p.83.

CAP.

CAP. XVII.

De Corbis *ſive* Corbanis, Erenachis, Scribis, Colideis & Anachoretis *Hiberniæ: Deque Igne dicto inextinguibili, à Monialibus cœnobii S. Brigidæ Kildaræ, olim cuſtodito.* p.91.

CAP. XVIII.

De veterum Hibernorum Navigiis quibuſdam coriis obtectis. p.98.

CAP. XIX.

De More antiquo creandi Milites, apud Hibernos. p.101.

CAP. XX.

In quo oſtenditur Hiberniam in Romanorum poteſtatem nunquàm conceſſiſſe. p.103.

CAP. XXI.

De Cormaco Culinani filio Rege ſimul & Epiſcopo Caſſelienſi: ubi obiter de aliis qui Reges fuerunt ſimul & Pontifices, vel Sacerdotes: Deque miro more tonſuræ ab Ædo, dicto Clerico Barboſo, *introducto.* p.105.

CAP. XXII.

De Hibernorum veterum Domiciliis & Ædificiis: Deque eorum Victu, Conviviis & Muſicis Inſtrumentis. p.110.

CAP. XXIII.

De Erroribus nonnullis & figmentis veterum aliquorum Scriptorum, de Hibernia agentium: Deque aliis Scriptorum mediorum temporum. p.116.

CAP. XXIV.

De Oſtmannis, *ſive Danis & Norwegis; Deque eorum Rebus geſtis in Hibernia, ab anno Chriſti 795, uſque ad Anglorum ingreſſum, ſub Henrico ſecundo, ſcil. per quatuor fermè centurias annorum.* p.120.

CAP. XXV.

De Re Nummaria, ſive de Nummis Hiberniæ antiquis, cùm ante adventum Anglorum, ſub Henrico II, tùm poſteà, uſque ad Henrici VII tempora. p.150.

CAP. XXVI.

Monaſteriologia Hibernica, ſive Diatriba de Hiberniæ Cœnobiis, in qua Origines eorum & aliæ Antiquitates aperiuntur. p.165.

CAP. XXVII.

De Coloniis ex Anglia & Wallia in Hiberniam emiſſis, tempore Henrici Secundi: Deque terris iis conceſſis. p.268.

CAP. XXVIII.

De Inſulis minoribus quæ per mare Hibernicum ſparguntur. p.282.

CAP. XXIX.

Diatriba de Baſilicis, ſive Eccleſiis Cathedralibus Hiberniæ; in quâ, Origines earum & aliæ Antiquitates aperiuntur. p.290.

CAP. XXX.

De Hibernorum veterum Servis, ſive Mancipiis, Deque Villanis, Nativis, *ſive* Betagiis, *fundo quem colebant adſcriptis.* p. 341.

CAP. XXXI.

De priſcis, apud Hibernos, Probationum ſive Purgationum generibus, poſt Gentis converſionem ad fidem Chriſtianam. p.345.

CAP. XXXII.

De Hibernorum veterum & Oſtmannorum in Hibernia Funeribus, Sepulturis & Cryptis ſubterraneis. p.348.

DE

DE HIBERNIA, ET Antiquitatibus ejus, DISQUISITIONES.

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1895

CAP. I.

De variis nominibus quibus Hibernia veteribus innotuit : Deque Hiberniæ Etymo.

HÆc Inſula, variis coloniis, è Britannia, Scythia, Iberia, Germania & Gallia deductis, olim habitata, duobus potiſſimùm nominibus Veteribus innotuit, Hiberniæ ſcil. ſive Iberniæ, & Scotiæ. Hibernia (ita vocant Cæſar, Plinius, Solinus, Tacitus, Oroſius, alii) Regio totius Europæ ad Occaſum remotiſſima, derivatur vel à voce *Hiar*, quæ apud Hibernos, Occaſum, ſive plagam Occidentalem ſignificat, uti conjicit Camdenus, vel

ab Iberis, qui hîc olim habitabant: unde fortaſſe & ipſa Inſula, in Antonini Itinerario, *Hiberione* appellatur, & in Epiſtola S. Patricii ad Ceroticum, bis, *Hiberione*, ſemel, *Hiberia*. Ex alterutro fonte emanare videntur Ie͏̈rne, Hierna, Juverna, Iris, Bernia, Overnia, & vox Hibernica, *Eri*: His enim nominibus Hibernia olim etiam vocabatur. Ab *Eri*, Hibernus Erigena dicitur, & ita olim Johannes Scotus, Scriptor antiquus ſeculi noni, Erigena vulgò appellabatur. Sunt qui ab Ebero Hiſpano, uno è Mileſii filiis, alii, qui ab Herimone Eberi fratre ducant. Sed viri ſanioris judicii has ſententias rejecerunt, non minùs quam iſtas aliorum, vel ab Irnalpho duce Hiſpanico, vel ab aquis, hyberno tempore, ibi conglacientibus, vel ab Ibero Hiſpaniæ fluvio, vel ab Iëra Regina, vel à *Jurin*, (i.) *Judæorum terra*, deducentium. Neque hîc prætermittenda eſt Samuelis Bocharti Cadomenſis conjectura, qui Geographiæ ſacræ, *lib*. 1. *cap*. 39, Hiberniam Phœnicibus, navigationibus, in oras remotiſſimas, olim clariſſimis, non fuiſſe ignotam, ex nomine conjicit, *quod planè*, ait, *videtur fuiſſe Phœnicium, Hibernia enim nonnullis Ie͏̈rna*, &c. *Nihil aliud eſt quàm* Ibernae, *Ultima habitatio, quia ultra Hiberniam, verſus Occaſum, veteres nihil noverant, præter vaſtum mare*. Ita ille ibi. Sed (ut quod ſentio dicam) inter has omnes, quæ de Hiberniæ nomine invaluerunt, divinationes, mihi arridet opinio Iſidori & aliorum ab Iberia deducentium, tum ob fixas ibi quaſdam Iberorum ſedes & colonias, de quibus poſteà ſuis locis, tum ob nominis affinitatem. Quò etiam ſpectaſſe videtur Johannes Lelandus, in cygnea cantione, cum Hibernos *Iberos* vocarit,

Fractos

Fractos undique pænitudo Iberos
Sylveſtres domuit, ſuave Legis
Ferre & perdocuit jugum Britannæ:
Quæ victoria comparanda magnis.

Sed de etymo, hæc eſt conjectura tantùm: Veram nominis rationem reddere quàm difficilimum exiſtimo, nihil igitur pro certo affirmo, quin potiùs rem totam in medio relinquo. Ab aliis hæc inſula Scotia (uti diximus) antiquitùs appellabatur; atq; ita nominata videtur à coloniis quibuſdã è Scythia deductis. Ita Radulphus de Diceto, in Imaginibus Hiſtoriarum, ad annum MCLXXXV, *E Regione* ait *quadam quæ dicitur Scythia, dicitur Scita, Sciticus, Scoticus, Scotus, Scotia.* Ex eo, idem ferè habet Thomas. Walſinghamius, in Hypodigmate Neuſtriæ. Et rectè Reinerus Reinectius, in Hiſtoriæ Juliæ prolegomenis, hodie Scytharum nomen in Scotis aſſerit eſſe reliquum. Scytharum nomen, apud antiquiſſimos ſcriptores, valdè generale fuiſſe docti nôrunt, ac Scythas Europæos, ſive Celto-Scythas colonias variis temporibus in Hiberniam miſiſſe, recepta eſt opinio ſolertiſſimorum Antiquitatum Hibernicarum indagatorum. De tempore adventus Scytharum in Hiberniam, ſic Nennius ſive Ninius Britannus, qui floruit anno Domini DCCCL, *Noviſſimè* (inquit) *venerunt Scoti à partibus Hiſpaniæ ad Hiberniam*, &c. *Noviſſimè venit Clan-Hector, & ibi habitavit cum omni gente ſua uſque hodiè. Nulla tamen certa Hiſtoria originis Scotorum reperitur. Si quis ſcire voluerit, quanto tempore fuit inhabitabilis & deſerta Hibernia, ſic mihi peritiſſimi Scotorum nunciaverunt, Scythæ in*

quarta ætate Mundi obtinuerunt Hiberniam. Is verò ſub initium libri, *quartam ætatem Mundi* computat *à Davide uſque ad Danielem*, ſive ad Perſicum Imperium. Item Henricus Huntindonienſis Hiſtor. lib. 1, *Britones*, ait ille, *in tertia Mundi ætate, in Britanniam, Scoti in quarta, venerunt in Hiberniam.* Propertius Getas Scythiæ populos, (quos non alios fuiſſe quàm qui poſteà Gothi dicti fuerunt, plerique tenent,) hîc ſedes fixiſſe innuit, *lib.*4, *eleg.*3.

Hibernique Getæ, pictoque Britannia curru.

Et quamvis Hibernia à Plinio, *lib.*4. *cap.* 16. & ab Apuleio, lib. de Mundo, inter Britannias numeretur, ac etiam à Ptolemæo, Britannia parva appelletur, & à Diodoro Siculo. lib. 6, cap. 9, pars Britanniæ, quaſi à Britannis olim occupata, liquidò tamen conſtare videtur Scythas etiam (ut de aliis hîc taceam) ibi habitâſſe, unde inquam, veriſimile eſt Inſulam eam, ab iis Scythiam primò nominatam, licèt poſteà corruptè Scotia diceretur. Sed, in hâc re, nihil definio. Fingunt nonnulli Scotiam eam nominatam à voce σκότος, quaſi obſcuritate fuerit involuta, alii à Scota Gaotheli uxore, filia Pharaonis Regis neſcio cujus, item linguam Hibernicam, à dicto Gaothelo (aliàs, Gaodelo) compoſitam fuiſſe, & *Gaolic*, vulgò *Gelic* dictam, quaſi ex cæteris linguis deſumptam. Sed à viris doctis exploſa ſunt iſta figmenta. Hibernos ipſos cum Scotis, à Britannis, *Guydhill* appellatos, docet Humfredus Lhuidus Cambro-Britannus, in Fragmento Britannicæ deſcriptionis. Iſidorus Hiſpalenſis Originum lib. 9. cap. 2. *Scotos* aſſerit *propria lingua nomen habere à picto corpore, eo quòd aculeis ferreis cum atramento, variarum figurarum*

rarum ſtigmata annotentur. Atqui inde Pictos non Scotos nomen traduxiſſe certum; & Iſidorus ipſe lib. 19, cap. 23, Pictos inde denominatos fatetur. Sunt denique qui *Gaelic* à Gothis emanâſſe volunt. Quære ſi non à Gallæcis Hiſpaniæ, vel à Gallis Veteribus. Venio jam ad Scriptorum teſtimonia Nennio vetuſtiorum, quibus vel Hibernia Scotiæ nomine innotuit, vel ejus incolæ nomine Scotorum. Nam recentiorum teſtimonia libens hîc prætermitto. Sic igitur Claudianus, qui ſub Honorio & Arcadio Impp. vixit, in Panegyrico de quarto Honorii Conſulatu.

------*Incaluit Pictorum ſanguine Thule,*
Scotorum cumulos flevit glacialis Ierne.

Et lib. 2, de laudibus Stilichonis,

-------*Totam cùm Scotus Iernen*
Movit, & infeſto ſpumavit remige Tethys.

Poſt eum, ita Paulus Oroſius, lib. 1, cap. 2, de Hibernia loquens, *Hæc propior*, ait, *Britanniæ, ſpatio terrarum anguſtior, ſed cœli ſoliſque temperie, magis utilis, à Scotorum Gentibus colitur.* Ei aſtipulantur Gildas, Cogitoſus, Beda, aliique è Veteribus. Sed Inſulam ipſam Scotiam olim dictam diſertè aſſerit ſupradictus Iſidorus, qui floruit anno Chriſti DCXXX, lib. 14 Originum, cap. 6, *Scotia* inquit, *eadem & Hibernia, proxima Britanniæ Inſula, ſpatio terrarum anguſtior, ſed ſitu fœcundior. Hæc ab Africo in Boream porrigitur, cujus partes priores Iberiam & Cantabricum Oceanum intendunt, unde & Ibernia dicta. Scotia autem, quòd à Scotorum gentibus colitur, appellata.* A Scotis his Hiberniæ, genuinos Albaniæ Scotos originem traxiſſe, ex Beda, Gir. Cambrenſi, Johanne Majore (Scoto) & aliis, liquidò

liquidò conſtat, ipſarúmque linguarum communitas evincit.

Ad alia jam venimus nomina, antiquitùs etiam Hiberniæ adſcripta. Homerus & Heſiodus in partibus his occiduis, Inſulas Fortunatas ſive Beatorum collocant. Sunt qui Hiberniam eandem eſſe aſſerunt cum Plutarchi Ogygia, quam ille ad Britanniæ occaſum ſtatuit, in libro de facie in Orbe Lunæ: Atqui hoc non patitur diſtantia Ogygiæ à Britannia, in Plutarcho memorata. Feſtus Avienus *Inſulam ſacram* appellat, in libello cui Titulus eſt, *Oræ Maritimæ*. Ibi enim poſtquàm de Oſtrimnidibus Inſulis egiſſet, quæ hodiè Silly dicuntur, de Hibernia ita canit,

Aſt hinc duobus in SACRAM, ſic inſulam
Dixère Priſci, ſolibus curſus rati eſt
Hæc inter undas multum ceſpitem jacet.
Eámque latè gens Hibernorum colit.
Propinqua rursùs inſula Albionum patet.

Neque deſunt qui Hiberniam, ab Hiſtoricis patriis, olim vocatam etiam volunt Inſulam Nemoroſam, Iniſalgam ſive Inſulam nobilem, Banuam, ſive Beatam, quamvis alii Banuam, & Fodlam (quo nomine etiam vocabatur) à Reginis neſcio quibus *Thuathededanorum* ita dictis, derivent: Item Inisfaliam, à fatali ſaxo, *Liafail* dicto, ibi olim magna cura aſſervato, Ethniciſmi temporibus. Alii denique *Culamuam* vocant, à qua voce (ut videtur) fluxit *Cualemalæc*; Nam linguam Hibernicam ſic olim dictam aſſerit Thaddæus Doulingus, in Collectaneis ſuis Hiſtoricis. Sed ad alia tranſeamus.

CAP.

CAP. II.

De Hibernorum Origine; Deque Lingua Hibernorum Veterum; An eadem fuerit cum Britannica.

DE Cæſaræ Noachi neptis adventu in Hiberniam, cum colonia, paulò ante Diluvium, apud Giraldum Barrium (Cambrenſem vulgò dictum) & alios Scriptores fit mentio. Anno itidem à Diluvio CCC, Bartholanum Seræ filium, de ſtirpe Japheti, devictis Gigantibus neſcio quibus, Inſulam ſubjugâſſe ſcribunt; ſed peſte poſteà cum ſuis, Ruano excepto, ſublatum: Inde Nemethum Scytham, cum quatuor filiis, ad tempus incoluiſſe ac poſteros ejus, à Gigantibus Fomoriis dictis, tandem ejectos, partim in Scythiam, partim in Græciam trajeciſſe, atque poſt 200 annos, quinque Delæ filios, Gandium, Genandium, Sangandium, Rutheraigum, & Slanium, è Nemethi progenie, colonias novas in Hiberniam traduxiſſe volunt, eamque poſtquàm expugnâſſent, inter ſe in quinque partes diviſiſſe. Slanium verò tandem Monarchiam obtinuiſſe. Hanc Coloniam Scythicam Hiberni *Ferbolg* vocant, unde corruptè, apud Camdenum, Hibernia *Tirvolac* vocatur. Addunt in poſteris ejus, & poſteà Nuadæ *Thuathededanorum* Regis, Monarchiam durâſſe, donec quatuor filii Mileſii Hiſpani, ſeculo XIV, ante Chriſtum natum, cum nova colonia & ſexaginta navium claſſe, in Hiberniam appulerunt, eámque, poſt prælia aliquot, cum incolis, ſubjugârunt. Duo eorum, *Iberus* ſcil. (ſeu *Hiberus*) & *Heremon* Regnum inter ſe diviſiſſe dicuntur, ac *Heremoni* Sect. 1.

moni ceſſiſſe partem Auſtralem, *Hibero* ſive Ebero Aquilonalem. Sed,

Nulla fides Regni ſociis.

Ortâ demùm inter fratres diſcordiâ, poſt varios conflictus, Eberum in Prælio ad *Geſſill*, aliis, ad *Argetros*, ab Heremone occiſum tradunt, tumque Heremonem, tanquàm alterum Romulum, factum Monarcham. Ita plerúmque Giraldus Cambrenſis & qui eum ſequuntur, ex hiſtoriis Hibernicis. Neque hac occaſione omittendus, licèt in quibuſdam diſſentiat, Oenguſus *Celide* Author antiquus, qui in libro dicto *Pſalter-narran*, de Mileſii poſteris ſequentia tradit: *Hibernia Inſula*, inquit, *inter duos filios principales Militis* (vulgò dicti Mileſii,) *Heremon & Eber in duas partes diviſa eſt: Eber autem auſtralem partem Hiberniæ accepit, Heremon quidem Septentrionalem, cum Monarchia accepit. Heremon autem primus de Scotis omnem Hiberniam regnavit, per* 13 *annos, & quinque filios electos genuit, quatuor ex iis regnaverunt Hiberniam, per* 3 *annos, & Jarel Propheta*, 10 *annos. De ſemine ipſius, Hiberniam* 58 *Reges dominaverunt, antequàm Patricius Hibernienſibus Paſſionem & Catholicam fidem regulámque Chriſti narraret: Et poſt Patricium, de prole ejus*, 50 *Reges dominaverunt Hiberniam.* Ab Ebero, originem duxiſſe dicuntur (ſed quàm verè neſcio) O-Brieni, Mac-Cartæi, O-Carolli, O-Sullevani, Mac-Cohlani, O-Kennedæi, O Hogani, O-Haræi, O-Garæi, alii. Ab Heremone, O-Neali, O-Connori, O-Donelli, O-Birni, O-Kellei, O-Flahertæi, O-Rourki, O-Relei, O-Melach-

O-Melachlini, &c. Et ab Jëro alio fratre, O-Connori Kerriæ, O-Feralli, Mac-Ranelli, Mageniſii, & alii pauci. Pergo. Imigrationum *Partholani*, *Nemethi*, ac demum *trium filiorum Militis Hiſpani cum* C X X *Ciulis*, (navibus ita dictis,) meminit Nennius, Sed *Partholanum* & ſuos peſte aſſerit extinctos, *Nemethum* in Hiſpaniam rediiſſe & Militis filios *manſiſſe ibi per ſpatium unius anni*. Ex Nennio, rectè colligit doctiſſimus Camdenus horum immigrationes, ex profunda illa antiquitate quam fabulantur, in recentiora tempora retrahendas. Neque eſt cur miremur; Res etenim priſcorum ſeculorum, *velut quæ magno ex intervallo loci vix cernuntur* (ut rectè Livius) *vetuſtate nimiâ eſſe obſcuras*; etiam ſæpè prorsùs ignotas, è doctis quis neſcit? Et ne longè digrediamur, conſtare videtur penè omnia, quæ de vicinis rebus Britannicis, ante Cæſaris tempora, à Galfrido Monumethenſi traduntur, ne dicam fictitia eſſe, certè ſpiſſis tenebris obducta. In his porrò quæ deſumpta ſunt ex Hiſtoriis Hibernicis, de Gentis Origine, falſa veris mixta, æquo lectori ſatis liquet. Ad primos verò Incolas quod attinet, mihi placet eorum ſententia, qui è Britanniâ ducunt, utpote ad veritatem propenſior, tùm ob Britanniæ vicinitatem, unde facilior eſt tranſitus in Hiberniam, tùm ob linguam, mores & ritus Hibernorum veterum, Britannicis perſimiles. In hâc re, Taciti veſtigia ſequor, qui in vita Julii Agricolæ, poſt ſimilem diſquiſitionem, unde primùm deductæ coloniæ in Britanniam, an ſcil. ex Germania, vel ex Hiſpania, probabilius tandem ſtatuit, *Gallos vicinum ſolum occupâſſe, idque ex eorum ſacris & ſuperſtitionum perſuaſione*

ſvaſione deprehendi. Quàm vicina ſit Hibernia Britanniæ ſatis notum, & Hiberniam ipſam inter Britannias olim fuiſſe numeratam, teſtes ſunt (ut ſuprà diximus,) Plinius, Apuleius, Ptolemæus & Diodorus Siculus. Veriſimile etiam videtur Brigantes Hibernicos, quos Ptolemæus locat prope Brigum flu. è Brigantibus Britanniæ ortos. De moribus & ritibus Hibernorum veterum, ita jam dictus Tacitus; *Solum cælumque*, inquit, *cultus & ingenia hominum haud multùm à Britannia differunt*, & ſpeciatim ut Britanni, juxta Cæſarem (lib. 5. cap. 5.) barbam alebant in ſuperiori tantùm labro, & capillum habebant promiſſum, ita Hiberni veteres barbam alebant, & comas (à recentioribus *Glibs* vocatas,) ad terga uſque demittebant. Druidæ porrò & Bardi, (de quibus poſteà ſuo loco) ab utraque natione, eximio honore habiti. Cæterùm ut veteres Hiberni non paucos proculdubiò mores accipiebant & ritus à Britannis, ita alios, à Scythis, ut colligere eſt ex eorum moribus & ritibus antiquis, in Juramentis, Nuptiis, Conviviis, Saltationibus & Funeribus, collatis cum iis Scytharum, apud Herodotum, Solinum, Diodorum, Lucianum, & alios è Veteribus. Porrò ſcuta eorum viminea, atque arcus & ſagittæ breves arma erant merè Scythica. Cæterùm an Scytharum more Anthropophagi fuerint, ut habet Strabo, lib. 4 Geograph. multùm dubito, ſiquidem Strabo ipſe fatetur, de ea re, ſe non habuiſſe dignos fide teſtes. Neque prætermittere hîc poſſum nonnullos magni nominis viros in Senatu literario ſuſpicari utramque gentem à Sagittandi peritiâ, hoc nomen obtinuiſſe. Hûc accedit,

quod

quòd Belgæ Scythas & Scotos uno nomine *Scutten* appellant. More denique Scythico, ante prælium, tum ad robur incitandum, tum ad hoſtes perterrendos, clamore Martio utebantur, *Farah*, *Farah*, acerrimè ſæpè iterantes. Sic Græci olim ad prælium euntes *Eleleu* (ut notant Plutarchus & Suidas) acclamare ſolebant, vel, ut alii volunt, *Alala*. Atque *vocem undique Martiam*, ante pugnam Romanis non fuiſſe inuſitatam, teſtatur Ammianus Marcellinus, lib. 31. ubi talem clamorem *Barritum* appellat; fortè quod imitabantur Elephantorum vocem, qui (teſte Pompeio Feſto,) *barrire* dicuntur. Deſignare tempus exactum, quo Hibernia primùm habitari cœperit, non eſt cur quis à me expectet. Rerum antiquarum initia, niſi quæ ex ſacris Scripturis hauſimus, plerúmque admodùm incerta eſſe non ignotum. Cæterùm ut veriſimile eſt & valdè probabile, primos ejus incolas è Britannia appuliſſe, proximâ nempe inſulâ, & à tenuibus, ut fit, initiis, pedetentim novas inde colonias, putà Brigantes, &c. Hiberniæ partes quaſdam Orientales (Britanniæ proximas) occupâſſe; ita etiam non negandum alias nationes colonias poſteà in Hiberniam miſiſſe, licèt de exacto tempore nihil ſuperſit Speciatim (ut de Scythis jam tandem ſileamus,) Cauci Hibernici à Caucis Germaniæ orti videntur, Gangani & Luceni, à Concanis & Lucenſiis Iberiæ ſive Hiſpaniæ, (quæ & demùm univerſam Inſulam, ſecundùm Iſidorum, nomini ſuo fermè integrè adoptavit) & Menapii, de Galliæ Belgicæ Menapiis, &c. Hactenùs de Hibernorum Origine; Secunda pars reſtat de eorum Lingua.

Priſcam

Sect. 2. Priſcam Hibernorum linguam fuiſſe Britannicam, viri aliqui eruditi cenſent, & ex magna vi verborum Britannicorum, quibus etiamnum, aut integris aut paulò mutatis, utuntur Hiberni, demonſtrare nituntur. His ego quidem aſſentior: ſed ut exiſtimo antiquiſſimam eorum linguam fuiſſe Britannicam, cum primis ſcil. Coloniis Britannicis introductam, ita non poſſum non aſſerere, linguam eorum propriam, partim temporum revolutionibus fuiſſe mutatam (juxta Horatiū, in Arte Poetica)

Multa renaſcentur quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc ſunt in honore vocabula, ſi volet uſus,
Quem penes arbitriū eſt, et jus et norma loquendi.

partim aliarum coloniarum deductione interpolatam. Nobis ſunt exemplis Græci & Itali. Et quod hîc prætermittendum non eſt, nonne conſtat linguam Britannicam in ipſa Britannia, aliquot annis poſt Saxonum adventum, in Walliam & Cornubiam fuiſſe detruſam, & quaſi in exilium pulſam, adeò ut in cæteris Inſulæ partibus, vix vola hodiè remaneat aut veſtigium priſci ſermonis. Porrò ut Hiberni olim utebantur linguâ antiquâ Britannicâ, ita etiam à priſcis Britannis accipiebant Alphabetum ſive literas, uti fortè Saxones poſteà ab Hibernis, dum ad Scholas Hibernicas, diſcendi gratiâ, confluerent. Porrò præter characteres vulgares, utebantur etiam veteres Hiberni variis occultis ſcribendi formulis, ſeu artificiis, *Ogum* dictis, quibus ſecreta ſua ſcribebant. His refertum habeo libellum membraneum antiquum Sed hoc obiter. Denique ut, inter alia argumenta, ex linguæ cognatione, primi

Hiberniæ

Hiberniæ incolæ exiſtimantur coloniæ Britannorum, ita Scoti Albaniæ, præſertim boreales, Hibernorum, *Multiplici argumento certum eſt*, (ait Johannes Major) *nos ab Hibernicis originem traxiſſe. Hoc ex Beda Anglo didicimus, qui ſui Regni progeniem attenuare nolebat. Hoc idem loquela manifeſtat. Adhuc Scotiæ fermè medietas Hibernicè loquitur, & à paucis retroactis diebus, plures Hibernicè loquuti ſunt.* Hæc ille, *lib.*1. de Geſtis Scotorum, cap.9. Sed conſule etiam Bed. Ecclеſ. hiſtor. l.1.cap.1.

CAP. III.

De Hiberniæ Diviſione & Dimenſione: ubi nonnulla etiam de Situ ejus.

ANtiquiſſima Hiberniæ Diviſio fuit in *Legh-Cuinam*, ſeu *Leghcon*, & *Legh-moam*. Legh-cuina, quæ pars fuit Septentrionalis, limites habuit ab Oſtio Liſii fluvii, qui Dublinium Hiberniæ Metropolim (Ptolemæo Eblanam) perfluit, uſque ad oſtium fluvii, è Lacu Curb emiſſi, qui Galviam præterfluit: Reſiduũ Inſulæ, partem nempe auſtralem, Legh-moa complexa eſt. Hûc accedit quod Beda, lib. 3, cap. 4, Hiberniam dividit inter Scotos Septentrionales & Auſtrales. Alia eſt antiqua Hiberniæ Diviſio in quinque Provincias, Momoniam, Lageniam, Conatiam, Ultoniam & Midiam. De hâc Diviſione, ſic codex M S. (ut putatur) Minoritarum Montis Fernandi; *Momonia continet Cantredas* 70. *Lagenia*, 31. *Conatia*, 30. *Ultonia*, 35. *Midia*, 18. *Cantreda continet* 30 *villatas terræ*, *Quælibet villata poteſt ſuſtinere* 300 *vaccas in paſcuis*, *Sect.* 1.

cuis, & vaccæ, ſi dividantur in quatuor armenta, nullum eorum approximabit reliquis. Qualibet villata continet octo carucatas terræ. Liber, unde hanc diviſionem deſumpſimus, deſcriptus eſt ſub initium regni Edwardi primi, & extat etiamnùm in Bibliothecâ inſtructiſſimâ Uſſerianâ. Similis diviſio Hiberniæ habetur in Regeſto Cœnobii Duiskenſis, niſi quòd Conatia ibi dicitur continere Cantredas tantùm 26. Author hujus Diviſionis appellatur Fyntinus. Quando Fintinus ille vixerit, non conſtat, neque poſſum affirmare eundem fuiſſe cum S. Fintano qui deceſſit an. Domini DCIII. Ex priore diviſione (ſecundùm Librum Montis Fernandi, emergit numerus 184 Cantredarum, id eſt 5520 Villarum, ſive 44160 carucatarum terræ. Giraldus Cambrenſis Topograph. Hiberniæ, diſtinctione I. c. 6. habet diviſionem Hiberniæ ab ea Fyntini diverſam. *In quinque* inquit *portiones ferè æquales antiquitùs hæc Regio diviſa fuit, has ſcil. Momoniam duplicem, borealem & auſtralem: Lageniam, Ultoniam, & Conatiam.* Et paulò poſteà, *Hîc autem notandem videtur duas Momonias, auſtrales Hiberniæ partes obtinere, Ultoniam, boreales, Lageniam, orientales, Conatiam, occidentales.* Differt etiam in quantitate cantredæ: *S*ic enim ille Itiner. Camb. lib. 2, cap. 7. *Cantredus tanta eſt terræ portio, quanta centum villas continere ſolet.* Ita quantitas Cantredæ ſive Centuriæ, quæ eadem eſt cum *S*axonico *Hundredo*, nuſquam certa. Quemadmodùm autem Cantredæ quantitas eſt incerta & varia, ita etiam Carucatæ, quæ major aut minor pro ſoli natura & qualitate, licèt vulgò accipiatur pro terræ portione, quæ uno aratro coli poteſt per annum;

num. Recentioribus temporibus quatuor tantùm Provinciæ numerantur, Lagenia ſcil. Momonia, Conatia & Ultonia. Nam Midia (quæ olim continebat non modò Midiam, agrum inquam qui nunc ita dicitur, ſed Weſt-Midiam etiam, ſive Midiam Occidentalem, Longfordiam, Fercalliam & aliqua alia territoria) nunc pars cenſetur Provinciæ Lageniæ. Sed de tempore quo ita cœperit cenſeri, non conſtat. Nunc igitur hæ quatuor Provinciæ in Comitatus ſive Regiones ita dividuntur. In Lagenia ſunt Comitatus 12; Dublinium, Louth, Midia, Weſt-Midia, Longfordia, Kildaria, Comitatus Regis, comitatus Reginæ, Catherlagh, Kilkennia, Wexfordia, & Wicklo: In Momonia, VI, Waterfordia, Corcagia, Kerria, Limericum, Tipperaria, (cui nuper Crocea Tipperariæ annexa) & Clàre, antiquitùs Tuomonia: In Conatia, 5, Galvia, Mayo, Sligo, Roſconian, & Letrim: In Ultonia, IX, Armagh, Dunum, Monaghan, Antrim, Donegall, Cavan, Fermanagh, Tir-oen & London-derry. De urbibus illis hîc taceo, quæ comitatuum etiam privilegiis gaudent, & ſuos habent diſtinctos vicecomites.

Ad Inſulæ magnitudinem quod attinet, continet in longitudine, à Meridie ad Aquilonem, pluſquam 200 Milliaria Hibernica, & in latitudine, ab Oriente ad Occidentem, centum & viginti. Ab Ortu Angliam verſus, mari, quod vocatur Hibernicum & nautis vulgò Canalis S. Georgii, alluitur, ab Occaſu, immenſo Oceano, à Septentrione, Deucalidonio, & ab Auſtro, Vergivio, quod mare à Britannis *Morweridh* dictum eſt, quaſi Mare Hibernicum. Atque inde antiquum vocabulum Vergivium derivatum *Sect. 2.*

tum

tum putat HumfredusLhuidus. Camdenus autem, in Hiberniâ ſuâ, denominatum vult vel à dicto *Morweridh*, vel à *Farigi*, quod Hibernis Mare ſignificat. Quàm malè conveniebant veteres de Hiberniæ dimenſione, ex Cæſare, Strabone, Plinio, *S*olino & Ptolemæo, inter ſe collatis, liquet.

CAP. IV.

De Formâ Imperii apud Veteres Hibernos: Deque ſuccceſſione & ſerie Regum Hiberniæ, ab Anno Chriſti 428, *ad annum uſque* 1171, *quo Inſula Anglici Juris facta eſt.*

Sect. 1. DUrante Pentarchiâ, qui Regũ potentiſſimus, dominiũ totius Inſulæ ſibi arripiebat; vulgò Rex Hiberniæ dicebatur, & à nonnullis RexRegũ: Non eo tamen ſenſu quò Agamemnon olim vocabatur Rex Regũ, cùm reverà eſſet duntaxat Dux ducũ, ſive Dux Belli, ſed ut cui Imperii ſummum, cæteri Reges vel potiùs Reguli permiſerant, & Belli tempore & Pacis. *Prædicti verò Reges* (verba ſunt Giraldi Cambrenſis, Topographiæ Hiberniæ, diſtinct. 3. cap.45.) *non alicujus coronationis ſolennitate, nec inunctionis ſacramento, nec etiam jure hæreditario, vel aliqua ſucceſſionis proprietate, ſed vi tantùm & armis, totius Inſulæ Monarchiam obtinuerunt, & ſuo more Regni gubernacula ſuſceperunt*. Hæc paucis mutatis, habet etiam Liber niger Eccleſiæ S. Trinitatis Dublinii. Aliquando tamen duo erant ſimul Reges ejuſdem Regni, more Spartæ, ut ſuo patebit loco. Quando cœperit Pentarchia non liquet. Fuiſſe autem ſeculo quinto à Nativitate Chriſti, certum. Neque hîc prætermittendum, paucos

cos fuiſſe illorum regum, ante Anglorum adventum in Hiberniam,ſubHenrico ſecundo, qui morte aliquâ violentâ non perierunt. Atque, ut apud Romanos,Galbam ſuſtulit Otho, Othonem, Vitellius, & Vitellium Veſpaſianus, Ita viciſſim multos è Regibus illis Hibernicis, qui prædeceſſorum cæde manus polluerant, pœna talionis ſecuta eſt. Sed pergamus. Antiquioribus ſeculis, Temoria, ſive Temra, quam hodie *Tarah* dicimus, in Midia, Regia eorum erat præcipua: Ibi feſtá ſolennia & comitia, ſtatis temporibus, olim tenebantur; De his,frequenter fit mentio, in rerum Hibernicarum Annalibus, ſpeciatim (ut de cæteris hîc taceam) ad annũ Domini CCCCLV, ſub Lœgario Rege, & ad annum CCCCLXVIII, ſub Aililo *Molt*. Mirum videatur & vix credibile, quod de barbaro ritu, quo Tirconallenſes olim ſibi Regem creare ſolebant, tradit Giraldus Cambrenſis, Topograph.Hibern. diſtinct. 3. cap. 25, *Eſt igitur in boreali* (ait ille) *& ulteriori Ultoniæ parte, ſcilicet apud Kenilcunil, Gens quædam quæ barbaro nimis & abominabili ritu, ſibi Regem creare ſolet:Collecto in unum univerſo terræ illius populo, in medio producitur jumentum candidum, ad quod ſublimandus ille, non in Principem, ſed in Belluam, non in Regem ſed in Exlegem,coram omnibus beſtialiter accedens, non minùs impudenter quàm imprudenter, ſe quoque Beſtiam profitetur, Et ſtatim jumento interfecto, & fruſtratim in aquâ decocto, in eadem aqua balneum ei paratur; cui inſidens, de carnibus illis ſibi allatis, circumſtante populo ſuo & conveſcente comedit ipſe: De jure quoque quo lavatur, non vaſe aliquo, non manu, ſed ore tan-*

tùm circumquaque haurit & bibit. Quibus ita ritè non rectè completis, regnum illius & dominium eſt confirmatum. Sic ibi ille. Neque prætermittenda hîc incondita ea ceremonia antehac uſitata, in electione O-Neali, per calcei jactum, trans electi caput. Sed, de barbaris & inconditis ritibus ſatis ſuperque. Sunt tamen qui aſſerunt aliquos è familia O-Brienorùm admodùm ſolenniter Reges Hiberniæ fuiſſe creatos, ac coronâ aureâ redimitos: Speciatim in Hiſtoricis Hibernicis legimus Donatum O-Brien anno Domini MLXV, peregrinationem Romam uſque ſuſcepiſſe, & majorum ſuorum coronam Regiam ſecum detuliſſe. Hactenùs diximus de Regibus Hibernicis, qui vixerunt ante Anglorum ingreſſum ſub Henrico ſecundo: Nonnullos verò quamvis ſubditos etiam poſt Anglorum adventum Regio nomine gaviſos & Reges fuiſſe appellatos, ab ipſis Angliæ Regibus, liquidò conſtat: Sic enim Hovedenus ad annum Domini MCLXXV, *Hic eſt finis & concordia quæ facta fuit apud Windeſhores, in Octavis Sancti Michaëlis anno Gratiæ MCLXXV, inter Dominum Regem Angliæ Henricum filium Matildis Imperatricis, & Rodericum Regem Conactæ, per Catholicum Archiepiſcopum Tuamenſem, & Abbatem Cantordem S. Brandani, & Magiſtrum Laurentium Cancellarium Regis Conactæ, ſci. quod Rex Angliæ concedit prædicto Roderico, Ligeo ſuo, Regi Conactæ, quamdiù ei fideliter ſerviet, ut ſit Rex ſub eo; paratus ad ſervitium ſuum, ut homo ſuus,* &c. Quo ordine, hi licèt Reges dicti, iis temporibus ponebantur, innuere videtur Diploma Henrici ſecundi, *quo negotia ſua Hibernica commiſit Gulielmo filio*

Aldelmi

Aldelmi Dapifero ſuo, cujus hoc fuit initium; *Henricus Dei gratia Rex Angliæ, Dominus Hiberniæ, Dux Normanniæ, Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Regibus, Comitibus, Baronibus, & omnibus fidelibus ſuis Hibernicis, Salutem.* Roderici ſucceſſorem, dictum ſimiliter Regem *Conactæ* liquet, ex rotulo clauſo anni ſexti Johannis, membr. 3, in arce *Londinenſi*. Item in Rotulo clauſo ann. 5 Hen. 3, Diplomata quædam Regis directa ſunt, inter alios, K. Regi Conactiæ, & O. Regi de *Kinel-ean*, Annoque ſequente idem Rex conceſſit Regi *Toſmond, terram Toſmond:* Sic enim rotulus chartarum An. 6 Hen. III. memb. 2. *Rex Regi Toſmond, Salutem, Conceſſimus vobis terram Toſmond* (i. Tuomond) *quam prius tenuiſtis, per firmam centum & triginta Marcarum, tenendam de nobis, uſque ad ætatem noſtrã*. De querela Fedlimidi O-Conner, Londini exhibita, coram Henrico III, & *Curia*, vide Matthæum Pariſium, ad annum MCCXL, ubi *illius partis Hiberniæ Regulum* eum appellat, *quæ Cunnoch* (i. Conatia) *nuncupatur*. Et Fedlimidum ipſum *Regis Conactiæ* nomen aſſumpſiſſe, ex Sigillo ejus liquet, cujus ectypon expreſſum hîc exhibeo,



Eundem morem apud Romanos olim viguiſſe in regionibus eorum Imperio ſubditis, docet Joſephus, Antiquit. Judaic. lib. 18, cap. 11, Et Tacitus in vita Agricolæ, *veterem* dicit *ac jam pridem receptam Populi Romani conſuetudinem, ut haberet inſtrumenta ſervitutis, & Reges.* Sed de Regulis hiſce nomine, reverà ſubditis, hîc ſatis. Nam ut rectè Martialis,

Qui Rex eſt Regem, Maxime, *non habeat.*

Plurium cupidus conſulat Johannem Seldenum, in eximio ſuo opere, de Titulis Europæ Honorariis.

Sequitur jam Catalogus Regũ Hiberniæ, à Lœgario filio Nelli uſque ad Henrici Secundi adventũ, ſub quo, ea Inſula Anglici Juris facta eſt, ex Hiſtoriis & Annalibus rerum *H*ibernicarũ deſumptus. Ad Prædeceſſores Lœgarii quod attinet, eos certè conſultò omiſi, quia pleraque, quæ de iis traduntur (ut quod ſentio dicam) vel fabulæ ſunt, vel fabulis & anachroniſmis mirè admixta. Cæterùm in ſerie quam hîc exhibemus, ne quis deeſſe putet Reges aliquos Hiberniæ, de quibus fit mentio apud Scriptores, Notandum Regulos, ſive Reges Provinciæ alicujus, vel particularis Regionis in Hibernia, apud eos, aliquando Reges Hiberniæ falsò dictos. Sic in Chronico Caradoci Lhancarvanenſis, circa annum Domini 905; Cormacus Culinani filius Rex & Epiſcopus Caſſelienſis appellatur Rex & Epiſcopus totius Hiberniæ: Itẽ, circa annũ 958, Abloicus Rex Oſtmannorum Dublinii dicitur ibi Rex Hiberniæ, atque ita etiam vocatur Elermaen dicti Abloici filius, qui occiſus dicitur circa ann. 987. Sic porrò apud Giraldũ Cambrenſem; fit mentio Fedlimidi tanquam

tanquam Regis Hiberniæ, *De gente igitur iſta, ab adventu Patricii, uſque ad Fedlimidi Regis tempora, XXXIII Reges per CCCC annos in Hibernia regnaverunt.* Vid. Topograph. Hiberniæ diſtinct. 3, cap. 36. Atqui Fedlimidus ille, cujus tempore idem Giraldus, (capite ſequenti) aſſerit Norwegienſes Hiberniam *expugnâſſe*, ſub ductu Turgeſii, fuit Rex Momoniæ (ut vulgò creditur) non totius Hiberniæ. Denique, ut alios hîc mittam, Jocelinus Furneſſenſis, quâ authoritate neſcio, Forchernũ quendã Regem appellat Hiberniæ, tempore mortis S. Patricii, anno ſc. CCCCXCII. Cæterùm refragantur Hiſtorici Hibernici, quibus, in hâc ſucceſſione Regum, fides potiùs adhibenda. His præmiſſis, ad ea quæ dicenda viam habemus planiorem.

Lœgarius filius Nelli *Nigialac* regnavit ann. 35. & à Lagenienſibus in prælio *Campi Liffii*, interfectus eſt, anno CCCCLXIII. Sunt qui eodem anno occiſum tradunt in prælio ad *Tooli-caiſſe*, dùm tributum pecorum, quod jurejurando Lagenienſibus remiſerat, armis extorquere conaretur.

Aililus *Molt* Nathii filius (è Rege Conatiæ Monarcha factus) regnavit annos 20, tumque à Succeſſore, in prælio dicto *Cath-Ocha*, occiſus eſt, anno Dom. CCCCLXXXIII.

Lugdathus aliàs Lugaidus Lœgarii filius regnavit annos 25. Periiſſe ferunt fulmine ictum anno DVIII, juſto Dei judicio, ob pertinaciam in Gentilium ſuperſtitionibus colendis.

Interregnum annorum 5.

Moriertacus filius Ercæ, (nomine à matre tracto) dùm vino ſe ingurgitaret, miſerè ebrius periit. Non deſunt qui immerſum aſſerunt

runt in dolio vini, anno DXXXIV, cùm regnâſſet annos 21.

Tuathalus *Mælgarb* regnare cœpit anno Dom. DXXXIV. Regnavit annos 10, à Mælmorda filio Airgetæ occiſus, anno DXLIV, apud *Grellachelte*, in Conatia. Homicida autem à famulis dicti Regis captus, ſtatim confoſſus eſt.

Dermitius Primus Cerbaili filius (qui ſucceſſit) occiſus eſt ab Ædo ſive Hugone *Nigro* filio Suibnei Rege Dalnaraidæ, anno Dom. 565, in loco dicto *Rath-beg*. Stemma ſuum is duxit à Conallo, de cujus poſteris, vide prophetiam S. Patricii, apud Jocelin. cap. 53.

Ferguſius & Donaldus Primus filii Moriertachi nepotes Ercæ ſucceſſerunt anno 565. Sed Donaldo in prælio occiſo anno ſequenti, Imperium ſuſcepit Amirachus.

Amirachus filius Setnai occiſus eſt à Ferguſio filio Nelli, anno Domini 569. ob quod facinus, ipſe Ferguſius, ab Edano Amirachi filio, anno ſequenti confoſſus eſt.

Beotanus & Eochanus, hic *filius*, *ille frater* Moriertachi occiſi ſunt, à Cronano filio Tigernaci, in prælio ad *Glengevin*, cùm triennium regnâſſent.

Edanus ſive Æd Primus aliàs Hugo filius Amirachi ſucceſſit anno 572. & à Brandubo Etaci filio Rege Lageniæ, in prælio de Belachduin, aliis *Dunbolg*, occiſus eſt, 4 Idus Januarii anno 598, ætatis ſuæ 66.

Edanus II aliàs Æd *Slane*, & Colmannus Rex Temoriæ regnaverunt ſimul annos 6, túmque Edanus interfectus eſt à Conallo filio Suibnei, & Colmannus, à Locano *Delman*.

Edanus III cognomento *Varidnac*, filius Donaldi

Donaldi regnavit annos 7. Obiit Temoriæ, anno 612.

Mælcobus filius Edani III regnavit annos 3. Occubuit in prælio dicto *Cath-toad*, ubi Suibneus ſucceſſor victor fuit.

Suibneus *Mend* filius Fiacri interfectus eſt à Congalo filio Scanlani, anno 628, cùm regnâſſet annos 13.

Donaldus II filius Edani ſive Hugonis I Amirachi nepos obiit ſub exitum Januarii anno 642, regni ſui 14, in loco dicto *Ardfothaig*. De placida ejus morte, in ſenectute, Sanctum Columbam prophetâſſe aſſerit Adamnanus. Frater ejus Mælcobus Epiſcopus fuit Clochorenſis.

Cellacus & Conallus filii Mælcobi Regis regnârunt ſimul annos 12. Conallus interfectus eſt anno 654, à Dermitio filio Edani Slani. Cellacus ſupervixit & poſteà regnavit 4 annos. Obiit 658.

Dermitius II & Blathmacus filii Edani Slani regnârunt annis 7. Obierunt ex peſte, quâ univerſa Hibernia miſerè fuit afflicta, anno 665.

Secneſacus filius Blathmaci regnavit annis 6, interfectus ſub initium hyemis anno 671, à Duibdino rege Coirpriæ.

Cænfeladus filius itidem Blathmaci regnare cœpit anno 671, & in prælio victus eſt & occiſus à Finſa ſucceſſore anno 675.

Finſa aliàs Finâcta filius Donati, Edani Slani nepos regnavit annos 20, in prælio ad *Grelachdollas* occiſus, unà cum Breſſailo filio, ab Hugone filio Luthaigi & Congelacho filio Connaingi, an. Dom. 695. Is annuum tributum pecorum *Boruma* dictum, Lagenienſibus remiſiſſe

ſiſſe fertur, quod prædeceſſores ſui Hiberniæ Reges ab iis recipere ſolebant.

Eodem anno ſucceſſit Loingſecus Finſæ ex fratre Enguſa nepos. Regnavit is annos 8, & à Cellaco filio Ragalli rege Conatiæ, in prælio victus, cecidit, unà cum tribus filiis, Ardgallo, Conſaco & Flano, anno Dom. 703.

Congallus cognomento *Cenmaccair* filius Ferguſii Rex Temoriæ ſucceſſit, anno ſequenti, & morte obiit repentinâ, anno 710.

Fergallus filius Mæladuini (qui ſucceſſit) in Prælio dicto *Cath-Almain* occiſus eſt, unà cum 160 è ſuis, à Murchardo filio Brieni rege Lageniæ, 3 Idus Decembris, anno 722.

Fogertachus O-Cernaig regnavit unicum duntaxat annum, in prælio *de Cindelgin* occiſus, à Cinædo ſucceſſore, anno 724.

Cinædus filius Irgalli (qui ſucceſſit) interfectus eſt in prælio de *Dromcorcain*, à Flachertaco filio Loingſeci anno 728.

Flachertacus ille regnavit annos 6. Mortem obiit Armachæ, ubi monaſticam amplexus eſt vitam,

Edanus IV cognomento *Allain* Fergalli filius, rex Temoriæ cœpit regnare anno 734, & poſt novennium, in prælio occiſus eſt Kenanuſiæ, à Donaldo ſucceſſore.

Donaldus III filius Moriertachii cœpit regnare anno 743, & regnavit annos 20. Obiit 12 Calend. Decembris anno 763, in Jona Inſula, quò peregrinationem ſuſceperat.

Nellus *Fraſſach* ſive Nimboſus filius Fergalli obiit anno 778. cùm regnâſſet annos 15, & ſepultus eſt in Jona Inſula, aliàs dicta Hu & Y-Columb-Kill, fortè ſub tumulo, in cœmeterio Eccleſiæ ibidem, cui inciſus eſt

eſt (ſecundùm Buchananum) hic titulus,

TUMULUS REGUM HIBERNIÆ.

Donatus Primus filius Donaldi rex Temoriæ regnavit annos 19, tumque occiſus eſt ab Edano *Ornaid* ſucceſſore, in prælio dicto *Cath-Dromairg*. Sunt verò qui febre ſublatum tradunt; ut ut fuerit, certum eſt duos Donati filios, paulò poſteà, ab Edano in prælio ſuperatos fuiſſe & interfectos, dum de ſumma Imperii cum eo depugnarent. Atque ita demùm Edanus regnum obtinuit, quod poſteà tenuit, per annos plùs minùs 22.

Edanus V, aliàs Hugo cognomento *Ornaid* filius Nelli *Fraſſach* obiit anno 819, vel ut alii habent 820, ætatis ſuæ 60, *ad vada de Athdaferta* in Tirconallia. Sunt qui in prælio *Cathdroma* dicto, occiſum tradunt.

Concobarus alias Cornelius filius Donati obiit anno 832, cùm regnâſſet annos 12. De Fedlimido (Crimthani filio) rege Momoniæ, quem Giraldus regem appellat Hiberniæ, & ſub hoc tempore regnâſſe aſſerit, vide quæ ſuprà diximus. Fedlimidus ille fato functus eſt anno 847.

Nellus *Cail*, aliàs Gracilis filius Edani quinti ſucceſſit Concobaro anno 832, & ſubmerſus eſt Callinæ, anno 846, ætatis ſuæ anno 55.

Melſechlinus Primus, unde gratiori ſono Malachias efformatur, filius Mælruani regnavit annos 16. Obiit pridiè Calend. Decembris, anno 862, & Clonmacnoiſæ ſepultus eſt.

Edanus VI, filius Nelli, dictus *Finliat*, rex Temoriæ ſucceſſit, & regnavit annos fermè 17. Obiit 12. Calend. Decembris anno 879, ad *Druim-Iniſclain* in Terconallia.

Flanus

Flanus Melſechlini filius Rex Temoriæ regnavit annos 36, menſes 6 ac dies 5. Obiit *Taltenæ*, (ubi olim nundinæ fuerunt totius Hiberniæ celeberrimæ) 8 Calend. Junii anno 916, ætatis 68.

Nellus *Glundub*, à Genu nigro ita cognominatus, filius Edani 6 regnavit vix annos 3, túmque à Danis ſive Oſtmannis, in prælio prope Dublinium, occiſus eſt.

Donatus II Flani filius regnavit annos 25, morte repentinâ ſublatus interiit anno 944.

Congelacus filius Melmithi, qui ſucceſſit, occiſus eſt ab Oſtmannis Dubliniensibus, in prælio ad *Tiguiran*, anno Dom. 956, Caradoco Lhancarvanenſi perperàm, 953.

Donaldus O-Neal ſucceſſor ejus mortem obiit Armachæ anno 980. Ejus tempore Edgarum regem Angliæ maximam Hiberniæ partem ſubjugâſſe docet Charta dicti Edgari, de **Oſwalds-law**, hoc eſt, de ejiciendis clericis uxoratis, & introducendis monachis, data Gloceſtriæ, anno Chriſti DCCCCLXIV, Indictione VIII, Regni ſui VI. Præfationem Chartæ viſum eſt integrè hîc tranſcribere. *Altitonantis Dei largiflua clementiâ, qui eſt Rex Regum & Dominus Dominantium; Ego Edgarus Anglorum Baſileus, omniúmque regum Inſularum Oceani, quæ Britanniam circumjacent, cunctarúmque nationum, quæ infra eam includuntur Imperator & Dominus; Gratias ago ipſi Deo omnipotenti, Regi meo, qui meum Imperium ſic ampliavit, & exaltavit ſuper regnum patrum meorum, qui licèt Monarchiam totius Angliæ adepti ſint, à tempore Æthelſtani, qui primus regum Anglorum omnes nationes, quæ Britanniam incolunt, ſibi armis ſubegit, nullus tamen*

tamen eorum, ultra ejus fines, Imperium ſuum dilatare aggreſſus eſt; Mihi autem conceſſit propitia Divinitas, cum Anglorum Imperio, omnia regna Inſularum Oceani, cum ſuis ferociſſimis Regibus, uſque Norwegiam, maximamque partem Hiberniæ, cum ſua nobiliſſima Civitate Dublinia, Anglorum regno ſubjugare, quos etiam omnes meis Imperiis colla ſubdere, Dei favente gratiâ coëgi. Ita Præfatio Chartæ Edgari Regis.

Melſechlinus al. Malachias II filius Donaldi, patri defuncto ſucceſſit anno 980, Is Danos præliis aliquot ſuperavit. Sed cùm regnâſſet annos circiter 23, regnum ceſſit Brieno regi Momoniæ, principi bellicoſiſſimo. Occiſo verò poſt 12 annos in prælio, Brieno, regnum quaſi poſtliminio repetiit. Obiit 4 nonas Septembris anno 1023, ſeptuagenarius, ad *Inis-logh-bainin.*

Brienus filius Cenedi Lorcani nepos cognomento *Boruma* ſive *Boro* rex Momoniæ, Princeps ob animi virtutes celeberrimus, poſtquàm Danos multis præliis viciſſet, totius Hiberniæ rex declaratus eſt anno 1002. Deindè exactis 12 annis ipſe (poſt cruentam pugnam) in prælio occiſus eſt ad *Clontarf*, propè Dublinium, die Paraſceves, 23 die Aprilis 1014, ætatis ſuæ 74, (*manibus & mente*, inquit Marianus Scotus, *ad Deum intentus*) unà cum filiò ſuo Murchardo & multis aliis, à Sitrico rege Dublinii. Cæſi etiam, ex parte Sitrici, Mailmorda rex Lageniæ & alii quamplurimi. Sunt qui aſſerunt corpus Brieni ad Eccleſiam Sancti Maignani deportatum (Kil-mainam eam nunc vulgò vocamus, quæ unico milliari à Dublinio diſtat) ibidem ſepulturæ fuiſſe traditum, non procul à cruce lapidea circulo incluſa

cluſa in ſummitate, quæ etiamnum viſitur, intra muros Prioratus (olim celeberrimi) militum Hoſpitalariorum. Alii verò Brienum Armachæ ſepultum volunt. Utcunque fuerit, eo interfecto, Malachias (uti diximus) regnum recuperavit, & tenuit uſque ad 2 Septemb. 1023, quo naturæ ceſſit.

Interregnum annorum (ut aliqui volunt) 20, Cuano O-Lachnan & Corcrano clerico illuſtri clavum interim gubernantibus. Corcranum autem obiiſſe anno 1040. (qui nobis eſt 1041) produnt Annales Ultonienſes.

Dermitius III filius Mælnamboi regnum adeptus eſt, illudque tenuit annos pluſquam 30, occiſus tandem in prælio (licèt copiis Oſtmannicis adjutus) à Conochoro O-Melaghlin rege Midiæ, 4 Idus Februarii anno 1073. Is idem videtur cum eo quem Caradocus Lhancarvanenſis appellat *Dermitium Maken-Anel, digniſſimum & optimum Principem, qui unquam in Hibernïa regnavit*, & *trucidatum* aſſerit, circa annum 1068. Aliud Chronicon Walliæ annum habet 1070.

Tirdelvacus O-Brien, Brieni Borumæ è Thaddæo filio nepos, rex Momoniæ ſucceſſit, obiitque Kincoræ pridiè Idus Julii anno 1086. al. 1087. ætatis an. 77. Kincora Urbs erat iis temporibus (obiter adnoto) frequens & (ut annales Ultonienſes habent ad annum 1061) *Regalis*, nunc villula ad *Braſſinogh* fluvium, in Regione Mac-Coghlani, quæ pars eſt agri Regii.

Paulò poſteà regnum adeptus eſt Moriertachus O-Brien, Tirdelvaci filius, qui, cùm multos regnâſſet annos, deceſſit 6 Idus Martii anno 1120, & ſepultus eſt in Eccleſia Cathedrali

thedrali Sancti Flannani Laonenſi. Hunc Caradocus Lhancarvanenſis & (qui tum vixit) Gulielmus Malmesburienſis Murchardum appellant. *Eum & ſucceſſores ejus* (ſic Malmesburienſis) *quorum fama non extulit, ita devotos habuit noſter Henricus* (Primus) *ut nihil niſi quod eum palparet, ſcriberent, nihil niſi quod juberet, agerent, quamvis feratur Murchardum, neſcio quâ de causâ, paucis diebus inflatiùs in Anglos egiſſe, ſed mox, pro interdicto navigio & mercimonio navigantium, tumorem pectoris ſedâſſe.* Sunt qui interregnum 15 annorum ſubſequutum aſſerunt. Sed quàm verè, quærant alii.

Tirdelvacus, O-Conner rex Conatiæ Monarchiam adeptus, eam tenuit uſque ad annum 1157, quo mortem obiit, ætatis ſuæ 68, ſepultus Clonmacnoiſæ, in eccleſia cathedrali, prope ſummum altare S. Ciarani.

Mauritius aliàs Moriertachus Nelli filius Loghlini Nepos, ſed vulgò dictus Mauritius Mac-Loghlin, cognomento ab avo ducto, regnavit annos plùs minùs 9, occiſus à Donato O-Caroll rege Ergalliæ, ſive Urielis, an. 1166. Meminit, ad annum MCXI, Henricus Marleburgenſis, *Concilii magni Epiſcoporum & Magnatum Hiberniæ, à Mauritio Mac-Loghlin rege Hiberniæ convocati.* Atqui is regnum non iniit ante annum 1157, Unde ſub Muriertacho O-Brien rege, de quo ſuprà, dictum Concilium habitum fuiſſe conſtare videtur.

Rodericus (filius Tirdelvaci) O-Conner, rex Conatiæ ſucceſſit anno 1166, obiitque 1198, ſepultus in Cœnobio de *Cong*. Ejus tempore Hibernia Anglici Juris facta eſt. Et quanquàm Angliæ Reges olim *Domini Hiberniæ*

niæ dicti fuerint, donec Henricus VIII in Parlamento Dublinii habito, anno Domini MDXLI, *Hiberniæ Rex* declaratus eſt. *Sub priore tamen nomine, dicti Reges* (uti verba ſunt Statuti tunc editi) *habuerunt omnimodam Regiam Jurisdictionem, poteſtatem, præheminentiã & authoritatem regalem, ſpectantem & pertinentem ad regalem ſtatum & Majeſtatem Regis. Quandoquidem Regia Majèſtas & nobiliſſimi ſui Progenitores juſtè & rectè fuerunt & de jure debuerunt eſſe Reges Hiberniæ, & ita reputandi, accipiendi, nominandi, & vocandi:* Ita Statutum.

CAP. V.

De Druidibus eorumque Superſtitionibus; Ubi obiter nonnulla de Diis, quos olim Hiberni, dum Ethnici, maximè colebant: Deque Bardis antiquis.

Sect. 1. DRuidas & Bardos, apud Gallos, Britannos & Hibernos eximio fuiſſe olim in honore certiſſimum. Ad Druidas quòd attinet, ii Flamines fuerunt, ſive Sacerdotes, Philoſophi, Legiſlatores & Judices, uti teſtatur Cæſar, lib. 6 Commentariorum; Ubi de eorum Ordine, Officio, Juriſdictione & Doctrina, longam habemus narrationem. Porrò Magicarum artium callentes fuerunt, ut è Plinio conſtat, locis ſequentibus inter ſe collatis, viz. lib. 26, cap. ultimo, ubi Druidas Gallorum Magos appellat, lib. 24, cap. 11, ubi narratio eſt, quâ ſuperſtitione legere ſoliti, manu dextrâ, herbam quæ ab iis *Selago* nominata eſt, & ſiniſtrâ, aliam quam *Samolin* dixerunt, *contra*

contra morbos ſuum boumque, &c. & lib. 29, cap 3, in narratione de ovo anguino. Hinc *Dri*, apud Hibernos, pro Mago accipitur. Sed Druidis ipſis nomen dedit Δρῦς, id eſt, quercus, arbor Jovi ſacra, ſi non (quod alii aſſerunt) *Deru*, vox Celtica, quæ idem ſonat, ſive quòd in Nemoribus & Quercetis, ſuperſtitiones ſuas exercerent, unde Lucanus, lib. 1,

——Nemora alta remotis
Incolitis lucis,——

ſive quòd quercum, vel ſaltem viſcum ejus, ſacris ſuis adhiberent, unde Ovidius,

Ad viſcum Druidæ, Druidæ clamare ſolebant.

De hac re, vide plura apud Apuleium, in Apologia priore. Neque deſunt qui Hiberniam ipſam, ob copiam roborum & aliarum arborum, olim dictam aſſerunt *Inſulam nemoroſam*. Sed inſtar omnium erit Plinius, qui lib. 16, cap. 44, ita loquitur. *Nihil habent Druidæ (ita Galli ſuos adpellant Magos) viſco & arbore in qua gignatur, ſi modo ſit robur, ſacratius. Jam per ſe roborum eligunt lucos, nec ulla ſacra ſine ea facere conſueverunt, ut inde adpellati quoque interpretatione Græca poſſint Druidæ videri. Quicquid adnaſcitur illis arboribus, è cælo miſſum putant, ſignumque eſſe à Deo electæ arboris. Sacerdos candidâ veſte cultus arborem ſcandit, viſcum aureâ falce demetit, candido id excipitur ſago, omnia ſanare credunt.* Horum doctrinâ Hiberni, dùm Ethnici, Jovem, Martem, Mercurium, Apollinem, ſive Solem, Dianam, ſive Lunam, & Ventum maxi-

mè

mè colebant. Neque defuerunt Dii Montani & Fluviatiles, quibus, Britannorum more, venerationem exhibebant. Mulieres etiam Baccho ſacra feciſſe in Inſulis Britannicis, Dionyſius Afer teſtatur. De duobus ex his, Sole ſc. & Vento, in Juramento Lœgarii filii Nelli Regis Hiberniæ, mentionem faciunt Annales Ultonienſes, ad Annum Dom. CCCCLVIII. Et Scythas olim per Ventum & Acinacem juráſſe tradit Lucianus, in Toxari. Neque mirum videatur Ethnicos Hibernos Ventum coluiſſe, cùm certum ſit Auguſtum Cæſarem, *Circio* vento templum condidiſſe in Gallia. Jocelinus monachus Ciſtertienſis cœnobii Furneſſenſis apud Lancaſtrienſes, in vita S. Patricii, cap. 56, jam dictum Lœgarium adoráſſe tradit Idolum quoddam dictum *Ceancroithi, id eſt, caput omnium Deorum, eo quod* (inquit) *reſponſa dare putabatur, à populo ſtulto*. An eo nomine Apollinem Hiberni intelligerint, dubium. De alio Idolo quod ſub eodem tempore *Clochoræ*, è lapide aureo (unde urbi nomen) reſponſa dare ſolebat, fit mentio in Regeſto Clochorenſi. Neque hîc prætermittendum Saxum illud fatale *Liafail* olim dictum, à *Thuathededanis* in Hiberniam portatum, atque inde regnante Moriertacho Ercæ filio, ad Ferguſium fratrem in Argatheliam miſſum, ſed à Kenetho rege ligneâ cathedrâ poſteà incluſum, Regibus Scotorum conſecrandis, in Monaſterio Sconenſi collocatum, ac tandem à Rege Edwardo Primo Angliæ, Weſtmonaſterium tranſlatum. De hoc Saxo mira feruntur; Sed quàm verè judicent alii: Speciatim fama tenet, Ethniciſmi temporibus, ante Chriſtum natum, eum duntaxat Hiberniæ

Monarcham

Monarcham approbatum, ſub quo ſaxum illud collocatũ, ingemiſcebat, vel (ut liber Houthenſis nuper penes Thomã Staffordiũ equitem habet,) loquebatur. De Orbis univerſi falſis Oraculis, nato Chriſto, plerúmque obmuteſcentibus, vide quæ habent Euſebius, Præparationis Euangelicæ lib. 5, Suidas, in Auguſto, & Nicephorus Caliſtus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ lib. 1. cap. 17. Sed ad rem. Hujus erant ſectæ Magi illi quos adventum ſancti Patricii in Hiberniam, tribus annis antequàm veniret, prædixiſſe, narrat jam dictus Jocelinus, in vita ejuſdem Patricii, quam deſcripſit, circa annum MCXC. Superſtitio Druidum in Hibernia permanſit, uſque ad admiſſam ibi religionem Chriſtianam. Sacerdotes Ægyptii ſcientiam ſuam Hieroglyphicis, vice literarum, obſcurabant; unde Lucanus,

——————*Volucréſque feræque*
Sculptáque ſervabant magicas animalia formas.

Atqui Druides non fas eſſe duxerunt myſteria ſua ſcriptis, aliquo modo, communicare: Sed ut per traditionem, à majoribus, per manum receperunt, ita poſteris reliquerunt. Talem traditionem Judæi Cabalam appellârunt, etiamſi reverà vana eorum ars Cabaliſtica, nihil minus fuerit quàm Cabala, utpote deſcripta (quaſi ænigmatis) literarum numeris & tranſpoſitionibus, vocum inverſionibus, alluſionibus, amphibologiis, homonymiis. Druidibus opinionem de Pythagorica migratione animæ poſt mortem; aſſignant Cæſar & Diodorus Siculus. Apud Lucanũ fit mentio doctrinæ eorũ, de aliâ longâ vitâ, & alio Orbe; at de Pythagorico eo dogmate, de animæ migratione, vel metempſychoſi, altũ eſt ſilentiũ; Sic enim ille, lib. 1,

——————Vobis auctoribus umbræ,
Non tacitas Erebi ſedes Ditiſque profundi
Pallida regna petunt: Regit idem ſpiritus artus
Orbe alio, longæ, canitis ſi cognita, vitæ,
Mors media eſt.

Cui conſentiunt Pomponius Mela, lib. 3, cap. 2. & Ammianus Marcellinus, lib. 15. Denique Druidæ tempora numerârunt, non à Solis, ſed Lunæ curſu, ut è Plinio liquet, lib. 17, cap. ultimo. Sed de Druidis, ſatis.

Sect. 2. Ad Bardos jam ventum eſt; Illi Poëtæ erant, ut è Strabone liquet, lib. 4 Geographiæ. Bardus juxta Pompeium Feſtum, *Gallicè Cantorem ſignificat, qui virorum fortium laudes canit.* Diodorus Siculus, lib. 5, Factorem cantionum appellat, & Lucanus lib. 1, Poëtam ſive vatem,

Vos quoque qui fortes animas belloque peremptos
Laudibus, in longum, Vates, dimittitis ævum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.

Hujus generis fuit Dubtachus Vulgairi filius, Poëta egregius Hibernicus, qui ab Ethniciſmo ad fidem Chriſtianam converſus, *Carmina quæ quondam ſtudio florente peregit, in laudem falſorum Deorum, jam in uſum meliorem mentem mutans & linguam, Poëmata clariora compoſuit, in laudem Omnipotentis Dei & ſanctorum ejus Præconium.* Ita Jocelinus, in vit. Sancti Patricii, cap. 45. Cæterùm recentioribus temporibus, inferioris notæ Poëtæ, vulgò dicti Rythmici (Anglicè **Rimers**,) Bardi ibi appellabantur, Hique Rythmos plerùmque compone-

componebant, vel ad Juventutis corruptelam, vel ad Seditionis incitamentum: Qui abuſus anſam tandem præbebant ſanciendi Statuta quædam Parlamentaria contra eos eorúmque receptores. In Wallia, Bardi juxta D. Povellum, cuſtodiebant etiam nobilium Inſignia & Genealogias. De antiquioribus, vide plura, in legibus Hoëlis *Dha*, i. boni. Denique non hîc prætermittendum ſcriptores aliquos Latinos Bardum, pro ſtolido & impolito accepiſſe, quia hujuſmodi Poëtæ, barbari iis videbantur. Ad carminum *relatum* quod attinet, *Barditum vocatum*, Richardus Vitus, è Pſeudo-Beroſo, ita dictum vult *à Bardo Britannorum Rege 5. carminum & illius muſicæ inventore, & inde vocatos Bardos, Poëtas melodes*, Sed à viris doctis exploſa eſt ea fabula, unà cum cæteris commentis Annii Viterbienſis, qui primus ſuppoſititium illum Beroſum mundo obtruſit.

CAP. VI.

De variis nominibus quibus veteres Hiberni Externos appellârunt, præſertim Vicinos.

Hiberni veteres, Externos, præſertim vicinos Europæos, cujuſcunque fuerint nationis, non rarò Gallos promiſcuè appellabant. Hinc Regiuncula prope Dublinium, verſus Septentrionem, à Norwegis olim occupata, vocabatur *Fingall*; Item Dermitius Murchardi filius rex Lageniæ dicebatur *Ni-gall*, quaſi Anglorum amicus, quòd ejus gratiâ, Angli, regnante Henrico II, Hiberniam invaſerant. Ita Judæi aliquandò omnes extraneos, *Græcos*

appellabant, ut colligere eſt ex Epiſt. S.Pauli ad Romanos,cap.1.ver.16. Atque,ut ad noſtra tempora veniamus, ita in Regionibus quibuſdam orientalibus,Europæi fermè omnes etiamnùm Franci appellantur. Non negandum tamen Anglos ab Hibernis vulgò dictos Saxones, item Danos & Norwegos,qui magnam Hiberniæ partem ſubjugârunt Seculo IX, ac Dublinium, Waterfordiam, Limericum, aliaſque maritimas urbes uſque ad ipſum Anglorum adventum, ſub jam dicto Henrico poſſederunt,quandóque appellatos *Normannos*,quaſi viros Aquilonales, quandoque *Oſtmannos*, ſive viros Orientales. Hiſque nomen ſuum debet Aquilonale Dublinii ſuburbium, quod adhuc **Oſtman-town** dicitur, & corruptè **Oxman-town**. Sunt qui Normannos hoſce, ſive Oſtmannos,in *Dub-gallos* & *Fin-gallos* dividunt, & per *Dub-gallos*, ſive *nigros exteros*, Danos intelligunt, per *Fin-gallos*, ſive *albos exteros*, Norwegos.Neque hâc occaſione omittendi ſunt Scoto-Britanni quos Hiberni vulgò Albanos vocârunt, neque Cambri ſive Walli quos Brannas & Britannos appellârunt. Cæterùm ex his quæ dicta ſunt,(ut ad Gallos redeamus) ſupereſſe liquet veſtigia quædam Gallorum veterum, quos Edmundus Spenſerus, in Dialogo inter Eudoxum & Irenæum, de Statu Hiberniæ, auſtrales Hiberniæ partes olim occupâſſe cenſet, ac conjecturam firmat, à Menapiis Galliæ veteris populis, quos Ptolemæus inter incolas Euro-auſtralium Inſulæ partium poſuit. Huic conjecturæ vigorem etiam adjiciunt arma quædam Hibernica, Gallicis antiquis ſimilia, Jacula nimirùm peditum levis armaturæ

quos

quos *Kernos* vocant, necnon Secures & Loricæ ferreæ peditum illorum gravioris armaturæ, quos *Gallo-glaſſios* appellant. Itèm, quia Hiberni veteres ſylveſtres comas ſuas intortas, **Glibbs** vulgò dictas, alebant, more Gallorum & Britannorum veterum. Scio Saxonem Grammaticum, lib. 5 Hiſtoriæ Danicæ, aſſeruiſſe *Hibernorum gentem novaculis* olim *comam extenuâſſe, & totum occipitii crinem obraſiſſe, ne fugiens capillitio teneatur.* Atqui ſatis nota ſunt ejus figmenta. De Britannorum veterum capillitio, vide quæ ſuprà diximus, Cap. 2. De Gallorum autem, conſule Diodorum Siculum, Lib. 5, Plinium, Lib. 3. cap. 20, & Dionem, Lib. 46, ſub finem, ubi Galliæ Tranſalpinæ partem alteram dictam aſſerit *Comatam*, quòd incolæ comam gerebant promiſſiſſimam, eóque à reliquis dignoſcebantur. Neque in comâ tantùm imitabantur Britannos & Gallos veteres, ſed etiam in barba, quàm alebant tantùm (ut ſuprà diximus) in ſuperiori labro. Ita Britannos olim barbam aluiſſe teſtatur Cæſar, ita Gallos, jam dictus Diodorus. Eundem morem apud Anglos in Hibernia, præſertim qui *Marchias* habitârunt: poſteà viguiſſe docet Statutum editum in Parlamento Trimmæ habito, anno MCCCCXLVI, coram Johanne Talboto comite Salopiæ, Hiberniæ *Locum-tenente*, & ut Angli ab Hibernis faciliùs diſtinguerentur, ſub gravi pœna tunc prohibitum. Sed pergamus. Unde derivetur Donegallia in Ultonia, an ut à Gallæcis Hiſpaniæ, vel à Gallis olim occupata, quærant alii: mihi certè prorsùs ignotum. Externos fermè

omnes Europæos, ab Hibernis, ſæpè Gallos olim appellatos, firmat (præter ea quæ ſuprà diximus,) Hibernici cujuſdam dictum, à S. Bernardo, in vita Malachiæ Archiepiſcopi Armachani, memoratum, *Scoti ſumus non Galli.*

CAP. VII.

De Hiberniæ Ornamentis, Commodis & Privilegiis quibuſdam ſpecialibus.

REgionum Ornamenta & Dotes quibus homines ad eas poſſidendas ut plurimùm alliciuntur, ſunt ſoli fertilitas, aëris ſalubritas, ſylvæ, planities, metallorum fodinæ, latomiæ nobiles, fluvii navigabiles & piſcoſi, portus tuti & ampli, maris vicinitas ad mercaturam exercendam, & neceſſaria ad victum humanum. In his omnibus (ut de Urbibus & quæ hominum arte & induſtriâ fiunt, hîc taceam,) admodùm felix eſt Hibernia. Sed quod rariſſimum eſt, & nulli ferè regioni habitabili præterea, per totum orbem, à Deo conceſſum, hæc Inſula (Hibernia dico) nullum alit animal venenoſum; nè quidem aliundè invectum: Habet quidem araneas & lacertas, ſed eas non venenatas. Terræ-motus ibi rarò aut nunquàm, vel quando contingit, inter prodigia habetur, Tonitru rariſſimè, non ibi rigor eſt nimius hyemis, neque ardor æſtatis. Inter quadrupedes, notandi inprimis Equi, quos Hobinos, ſive **Hobbyes** vocant, ob mollem greſſum, magno in pretio habiti. Aſturcones olim dictos notat Johannes Major, utputa ab Aſturibus Hiſpaniæ in Hiberniam primò

mò deductos. Ab hoc equi genere (ut id obiter adnotemus) equites quidam levis armaturæ dicti ſunt Hobellarii. De 2000 Hobellariis, ex Hibernia contra Scotos, per mandatum regis, mittendis, fit mentio in rotulo Patent. an. 15 Edwardi 2, par. 2, membr. 19, penes cuſtodem Archivorum arcis Londinenſis; Sed quot fuerint miſſi, non comperi. In exercitu Edwardi 3 Caletum obſidentis, anno Dom. MCCCXLVII, numerati ſunt (inter alios milites) ſub Mauritio comite Kildariæ, Hobellarii 27, & ſub Domino Fulcone de la Freign Hiberno, Hobellarii 14. Ex hoc genere, 12 *candoris eximii, purpurâ & argenteis habenis exornatos, in Pompa Summorum Pontificum, ſeſſore vacuos*, ſe *duci vidiſſe* teſtatur Paulus Jovius. Neque hîc prætermittendi ſunt Canes illi venatici, quos vulgò, à perſequendis lupis, Canes luporum vocant, robore, magnitudine, & elegantiâ eximiâ præditi. Inter volucres, Aquilæ, Accipitres qui anſeres capiunt, Anglicè **Goshaukes**, aliis (ni fallor) Phaſianophani dicti, Falcones, Haliæti, ſive Aquilæ Marinæ & Æſalones. Item Galli (ut vulgò appellantur) ſylvarum, iidem ſcil. cum iis quos Giraldus Cambrenſis, Diſtinct. 1, cap. 10 Topograph. Hiberniæ, Pavones ſylveſtres vocat, Pavonibus magnitudine æquales. Ibi etiam inveniuntur Margaritæ, ſed pleræque vel pallidæ vel ſubfuſcæ. His addendæ piſcaturæ copioſæ Salmonum, Halecum & Halecularum **Pilchards** vulgò dictarum, quæ ſalitæ & doliis incluſæ, quotannis, magno mercatorum lucro, in partes tranſmarinas exportantur. Neque poſſum non hîc memorare magnam navium multitudinem, quæ bobus, ovibus, carne

bovinâ, coriis, pellibus, lanâ, lino, plumbo; ferro, ſtragulis, &c. onuſtæ, noſtrâ ætate, ſolitæ fuerunt quotannis ex Hibernia in partes tranſmarinas exportari. Item ad Hiberniæ Dignitatem, vide ſi placet argumentum Oratorum Henrici quinti Regis Angliæ, in Concilio Conſtantienſi, inter Acta ejuſdem Concilii Mſſ. in Bibliotheca Cottoniana.

Reſtat ut aliquid hîc dicamus, de viris ſanctis (maximis illis Inſulæ ornamentis) qui Chriſti Euangelium prædicârunt, primis ſurgentis Eccleſiæ Hibernicæ temporibus, vel in ipſa Hibernia, vel in partibus tranſmarinis. Acta eorum, licèt compendio deſcripta, juſtum requirunt tractatum. Satis videatur hîc indicare Hiberniam, ob eorum multitudinem, meritò olim dictam Inſulam Sanctorum, & Sanctorum Patriam. Nuda eorum nomina, etiam eorum quorum res geſtæ deſcriptæ extant, ſubjungere, ſnpervacaneum videatur: veruntamen eorum partem potiorem, unà cum temporibus quibus claruerunt & actis nonnullis, aptiùs petant poſteà qui volunt, in Diatriba noſtra de Baſilicis Hiberniæ.

CAP. VIII.

De Taniſtria, Lege Brehonica & Conſuetudinibus dictis Goſsipred, Foſtering *&* Gavel-kind.

LEges & conſuetudines Anglicanas, unà cum ipſo Anglorum adventu in Hiberniam, ſub Henrico II, fuiſſe introductas, deindè à Johanne Rege, firmiùs ſtabilitas & Dublinii in Scaccario, ſub ſigillo ſuo relictas, non negandum; vim tamen & virtutē poſteà, per aliquot annorū centurias,

turias, non extendiſſe, ultra regiones ab Anglicâ gente habitatas liquet: Nam in cæteris Hiberniæ partibus, vigebat Taniſtria, cum lege Brehonica & Gaveleto; quæ etiam leges & conſuetudines inter Anglicos nonnullos, (etiam melioris notæ) paulatim irrepebant, ut è Statuto in Parlamento Kilkenniæ edito anno XL Edwardi III, ſub Leonello Duce Clarentiæ Hiberniæ *Locum-tenente*, liquet, in quo Anglici, in omnibus controverſiis, gubernari jubentur, per communem Legem Angliæ, & qui ſe ſubmitteret Legibus vel *Brehonorum*, vel *Marchiarum*, proditor declaratur. Cæterùm Statuto eo non obſtante, Leges & conſuetudines illæ Hibernicæ, à quamplurimis Anglicæ Gentis, hîc & illîc poſteà erant receptæ. Neque ante pacem, ſub Jacobo Rege redditam, Leges Anglicanæ univerſim, per totam Hiberniam, receptæ & agnitæ. Lege Taniſtriæ, (de qua nunc agimus) Jus hæreditarium ſucceſſionis, apud Magnates, ſeu Regionum Dynaſtas, non obſervabatur, ſed qui viribus & clientela potentior, plerúmque Senior & digniſſimus ſanguinis & cognominis defuncto Dynaſtæ ſuccedebat, Iſque, poſtquàm communibus populi ſuffragiis, vivente prædeceſſore, ſucceſſor deſignatus fuerat, *Taniſta* tum dicebatur, quaſi ſecundus; quod nomen derivatum videtur à *Thanis*, viris apud Saxones honoratis, è quibus, qui ſuperioris erant claſſis, Thani Regii, i. e. Regis Miniſtri appellabantur. Dynaſta ſive Dominus factus, ſe ſuámque ſequelam ſuſtentabat, partim ex terris quibuſdam menſalibus, **Loghty** dictis, præſertim verò ex tallagiis vocatis **Cosherings**, &c. ad libitum ſuum impoſitis, Ec-

clefiæ

cleſiæ poſſeſſionibus & eorum quibus ſpecialia concedebat privilegia, exceptis. Sic quot apud eos Domini, tot Tyranni. Habebat is Judices quoſdam *Brehonos* dictos, qui ſtatis temporibus, ſub dio, in colle aliquo plerúmque, è ſedibus aggeſto ceſpite conſtructis, Jus dicebant vicinis,coram iis litigantibus.Hi Juris Anglicani imperiti erant, ſed in rebus ad eorum Judicium pertinentibus,Aphoriſmis,partim ex Jure Civili & Canonico deſumptis, partim ex præſcriptis & conſuetudinibus quibuſdam Hibernicis, ſe dirigebant. Et ut Brehonos habebat unius ſtirpis ſive familiæ, ita etiam Hiſtoricos, Medicos, Chirurgos, Poëtas & Citharœdos aliarum peculiarium familiarum, quibus ſingulis ſua aſſignata ſunt prædia. Aſſerebat etiam ſibi (ſi ex Dynaſtis potentioribus eſſet) poteſtatem Belli vicinis indicendi, & cum iiſdem Pacis ineundæ. Cæterùm, ut ad legem Brehonicam redeamus, eâ lege homicidium, raptus & furtum mulctâ è peculio, *Eric* dictâ,puniebantur.Mulctæ adjudicatæ Brehonus habebat pro ſalario partem undecimam. Hoc mulctæ genus Scoti Albanienſes (quibus idem mos in uſu olim erat) *Cro* appellabant. Vid.Spelman. in voce *Cro*. Latrocinium verò ex finibus alienis importatum, tanquàm pro bono publico actum, honeſtum atque laude & præmio dignum, more Spartæ & veteris Galliæ, exiſtimabatur.

Duæ aliæ erant Conſuetudines dictæ **Goſsipred** ſive compaternitas & **Foſtering** ſive liberorum educatio à nutritiis, quæ per temporum corruptelam, multorum malorum erant fontes; Hinc enim profluebant (quod mireris) combinationes & confœderationes Partium

tium, ortâ aliquâ diſcordiâ inter potentiores, in omnibus rebus tàm licitis quàm illicitis. Atque ita, ex his quæ dicta ſunt, miſerrima ſubditorum conditio, in locis ubi iſtæ conſuetudines vigebant, perſpici poteſt.

Denique ut caput hoc claudamus, reſtat tantum ut aliquid hîc dicatur de conſuetudine Gaveleti, nos Gabel-kind dicimus. Ad Etymon quod attinet, *Lambardus* ejuſque ſequaces exponunt eſſe fundum omnibus cognatione proximis datum, à Sax. ᵹiꝼe-eal-cẏn; Sed probabiliùs opinor Somnerus, in Gloſſario, à Saxon. ᵹaꝼel i. *cenſus*, *tributum*, *penſio*, & cẏnd, *natura*, *genus*, *conditio*, Sic Gabel-kind, *fundum ſignificat cenſualem, vel tributarium, redditui annuo, cæteriſque plebeiorum prædiorum ſervitutibus & oneribus obnoxium*. De hoc diſquirant alii. Hâc conſuetudine, apud Hibernos, Hæreditas defuncti, (infra Taniſtæ gradum) diviſa fuit æqualiter, inter filios, tam nothos quàm legitimè natos, & iis deficientibus, inter proximos hæredes maſculos, fæminis penitùs excluſis ab hæreditate: in his contra morem priſci Gaveleti Anglo-Saxonici, quo fæminæ ſolebant adire hæreditatem, deficiente prole maſculâ, & nothi excludebantur ab hæreditate. Hinc quilibet filiorum, licèt pudendâ preſſus paupertate, generoſum ſe exiſtimans, agriculturâ, mercaturâ, vel arte aliquâ mechanicâ inſtrui dedignabatur. Neque eſt prætermittendum conſuetudinem eam Hibernicam Gaveleti, in Venedotia, ſive Wallia Boreali, etiam uſitatam fuiſſe, uſque ad annum 12 Edwardi Primi, quo, per Statutum *de Rutland*, dicta conſuetudo fuit reformata, & ita remanebat, donec demùm anno 34 Henrici

rici VIII, per aliud Statutum, penitùs fuit abolita. Extant etiamnùm, ut accepi, volumina nonnulla, in quibus conſcriptæ ſunt Hibernicè Leges aliquorum Regum antiquorum Hiberniæ, ante Anglorum ingreſſum, promulgatæ, quæ ad formam Regiminis apud veteres Hibernos detegendam, proculdubiò ſunt perquam neceſſariæ,& plenum merentur ſcrutinium.

CAP. IX.

De Hibernorum veterum Cognominibus; & quando Cognomina cæperint eſſe fixa & familiis annexa.

PRopriis Hibernorum veterum nominibus addita ſunt cognomina, vel à re geſta,vel ab animi qualitate, vel à colore, vel à corporis ſive notâ aliquâ, ſive defectu, vel à caſu, vel ironicè. Sic Nellus Rex Hiberniæ dictus eſt *Nigialac*, quòd à Regulis, novem obſides exegerat, eóſque aliquamdiù, compedibus vinctos, detinuerat, Brienus Rex, *Boruma*, quòd tributum annuum ita dictum, à Lagenienſibus recuperaverat, Cænfela, *Sapiens*, S. Barrus, *Finbarrus*, ſive Barrus albus, S. Cominus, *Fada*,hoc eſt longus,& Æd *Clericus barboſus*, à prælonga barba ita dictus, in impreſſo Mariano Scoto, ad an. MLIII,malè Attdericus vocatus. Non ſecùs ac apud Græcos, Seleucus III Rex Syriæ dictùs eſt *Ceraunus*, i. Fulmen, ob præcipitem naturam, Ptolemæus VII Rex Ægypti, Phyſcon, ſive ventricoſus; ob ventris craſſitudinem, & (ut cæteros

ros prætermittam)Ptolemæus penultimus, *Auletes*, ab inſano tibiarum amore: vel ut, apud Romanos, M.Valerius dictus eſt Corvus, & poſteri ejus Corvini, quòd Gallum provocantem, Corvi advolantis ope, duello interfeciſſet, alter Scipio, Africanus, alter, Aſiaticus, hic, ob partas victorias in Aſia, ille, in Africa; Sic qui abſente patre editus, Proculus vocatus, qui defuncto, Poſthumus, & qui claudus, Claudius. Sed de cognominibus Romanis, qui plura ſcire avet, conſulat Plutarchum, in vita C.Marcii Coriolani. Ad Hibernica jam redeo. Atque notandũ hîc quòd veteres Hiberni præter cognomina, de quibus ſuprà fit mentio, nomina alia etiam, more illo antiquo, è paterno nomine acceperunt, ut Dermitius filius Cormaci, Cormacus filius Donaldi, Donaldus filius Tirdelvaci, &c.

Regnante tandem ſupradicto Brieno, Hibernorum Cognomina, ſive familiarum nomina cœperunt eſſe fixa poſteriſque tradita, cum præpoſita vel aſpiratione *h*, vel voce *ua*, quæ poſteà mutata eſt in vocalem [*O*] & ſignificat unum è poſteris viri alicujus Primarii, ut O-Brien, O-Conner, &c. Non paucæ tamen familiæ, per aliquot poſteà annorum centurias (quod fatendum) fixa cognomina non aſſumpſerunt. Obſervant alii circa annum Dom. Milleſimum, (quo vixit Brienus) Cognomina etiam fixa eſſe cœpiſſe, in Gallia, Anglia & Scotia, primùm inter nobiliores, & pedetentim poſteà, inter alios inferioris notæ. Denique in Hibernia, nonnullis ex ſingulis familiis Hibernicis, etiam poſtquàm cognomina eſſent fixa,

agnomina


agnomina quædam fuerunt addita, ut *Bane*, i. albus, *Boy*, i. flavus, *Bacca*, claudus, *Moil*, calvus, &c. Idemque mos ſenſim inter aliquas Anglicæ proſapiæ familias irrepſit. De hoc argumento plurium cupidus petat Paralipomena Anglica, ſive reliquias V. CL. Gulielmi Camdeni, ubi meſſem inveniet uberem, præſertim de Origine Cognominum Anglicorum. Ad alia jam tranſeamus, quæ ut difficiliora, ita fortè gratiora.

CAP. X.

Hiberniæ Antiquæ Populi & Loca, de quibus fit mentio apud Ptolemæum, qui floruit ſub Antonino Pio: unà cum adjunctis Nominibus recentioribus.

REm arduam hîc aggredior, tantaque obſcuritate paſſim involutam, ut hæreant ſæpè qui acutiſſimi quicquam certò ſtatuere. Siquidem nomina antiqua, temporum revolutionibus, ita mutata ſunt, ut in hodiernis, ſæpiſſimè, vix veſtigia aliqua veterum remaneant, &, ut cum Seneca loquar, *nova Urbium fundamenta jaciuntur, nova Gentium nomina, extinctis nominibus prioribus, aut in acceſſionem validioris converſis, oriuntur:* Idcirco tanquàm optimi duces habendi locorum ſitus, prout à Ptolemæo, ex Marino Tyrio plerúmque deſcripti inveniuntur. Facem mihi in multis, quod libens fateor, prætulit Camdenus; quan-

quàm non negen
ritatis ſtudio, a
Neque deerunt
ra invenient c
qualiacunque ſu
betico, lectori
nà cum *Tabula*
berniæ veteris, ſe
tis duntaxat *Lu*
ruit ſub Theod
nem graduum
quod attinet, vi
2, cap. 1, quæ
ſinceram lection



lacus
o Lon-
deno,
urb e-
n per-
eſt opi-
Galiva;
nnales
l ann.
n Gal-
ni ſuô
ed no-
ur alii.
partes
iæ ho-
enſis &
intur.
in ſe
becula
ls head
allenſi
es quæ
nitatus
kenni-
us, qui
aliquot
ſociat:
s mon-
bloom,
eis diù
lé eo-
demq;

agno
i. all
Moil
inter
repſit
petat
as V
ſem i
ne C
tranſ
gratio

Hiber
fit
ſ

R
reant
ſtatue
porum
in ho
veteru
nova
Genti
bus ,
oriunti
haben
ex Ma
venium
libens



A.

Argitæ flu. Oſtium. Nunc portus ſeu lacus dictus *Loghfoil*, in agro Londino-derenſi, Camdeno, *Suilly* lacus.

Auſona flu. al. Auſoba. Fluvius è lacu Curb emiſſus, qui Galviam perluit. Hic flu. idem eſt opinor cum Galvia ſeu *Galiva*, cujus meminerunt Annales Roſcomanenſes, ad ann. 1177 & 1190. Flumen Galviam Urbem nomini ſuo adoptâſſe videtur. Sed nominis ratione venentur alii.

Auteri populi. Hi olim incolebant partes aliquas regionum, quæ hodiè comitatus Galvienſis & Roſcomanenſis dicuntur. Auterorum nomen in ſe prodit Athenria urbecula in pago Galvienſi.

B.

Boreum Promontorium. Hodiè Saint Helens head al. Telen, in Donegallenſi Comitatu.

Brigantes pop. Habitabant regiones quæ nunc appellantur comitatus Catherlaghenſis, Kilkenniensis & R ginalis.

Brigus flu. al. Birgus. Hodiè Barous dictus, qui Neoro auctus, poſt aliquot milliaria, Suiro ſe conſociat. Hi tres fluvii è Bladinis montibus Hibernicè *Sleu-bloom*, profluũt, & diviſis alveis diù decurrentes, uno tandẽ eo-

 demq;

demq; oſtio in mare ſe exonerant, prope turriculam de *Hook*, in agro Wexfordienſi, unde *tres ſorores* olim dictæ.

Buuinda flu. Qui, nomine non prorsùs deperdito, *Boinus* hodiè dicitur, Nechamo, *Boand fluvius in Midia*, à *Boan* dictione tam Britannica quàm Hibernica, quæ velocem ſignificat, ita, ut opinantur, denominatus.

C.

Cauci pop. Olim incolebant regiones quæ nobis hodiè comitatus Wickloenſis & Kildarenſis appellantur. Hi de Caucis Germaniæ orti videntur. Vid. Ortelii Theſaur. Geograph. in *Chaucis*.

Coriondi & Vdiæ al. Vodii pop. Hi olim inſidebant regiones quæ hodiè dicuntur Com. Corcagienſis, Tipperarienſis & Limericenſis. Corcagia urbs Coriondorũ nomen in ſe prodere videtur. An Coriondi hi à Coritanis Britanniæ in Hiberniam demigraverint, dubiũ. Haud multùm ſanè abludunt nomina.

D.

Darnii, vel Darini pop. Incolebant eas regiones quæ nobis hodiè vulgò appellantur Comitatus *London-dery*, *Antrim* & *Tir-oen*. In Deria (olim *Daire-calgaic*) nominis Darniorum nonnullæ

nonnullæ ſuperſunt reliquiæ, uti etiam in Dalrieta, quo nomine ager Antrimenſis, vel magna ejus pars Routa hodiè dicta, antiquitùs appellabatur.

Daurona flu. Camdeno, *flumen quod Corcagiam præfluit, Giraldo Cambrenſi*, (ut ille habet) *Saverennus*. Giraldus quidem Topogr. Hiberniæ diſtinct. 1, cap. 6, aſſerit *Saverennum & Luvium per Corcagiam* (Provinciam ſcil. ita dictam, non urbem) manare. Fluvius verò qui urbem eam circumfluit, hodiè Læus dicitur, & eundem eſſe cenſeo cum jam dicto Luvio. Daurona autem nunc (ni fallor) *Aven-more*, i. e. fluvius magnus, qui Oceanum prope Yoghallam ingreditur.

D.

Dunium. *Dunamauſe*, in Comitatu Reginæ, ut ſitus loci apud Ptolemæũ, à quo inter urbes mediterraneas numeratur, indicare videtur. Ibi, ante aliquot ſecula, Marchiæ comites caſtrum habuerunt firmiſſimũ, æditiori colli impoſitum, cujus cadaver etiamnùm viſitur. Camdenus quaſi ſub alio ſole locat, & Dunum vult eſſe in agro

Dunenſi. *Dunum* priſcis Gallis, Britannis & Saxonibus, montem ſeu collem denotabat, unde Lugdunum in Gallia & Dunelmum, Camalodunum Sorbiodunum, & ſimilia in Angliâ manârunt.

Dur. flu. Dingliæ ſinus, ſeu Mangi flu. oſtium, in agro Kerrienſi, Camdeno, malè fluviolus qui Traleiam præterfluit, *Dur.* Britannis aquam denotat, ut habet Humfredus Lhuydus Cambro-britannus, & ventos venare videtur qui aliam vocis originem indagat.

E.

Eblana urbs. Dublinium Hiberniæ Metropolis, Jocelino, *Athcliath*, aliis, *Ballecliath*, id eſt, *Opidum ſuper crates*, utpote ſubjectis olim in paluſtri loco cratibus, conditum.

Eblani pop. al. Blanii Incolebant regionem prope Dublinium quæ nunc ager Dublinienſis appellatur, nec non Midiam, vel majorem ejus partem.

Edri Inſula. Plinio, *Andros.* Hæc Inſula à Ptolemæo, inter eas ponitur quæ orientali parti Hiberniæ adjacent. Et eadem eſt, uti conjicio, cum *Beg-Eri*, id eſt,

eſt, parva Hibernia, Inſula ſub oſtium Slani flu. in agro Wexfordienſi. Camdenus *Berdſey* al. *Enhly* vult eſſe, quæ ad Caernarvonenſem agrum in Wallia ſpectat. Sed perperam opinor.

Erdini pop. — Hi olim habitabant regiones quæ ſunt prope lacum & flu. *Ern*, ſpeciatim utramque *Breniam* & regionem quæ hodiè appellatur com. Fermanaghenſis. In *Erno*, nominis Erdinorum reliquiæ ſuperſunt.

G.

Gangani pop. — Incolebant Tuomoniam & auſtrales aliquas partes agri Galvienſis. Camdenus ortos putat à Concanis Hiſpaniæ, à Scythis procreatis.

H.

Hieron, id eſt, ſacrum Prom. — *Grenore*, non longè à portu Wexfordienſi. Sunt qui locum, Salangam, & poſteà montem Domini dictum volunt, vel montem S. Dominici (Oſſorienſis ſc.) de quo loquitur Giraldus Cambrenſis, Topograph. Hiberniæ diſt. 1, c. 5.

I.

Iernus flu. — Kilmar flu. in agro Kerrienſi, ubi portus eſt nobilis.

Iſamnium Prom. — Nautis dictum **Saint Johns foreland**, in agro Dunenſi.

Juernis. Dunkeran eſſe cenſuit Camdenus ad Iërnum flu. Quid judicem neſcio: in hâc re me cæcutire fateor.

L.

Laberus. Forte *Cenanus*, vel *Canenus*, temporis progreſſu nunc vulgò *Kells* in Midia, antiquitùs inter inſigniores urbes numerata, Joſ. Moleſio, *Ampreſton* neſcio quæ, Camdeno, *Killair* in Midia Occidentali. Sed in hâc urbe indagandâ deſudent alii.

Libnius, al. Liboeus flu. Sligous flu. quem Slichneium vocat Giraldus Cambrenſis, & ſitus apud Ptolemæum Sligoæ ſinum indicat. Camdenus malè eundem vult cum *Liffio* flu. qui Dublinium perfluit.

Limni Inſula. Nunc *Lambey*, Inſula litori vicina, ad agrum Dublinienſem ſpectans, idque tùm nomen indicare videtur, tum ſitus apud Ptolemæum, Camdeno, *Ramſey*, apud Penbrochienſes, in Wallia. Lambeia exponitur *inſula agnorum*, ſicuti jam dicta Ramſeia, *inſula arietum*, & Shepeia in Cantio, *inſula ovium*.

Logia. flu. Bannus flu. (ex Lacu *Logh-eagh* ampliſſimo emiſſus) in limite Orientali agri Londinoderenſis, opimâ Salmonum

Salmonum piſcatione celebris, Villanovano, corruptè *Bone*, Camdeno, lacus *Logh-foil*,

M.

Macolicum. Mercator & Camdenus hunc locum *Malc* vocant. Sed ubi locum ſic dictum inveniam, planè neſcio, Ego exiſtimo *Milick* eſſe, quam Shenanus alluit, in agro Galvienſi: nec multum abſonant nomina.

Menapia. Situs apud Ptolemæũ, Wexfordiam indicat. Sunt verò qui eandẽ cum Waterfordiâ putant, Hibernis & Cambris *Port-largi* dicta. Vox **Ford** in poſteriore parte utriúſq; nominis, exoticam ſapit originem; Anglis & Germanis vadum ſignificat vel trajectum, Sic **Oxford** in Anglia, utraque Francofordia in Germania, à vadis vel trajectibus nomina ſua deducunt.

Menapii pop. Incolebant regiones quæ nunc Comit. Wexfordienſis & Waterfordienſis appellantur. An ex his, vel è Galliæ Belgicæ Menapiis, Carauſius ille fuerit, qui purpuram in Britannia aſſumpſit, Diocletiano & Maximiano imperãtibus, non facilè quis dicat. Videtur tamẽ

 fuiſſe

fuiſſe ex Menapiis Hiberniæ, nam *Menápiæ* civem, eum diſertè appellat Sextus Aurelius Victor. Et *Menapia Vrbs* (ut rectè notat Camdenus) *Non in Belgica, ſed in Hibernia* à Ptolemæo ponitur, licèt *Menapiorum* populus utrobique ab eodem ſtatuatur.

Modonus flu. Nunc (antiquato priore nomine,) Slanus vocatur, in agro Wexfordienſi, ut ſitus apud Ptolemæum innuit.

N.

Nagnata. al. Magnata. Hanc urbem inſignem appellat Ptolemæus. Situs loci apud eum, locum aliquem denotáre videtur non procul à Sligoa. Atqui in eo tractu, nulla (quod ſciam) veſtigia ſuperſunt urbis ſic dictæ, ita omnia delet temporis vetuſtas. Sunt quidem nominis antiqui reliquiæ, in *Magio* hodiè Maio, (cujus meminit Beda) nota proximi (ad auſtrum) comitatus villa, Ptolemæi tamen *Magnatam* fuiſſe, repugnat ſitus diſtantia, Fortè ſuſpicentur aliqui urbem loco ſuo apud eum paulùm exturbatū. Sed hæc viderint alii.

Nagnatæ pop. al. Magnati. Nagnatæ, vel, pro exemplarium varietate, Magnati incolebant regionem quæ hodiè

hodiè dicitur ager Sligoenſis, fortaſſe etiam pagum Maionenſem.

Notium, ſive auſtrale prom. Nautis **Miſſen-head** in comitatu Corcagienſi.

O.

Ovoca al. Oboca. flu. *Aven-more*, vel *Owen-more* ut vulgò appellatur, id eſt, fluvius magnus, qui Arkloam præterfluit in agro Wickloenſi, Joſepho Moletio, perperam, *Arcellius* dictus.

R.

Ravius flu. Ernus fluvius ex Erno lacu emiſſus, in agro Donegallenſi, à Giraldo Cambrenſi Samarius dictus, à Camdeno, Mercatore & Spenſero malè *Trowis*.

Rheba. *Rheban* ad Baroum flu. in agro Kildarenſi, nunc ſolùm caſtello nota, olim urbe.

Ricina Inſula. Inſula *Recran*, vulgò *Rachlin*, Plinio, Ricnea, quæ hodiè pars cenſetur agri Antrimenſis.

Rigia al. Regia. Gerardo Mercatore, Limericum, Gulielmo Camdeno, è nomine & ſitu probabilius, locus aliquis non procul à Loghrie lacu inſuloſo & amplo, in quem Shenanus flu. ſe refundit.

Rigia al. Regia altera. Camdeno *Reglis* in Inſula (petroſâ) Lacus *Derg*, ubi S. *Patricii Purgatorium*. Atqui refragatur tum ſitus.

ſitus apud Ptolemæum, tum ipſius Inſulæ exiguitas, quæ continet vix tres quartas partes unius acræ ordinariæ Hibernicæ. Ego cenſeo *Athnery*, ſeu Athenriam eſſe, in Comitatu Galvienſi.

Robogdii, al. Rhobogdii, & Vennicnii, pop.

Incolebant regionem quæ hodiè appellatur ager Donegallenſis, necnon partem agri Londino-derenſis.

Rhobogdium Prom.

Extremum totius Hiberniæ Promontorium quod Oceano Deucalidonio incumbit, in Pen-inſula de *Inis-Oen*.

S.

Senus flu.

Shenanus, Oroſio *Scena*, fluvius totius Hiberniæ celeberrimus, è monte *Slew-neren* (ita dicto à ferri venis quibus abundat) in agro Leytrimenſi effuſus.

V.

Udiæ, vel Vodii, vid. *Coriondi.*

Velabri pop. nonnullis exemplaribus, *Vellibori.*

Incolebant partes Kerriæ Boreales, An ab Iberis ita nominati, dubium. His Lucenos vicinos facit Oroſius, *ad Scenæ fluminis oſtium.*

Vennicnii pop. vid. *Rhobogdii.*

Vennicnium Prom.

Nautis **Rams-head**, aliis **Horn head**, quod in cornu tenuatur,

tenuatur, in agro Donegallenſi.

Viduæ fluvii Oſtium. Lacus *Suilly*, in eodem comitatu.

Vinderii flu. Oſtium. Carigferguſii ſinus, ſive Laganus flu, qui ibi in mare ſe exonerat.

Voluntii pop. al. Vluntii. Incolebant regionem olim dictam *Vllagh*, ſive Ulidiam, ubi hodiè comitatus Dunenſis. His fortè Ultonienſes nomen ſuũ debent, ſi non, quod alii aſſerunt, Ollomaino regi antiquo ethnico Hiberniæ.

Vterni pop. Vel, pro exemplarium varietate, Iberni, Iberi & Juërni incolebant auſtraliores Deſmoniæ partes. Forſan coloniæ fuerunt Iberorũ: E nomine & poſitu contra Hiſpaniã, hoc conjectare licet.

Hæc, ordine alphabetico digeſſimus. Cæterùm non alienum erit, quantulumcunque ſit, hîc etiam annotare Ptolemæum, in Geographiâ ſuâ, Septentrionale Hiberniæ latus primùm deſcripſiſſe, poſteà Occidentale, deindè Auſtrale, ac demùm Orientale; túmque, poſt latera, civitates mediterraneas, ac poſtremò Inſulas Hiberniæ adjacentes. Ex iis verò plurimæ hodiè inter Inſulas magnæ Britanniæ cui propriores, numerantur, Ebudæ ſci. Maleos, Epidium, Mona-æda & Mona, quas ideò in hâc diſquiſitione prætermiſſimus. Denique cùm de antiqua Hibernia hîc agatur, non tacendum eſt, quod de ea Marcianus Heracleota,

ota, in Periplo ſuo, tradit, *Habet* (Hibernia) *Gentes ſeu Provincias XVI, Urbes inſignes XV, Promontoria inſignia V, Inſulas inſignes VI.* De Hiberniæ veteris deſcriptione, hoc dixiſſe ſufficiat.

CAP. XI.

De Hibernorum veterum Veſtitu & Ornatu.

Sect. 1. SAgum villoſum cum limbo jubato veſtis eſt Hibernica exterior, ad talos uſque fermè demiſſa, In vita S. Cadoci Cambrenſis, *Coccula* dicitur; ubi & deſcribitur *quoddam genus indumenti quo Hibernienſes utuntur, deforis plenum prominentibus jubis, ſeu villis, in modum crinium contextis.* Spenſerus, in Dialogo inter Eudoxum & Irenæum, hanc veſtem latinè dictam vult *Mantile.* Sed malè proculdubiò, Nam Mantile linteolum eſt ad manus tergendas factum, ut è Virgilio liquet. Æneid. l. 1, Ubi de Ænea à Didone hoſpitio excepto, ita canit,

Jam pater Æneas, & jam Trojana Juventus
Conveniunt, ſtratoque ſuper diſcumbitur oſtro;
Dant famuli manibus lymphas, Cererēq; caniſtris
Expediunt, tonſiſque ferunt mantilia villis.

Et Georgic. lib. 4,

—— *Manibus liquidos dant ordine fontes*
Germanæ, tonſiſque ferunt mantilia villis.

Cæterùm Iſidorus lintea *pro operiendis menſis* ſuo tempore *Mantilia* dicta notat. Angli quidem hanc veſtem a Mantell vocant, & in

in eodem ſenſu, Radulphus de Diceto & Johannes Bromtonus *Mantillum* habent, quod nomen à Gallico *Manteau* derivatur, pro pallio nunc uſurpato. Atque ut Pallia Græcorum propriæ erant veſtes, & Togæ Romanorum, unde Virgilius Æneid. l.1,

Conſilia in melius referet, mecúmque fovebit
Romanos, rerum Dominos, gentemque togatam.

Ita Saga Hibernorum veterum. Hac veſte utebantur etiam fœminæ Hibernicæ,talari quam gerebant tunicæ ſuperindutâ. Neque inuſitatum eſt idem veſtimenti genus fœminis Maclovianis in Gallia, id quod notabam, dum ibi eſſem anno MDCXLIX. Porrò ut quod ſentio dicam, valdè probabile videtur Hibernos hanc veſtem laneam à Gallis veteribus mutuatos. Nam Sagum Gallicum eſſe nomen aſſerit Iſidorus,& Saga propria fuiſſeGallorum veſtimenta tradit Varro, l.4, de lingua Latina, ubi de veſtium generibus agens, *In his* (inquit) *multa peregrina, ut Sagum, Rheno, Gallica,Gaunacum,majus Sagum & Amphimallon Græca.* Idem docet Strabo, lib.4. Geographiæ. Hinc Galli ſæpè Sagati olim dicti. Hactenùs de veſte exteriori Hibernica. De aliis Hibernorum veſtibus, tunicellis ſc. & femoralibus illis arctiſſimis, *Trowſes* vulgò dictis; vix habeo quod dicam memoratu dignum. Ad Etymologiam verbi *Trowſe* quod attinet, fortè petenda à Gallico *Trouſſer*, connectere. Gir. Cambrenſis *braccas caligatas, ſeu caligas braccatas vocat*, Topograph. Hiberniæ diſtinct. 3. cap. 10. Braccas veſtes fuiſſe varii coloris tradit Diodorus

dorus Siculus. Pannus autem levidenſis varii coloris, ex quo ſæpè facta ſunt ea femoralia, ab Hibernis *Braccan* appellatur. A talis veſtimenti uſu, dimidia pars Galliæ Tranſalpinæ olim dicta eſt Braccata, ſicut altera pars, Comata, ob incolarum comas promiſſas. Gallos ita veſtitos, ſecum Romam duxit Julius Cæſar, ſed ibi in triumpho ſuo Gallico, veſtibus decentioribus amictos, eos populo oſtendit, unde illa, ait Suetonius, vulgò canebantur,

Gallos Cæſar in triumphum ducit: Iidem in Curia GalliBraccas depoſuerunt, latū clavū ſumpſerunt.

Et Britannos olim iiſdem uſos fuiſſe veſtimentis, oſtendit Martialis,

Quàm veteres braccæ Britonis pauperis.

Uxores Hibernicæ (pro more veterrimo) velato capite incedebant, virgines nudo, demiſſis interdùm à tergo crinibus.

De Hibernorum veterum Ornatu; admodùm pauca mihi legenti occurrunt. Aliquos è regibus Coronâ aureâ redimitos fuiſſe ſuprà diximus; & Reges margaritis in auribus ſuis uſos, prodit Nennius. De torque aureo quo collum ſuum ornare ſolebat Dermitius filius Cerbailli Rex Hiberniæ, Vid. Scriptor. vitæ S.Brendani. Nobiles prætereà annulos aureos in digitis olim geſtâſſe conſtat.

CAP.

CAP. XII.

De priſcis Equitibus & Peditibus Hibernicis, ſed potiſſimùm de iis qui fuerunt mediorum temporum: Déque eorum Armis & Clamore militari.

ANtiquioribus ſeculis, Equites Hibernici equos nudos, abſque ephippiis aſcendebant; Poſteà ſellis utebantur, ſed abſq; ſtapede ſive ſcala ea equeſtri, quâ hodiè utimur, ut in equos nos collocemus. Hiq; Equites, vel haſtis, vel ſagittis dimicabant. Aliqui præterea (mediis ſeculis) loricis ferreis erant armati. Neque mos ille equitandi inuſitatus erat olim ipſis Anglis, ut teſtantur tam ſigilla nonnulla antiqua quæ expreſſam oſtendunt Equitis Anglici imaginem, quàm Statutum Parlamenti Pontanæ inchoati anno decimo Henrici VII. Ita porrò Britanni olim, ita Galli, & ita Romani equitabant. Murchardidem unum è potentioribus Dynaſtis Hibernicis abſque ephippio equitantem exprimit Gallus quidam qui expeditionem ſecundam Richardi 2 in Hiberniam metro Gallico deſcripſit; Equum verò ejus generoſiſſimum (attende pretium) emptum aſſerit vaccis 400. Equitibus Hibernicis ſervi quidam erant à pedibus *Daltini* vulgò dicti, jaculis amentatis tantùm armati, qui eorum equos curabant. De Equitibus vocatis Hobellariis, ſuprà à nobis dictum, cap. VII, nec hîc repetendum. Ἵππος Equum ſignificat, atque inde fortè vox Hobby. *Sect.* 1.

Hiberni

Hiberni mediorum ſeculorum Peditibus duplicis generis utebantur, Quidam *Gallo-glaſſii* dicti, caſſide ferrea & lorica ferreis annulis confecta, erant armati, gladióque longo cincti; Item alterâ manu ſecurim acutiſſimam geſtabant, more Gallorum illorum veterum, de quibus loquitur Marcellinus, lib. 19. Alii levioris armaturæ, Henrico Marleburgenſi *Turbiculi*, quibuſdam *Turbarii*, vulgò, *Kerni* dicti, jaculis amentatis, machæris, & cultris ſive ſicis, **Skeynes** vocatis, dimicabant. An tales fuerint cultri illi *Seaxes* dicti, quibus olim accingebantur Saxones, quærant alii. In rotulo clauſo ann. V. Edwardi III, memb. 25, inter articulos in Hibernia obſervandos, ſextus eſt, contra ſuſtentatores & ductores *Kernorum & gentis vocatæ* **Idle-men,** *niſi in Marchiis* (ſive confiniis) *ſuas proprias ad cuſtas.* Ita Archivum arcis Londinenſis. In bello, pro tympano, tibia utricularis in uſu erat. Sic *Lacedæmonios olim, non cornuum tubarúmve ſignis, ſed tibiarum modulis, in præliis uſos* teſtatur A. Gellius, lib. 1. cap. 11.

Sect. 2. Ad Hibernorum antiquiorum Arma quod attinet, eos armis æneis fuiſſe uſos conſtat, Sic Græcos olim, ſic Britannos armatos certum. Eſt mihi æs ſecuris militaris, rudi quidem ſed admodùm antiquo opere, jampridem è loco uliginoſo in agro Letrimenſi, effoſſum. Hibernis *præcipuam fuiſſe gloriam in armorum nitela*, aſſerit Solinus, cap. 25, & ſpeciatim tradit eos, *qui ſtudebant cultui, dentibus marinantium belluarũ inſigniiſſe enſium capulos, & candicâſſe ad eburneam claritatem.* Labracum *Loinſec* regem Hiberniæ, quoddam haſtæ genus dictum *Lagenib*, ex partibus tranſmarinis, ſecum in

Hiberniam portâſſe anno Mundi 3670, tradunt (quàm verè neſcio) Hiſtorici Hibernici: atque inde orientalem Hiberniæ Provinciam, Lageniam dictam volunt, cùm anteà vocaretur *Coigidugarian*. In Annalibus Roſcomanenſibus, ad annum MCXC, fit mentio *capitis haſtæ, ad longitudinem unius cubiti, reperti in fluvio Galliva* tùm *deſiccato*. De Hibernorum armis, tempore adventus Anglorum, ſub Henrico II, ſic Giraldus Cambrenſis, Topograph. Hiberniæ, diſtinct. 3. cap. 10, *Tribus utuntur armorum generibus, lanceis non longis, & jaculis binis in quibus & Baſclenſium morem ſunt imitati, Securibus quoque amplis, fabrili diligentiâ optimè calibatis, quas à Norwagienſibus & Ouſtmannis,* (de quibus poſt dicetur) *ſunt mutuati. Una tantùm manu & non ambabus ſecuri percutiunt, pollice deſuper manubrium in longum extenſo ictumque regente, à quo nec galea caput in conum erecta, nec reliquum corpus ferrea loricæ tricatura tuetur. Unde & in noſtris contigit temporibus, totam militis coxam ferro utcunque fideliter veſtitam, uno ſecuris ictu, præciſam fuiſſe, ex una equi parte coxa cum tibia, ex alterâ verò, corpore cadente moribundo: Lapides quoque pugillares, cùm alia defecerint, hoſtibus in conflictu damnaſiſſimos, præ alia gente, promptiùs, & expeditiùs, ad manum habent.* De ſcutis eorum, nec non arcubus & ſagittis ſuprà diximus, cap. 2. Gladius iis ingens erat & prælongus, unâ tantùm parte acutus, quo cæſim non punctim pugnabant. Apud aliquos *in uſu fuit Cudo* ſive *Galea ferarum tergoribus inducta*, uti habet in Nomenclatore ſuo, Ha-

driantis Junius. Ocrearũ uſum ab Anglis tandẽ acceperunt, necnon armorum diverſa genera, quæ ad recentiora tempora ſpectant, ideóque hîc prætermittenda. In prælia ituri, cùm ita propè eſſent hoſtes, ut ab iis exaudiri poſſent, clamore quodam Martio utebantur (uti ſuprà diximus) *Farah*, *Farah*, ſæpiùs iterantes. Scythas, Germanos, & ipſos Græcos & Romanos tali olim uſos fuiſſe clamore, ante pugnam conſtat. An verò à clamore illo *Eleleu* quo Græci (uti ſuprà diximus cap. 2) ad prælium euntes utebantur, vox *Aleleu* fluxerit, quam iterare ſolebant mulieres merè Hibernicæ, in ululatibus & palmarum complofionibus, dum amicornm funera proſequerentur, non definio: Nam de Græcorum habitatione in Hibernia, parum aut nihil mihi legenti occurrit: Supereſſe quidem veſtigia nonnulla veterum Græcorum in Hibernia, innuit Eccleſia quædam Trimmæ in Midia, dicta *Græcorum Eccleſia*. De Dobda Epiſcopo, Græco, qui S. Virgilium ex Hibernia ſecutus eſt, vid. Wiguleum Hundium, in Juvavienſium ſive Salisburgenſium Epiſcoporum catalogo, & vitæ ejuſdem Virgilii deſcriptorem Eberhardi Salisburgenſis Epiſcopi Diſcipulum. Vid. porrò quæ ſuprà diximus, de Nemethi progenie. Pan militaris illius barritus dicitur inventor, & à tali ſtratagemate noctu, cùm in Indica Bacchi expeditione, ſubitò hoſtes in fugam eſſent verſi, ortum proverbium *Terror Panicus*. Sed hoc extra oleas. Hactenùs de priſco milite Hibernico ejuſque armis & clamore militari, nunc iconem ejus Lectori viſum exhibere,



An Hiberni habuerint currus militares *Eſſeda* olim dictos, more Gallorum & Britannorum veterum, non certò conſtat. Sed veriſimile eſt habuiſſe, præſertim ſi credamus anonymo vitæ S. Columbæ ſcriptori antiquo poëticè magis quàm hiſtoricè Prælium Culedrebnenſe, anno 561 geſtum, deſcribenti. Habuiſſe currus illos quos Galli olim *Bennas* vocabant, ad uſum ſc. viatorum, & alios, linguâ Gallicâ *Carros* dictos, quibus ſarcinæ eorum vehebantur, certiſſimum. Neſcio an operæpretium ſit hîc memorare certamina Ludicra (militiam quidem redolentia) Equitũ Hibernicorum, qui jaculis ferro non munitis, luſus & ſpectatores oblectandi gratiâ dimicare ſolebant, necnon eorum ardorem in ferarum, Luporum putà & Cervorum venationibus. Venatio quidem non parvam habet cum militia affinitatem, &, ſi Xenophonti in Cyropædia credimus, ad fortitudinem adſequendam eſt omninò neceſſaria. Beda (Eccleſ. Hiſtor. lib. 1, cap. 1,) Hiberniam *Inſulam* vocat *Cervorum venatu inſignem.* Sed hæc Corollarii loco.

CAP. XIII.

De priſcis Exactionibus Hibernicis, dictis Bonaght, Sorohen, Coſhery, Cuddy, Shragh & Mart: *Deque Tributis ab Anglis introductis, vice* Bonaghti, *vocatis* **Coyne** *&* **Livery**.

Sect. 1. BOnaght Exactio erat pro Domini libito impoſita, ad alendos Equites, triarios quos Gallo-glaſſios appellabant & alios pedites levioris armaturæ, quos *Kernos* vocabant. Iſtique milites ita ſuſtentati, aliquandò promiſcuè *Bonaghti* dicebantur.

Sorohen Taxatio erat quater in anno impoſita liberè tenentibus, (ſive iis qui prædia habebant, ad hæredes tranſmittenda) pro victu, hoſpitio & ſtipendiis dictorum militum.

Coſhery exactio erat Dynaſtæ Hibernici, quando ab incolis ſub ejus poteſtate & clientela, victum & hopitium capiebat, pro ſeipſo ſuaque ſequela.

Aliæ erant Exactiones dictæ *Cuddies*, ſive cœnæ nocturnæ: Item aliæ (præſertim in Momonia) vocatæ *Shragh* & *Mart*, partim in nummis, partim vel in pecore vel in cibo, plerumque pro Domini libito, impoſitæ. Hiſq; direptionibus nec non *taſciis* quibuſdam, Anglicè **Cuttings** dictis, vel quando Dominus iter ingrediebatur, vel epulo aliquem excipiebat, vel è ſimili occaſione, impoſitis, priſca plebis Hibernicæ conditio penè ſervilis perſpici poteſt.

Hibernorum

Hibernorum veſtigia premens Mauritius *Sect.* 2.
filius Thomæ poſteà Comes Deſmoniæ, Anglorum (uti fertur) fuit primus qui ſubditis impoſuit tributa illa graviſſima, **Coyn** & **Livery** dicta, nummos ſcil. cibum & hoſpitium pro militibus, & pabulum pro equis. Hæc introduxiſſe fertur tempore Edwardi II Regis Angliæ, ad ſuſtentationem exercitus Regis, contra Scotos in Hibernia tum longè latéque graſſantes, ſub ductu Edwardi Bruſei, qui ſe Regem Hiberniæ declaraverat. Ut ut fuerit, ſive is primus, ſive non, Scotis poſteà devictis, ac pace reſtitutâ, Tributa illa,

——— ———*per longas invaluere moras*:

Nam in plurimisHiberniæ locis,per multos poſteà annos,impoſita, miſellum populũ graviter afflixerunt, etiam non obſtantibusStatutis quibuſdam Parlamentariis,quibus iſtæ direptiones & expilationes prohibitæ fuerunt, ſub pœna proditionis. Sed plus valent boni mores (ut rectè Tacitus) quàm bonæ leges. De Comitis illius Seneſchallo Johanne Cotterell, morte mulctato, Radulphi de Ufford Hiberniæ Juſtitiarii mandato, quòd *multas graves, extraneas & intollerabiles leges exercuiſſet, tenuiſſet, & inveniſſet*, vid. Joh. Clynni Annales, ad annum 1345. Notant aliqui hoc ipſum exactionum genus, uni ex jam dicti Mauritii poſteris fuiſſe exitiale: Nam Thomas Comes Deſmoniæ, ob ſimilia tributa, quæ ſubditis impoſuerat, capite plexus eſt Pontanæ, (quam Droghedam & vulgò *Tredagh* vocamus)Februarii 15,annoDomini MCCCCLXVII, juſſu Johannis Tiptofti Wigorniæ comitis Hiberniæque Deputati. Atqui Thomas Ruſſellus in Hiſtoria Geraldino-

rum, quo authore neſcio, Deſmonium ſublatum aſſerit, machinationibus Elizabethæ Uxoris Edwardi IV, in ultionem verborum quæ contra eam, ad Regem loquutus fuerat. Ad voces ipſas quod attinet; **Copn** verbum eſt Anglicum, quod pecuniam ſignificat, & **Liverp**, in mitiori ſenſu, *res neceſſarias, quæ vel ex debito, vel honoris causâ* (ut ait Spelmannus) *Magiſtratui, hoſpitibus, ſeu peregrinantibus miniſtrantur.* Cæterùm in Hiberniâ, Exactiones iſtæ tanto rigore & inſolentiâ fuerunt impoſitæ, neque porrò certis temporibus, neque locis limitatæ, ut inde profluxerint depopulatio, exilium & extirpatio multorum è primariis ſubditis; aliique ocioſi facti, miſeriarum & malorum temporum eventum expectârint. Sic ferè Jo. Daviſius Eques aur. Jacobi Regis, ad tempus, Procurator in Hibernia. Quibus miſeriis addi poſſunt (ex Statuto anni X Henrici VII) homicidia, raptus & latrocinia, ab ipſis militibus, quos exactiones iſtæ ſuſtentabant, frequenter perpetrata. Denique, invaluerunt etiam paulatim, apud Anglos nonnullos eminentioris loci, ſpeciatim apud Comites Deſmoniæ, Exactiones Hibernicæ ſuprà memoratæ, vel ſaltem earum pars maxima. Cæterùm, clauſo tandem Jani templo, altæ Pacis beneficio, ſub Jacobo rege, Leges terræ univerſim receptæ ſunt, túmque tributa illa graviſſima & direptiones evanuerunt. Ad alia jam feſtinamus: Siquidem de Exactionibus, ſatis ſuperque dictum.

CAP. XIV.

De Mirabilibus nonnullis Hiberniæ; Deque aliis aſcriptitiis.

DE Mirabilibus Hiberniæ, multa ſcripſit Giraldus Cambrenſis, ſed fabulis miſè admixta: Nonnulla etiam habet Nennius Britannus, ſeculis aliquot Giraldo antiquior, quæ, quia Author eſt adhuc ineditus, viſum eſt tranſcribere. Sic igitur ille, in fine Hiſtoriæ ſuæ, *De prima Inhabitatione Britonum Britanniæ Inſulæ*, ſub titulo, *De Mirabilibus Hiberniæ.* Sed aliqua exemplaria Gildæ nomen (ut hoc obiter annotemus) falſò præferunt.

Eſt ibi Stagnum (inquit Nennius) *quod vocatur Luch-lein*; (hodiè *Logh-lein* in Kerria) *Quatuor circulis ambitur, Primo circulo, Gronnâ* (ſive venâ * vel fodinâ) *Stanni ambitur, Secundo circulo, Gronnâ plumbi ambitur, Tertio circulo gronnâ ferri ambitur, & quarto circulo gronnâ æris ambitur.* Et *in eo ſtagno margaritæ multæ reperiuntur, quas ponunt Reges in auribus ſuis.*

* Aſſerius autem & Flor. Wigorn. lo. a paluſtria & aquis obducta *grennas* vocant.

Eſt aliud Stagnum quod facit ligna dureſcere in lapides. Homines autem findunt ligna, & poſtquàm formaverunt, projiciunt in ſtagnum, & manent in eo, uſque ad caput anni, & in capite anni lapis invenitur, & vocatur ſtagnum (vel ingens lacus potius) *Luch-echac.* Hodiè vulgò *Logh-each*, in Ultonia.

Eſt aliud Miraculum in regione quæ vocatur Ceretieum; Eſt ibi Mons qui cognominatur Crucmaur,

maur, & eſt ſepulchrum in cacumine illius, & omnis homo quicunque venerit ad ſepulchrum, & extenderit ſe juxta illud, quamvis brevis fuerit homo & parvus, ſimiliter longitudo Sepulchri juxta ſtaturam hominis invenitur; Et *ſi fuerit longus & procerus, etiamſi fuerit in longitudine quatuor cubitorum, juxta ſtaturam unius cujuſque hominis, ſic tumulus invenitur.* Et *omnis peregrinus tædioſus, qui tres flectiones flectaverit, juxta illud, non erit tædium ſuper eum, uſque ad diem mortis ſuæ, & non gravabitur ullo iterùm tædio, quamvis habitâſſet ſolus in extremis finibus coſmi.* Hoc poſtremum in quibuſdam exemplaribus, rectiùs ponitur inter Mirabilia Britanniæ, in quâ certè eſt Ceretica ſive Ceretica, quæ nunc nobis *Cardigan-ſhire* appellatur. Sed ùt quod ſentio dicam, de miraculo ipſo, commentum eſt notiſſimum: in duobus verò prioribus, Nennius miſcet vera falſis, De aliis ejuſdem farinæ Mirabilibus, apud Hiſtoricos nonnullos fit mentio, quæ ſciens hîc prætereo. De Bernaclæ ſive Brantæ prodigioſa generatione, ex ligno in ſalo, tractu temporis putrefacto, vid. Giraldum Cambrenſem. Topograph. Hiberniæ diſtinct. 1, cap. 11. *Bernacla anſerini eſt generis, fero anſere paulò minor, pectore ſubnigro, cætero cinereo, & anſerum ferorum more volat, ſtrepit, paludes frequentat, & ſegetem deſtruit. Caro autem paulò inſuavior eſt & divitibus minùs appetita.* Hæc ferè Gulielmus Turnerus. Vidi ego ligni putrefacti fragmentum, ex quo erumpebant minuta quædam corpuſcula, teſtis incluſa, ex quo genere, uti recepta eſt opinio eorum qui prope litora habitant, à Bernaclis frequentata, tam in Hibernia quàm in Scotia, Bernaclæ origi-

nem

nem ſumere ſolent. *Porrò hæc Bernaclæ generatio non uſque adeò prodigioſa illis videbitur* (inquit jam dictus Turnerus) *qui quod Ariſtoteles de volucre Ephemero ſcripſit, legerint, quòd in Hypani fluvio, ex folliculis quibuſdam erumpat.* Ad hanc opinionem firmandam vid. porrò quæ habet Jo. Gerardus, ad finem hiſtoriæ ſuæ Plantarum. Quid è contra objicitur, petendum ex Pontani Rerum Amſtelodam. Hiſtor. lib. 2. cap. 22, & ex Fabii Columnæ Piſcium aliquot hiſtoriâ, Neapoli editâ 1592. Utcunque, in re quæ plenius ſcrutinium mereri videatur, nihil definio. Sed (ut caput hoc claudamus) inter verè miranda non omittendum, licèt ſuprà dictum, cap. VII, Hiberniam non gignere venenatum quicquam, nec alere aliundè invectum, habere tamen araneas & lacertas, ſed eas non venenatas. Unde Hiberniam de ſe ſuiſque dotibus , ita loquentem introducit Hadr. Junius,

Cui Deus & melior rerum naſcentium origo
Jus commune dedit cum Creta altrice tonantis,
Noxia ne noſtris diffundant ſibila in oris
Terrifici creti tabo Phorcynidos angues;
Et fortè illati compreſſis faucibus atris
Viroſo pariter vitam cum ſanguine ponant.

Cæterùm an lignum Hibernicum valeat contra venenata, quod aliqui aſſerunt, non indignum eſt indagine penitiore, eóque ſtudioſiùs, quia venerabilis Beda Eccleſ. hiſtor. lib. 1, cap. 1, aſſerit *omnia penè quæ de eadē inſula* (Hibernia ſc.) *ſunt, contra venenū valere. Denique vidimus* (ſic porrò ille) *quibuſdā à ſerpente percuſſis raſa folia codicū, qui de Hibernia fuerunt, & ipſam*

raſuram

raſuram aquæ immiſſam, ac potui datam, talibus protinùs totam vim veneni graſſantis, totum inflati corporis abſumpſiſſe ac ſedâſſe tumorem. Interim corrigendus eſt Cardani error, qui lib. 10, de Subtilitate, pro Hibernia *Britanniam* aſſerit *carere Serpentibus*. Hæc ejus aſſertio in eundem errorem duxit Jul. Cæſ. Scaligerũ, licèt ille immunitatis cauſas à Cardano aſſignatas, meritò confutet, Exercitatione 200.

CAP. XV.

De Academiis, ſive Scholis inſignioribus Hiberniæ. Deque aliis, apud exteras nationes, Hibernorum operâ excultis.

Sect. 1. FUiſſe olim in Hibernia Scholas inſigniores, ſive ut nunc appellamus, Academias, ad quas Hiberni & Britones, ac demùm Galli ac Saxones, tanquàm ad bonarum literarum Emporia confluxerunt, ex antiquis ſcriptoribus, fide dignis, liquidò conſtat. De hac re, vid. Bed. lib. 3. Hiſtor. Eccleſ. gentis Anglorum cap. 7, & 27, & lib. 4, cap. 26. Item Alcuin. in proſaicâ S. Willibrordi vitâ, cap. 4, & lib. 2, de vitâ ejus, carmine, cap. 1, & 33, Eric. Autiſſiodorenſ. Monach. lib. 1, cap. ultim. de miraculis S. Germani, & Sulgeni vitam, à filio ejus Johanne, (qui claruit anno Dom. MLXXXIX) carmine deſcriptam. Inter Scholas eas, ut antiquiſſima, ita olim eminebat Armachana; De qua, ita ſcriptor vitæ S. Patricii, qui eam tribus libris complexus eſt, diù ante Anglorum adventum in Hiberniam. *Ibi B. Patricius civitatem, quæ dicitur Armacha,*

cha, inſtituit, in qua eſt omnis Archiepiſcopatus Hiberniæ, quam valdè dilexit S. Patricius viper vens, & in qua ſummum conſtituit ſuum honorem ſecula. In ipſa jam civitate, ſcil. Armacha, Summum Studium literale manet ſemper. Gildam Albanium ibi ad tempus *Studium rexiſſe* tradit Carodocus Lhancarvanenſis Superſunt porrò etiamnùm nomina Prælectorum quorundam ibidem, ſub ipſis Norwegorum in Hibernia ſævientium temporibus, tanquàm antiqui ſplendoris reliquiæ : Atque ſi Florentio Cartæo credamus , ex M S. neſcio quo Oxonienſi, cenſus ſtudioſorum ejuſdem Academiæ , uno eodemque tempore olim ſeptem millium numerum exceſſit. Sed hoc tranſeat. Author Annalium Ultonienſium ad annum 1020 (qui nobis eſt 1021) Armacham univerſam tunc combuſtam aſſerit, eodemque incendio periiſſe (inter alia ibi memorata) *antiquam Cathedram Præceptorum* : Ad annum itidem 1162 vel 1163, Synodum 26 epiſcoporum coactam aſſerit in loco dicto *Cleonad*, præſidente Gelaſio Armachano Archiepiſcopo , in qua decretum eſt, ut nullus deinceps ad Theologiam publicè prælegendam admitteretur , niſi qui Academiæ Armachanæ fuerat Alumnus. De Schola Clonardenſi , ad Boinum flu. in Midia , hæc habemus in vita S. Finiani fundatoris, qui claruit anno Dom. DXXX, *In loco qui Cluanaraird dicitur, velut Sol in medio cœli, Finianus radios virtutum & ſalutaris doctrinæ atque miraculorum illuſtrando mundum, emiſit. Fama enim bonorum operum ejus, ex diverſis terræ partibus , viros illuſtres, partim ad ſcripturam ſacram addiſcendam, partim ad Eccleſiaſticam inſtitutionem percipiendam,*

dam, quaſi ad quoddam totius ſapientiæ Sacrarium, attraxit: quorum nomina ſunt, duo Kierani, (Kieranus filius Artificis, qui Mac-Itair dicitur & Kieranus Saigre) Columba-Kill & Columba filius Crimthaind, duo Brandani (Brandanus filius Findlogæ, & Brandanus Birra, qui Propheta in Scholis illis & ſanctorum Hibernenſium habebatur) & Laſerianus filius Nathfraith, & Sinel filius Maënaci, & Cainecus filius Nepotis Daland, & Ruadan Lothra, & Nannyd Lamdere, & Mugenoc Killicumuli, & Epiſcopus Sennach. Et in vita S. Moluæ, *Venit ad ſanctam Scholam S. Finiani, in ſua Civitate quæ eſt in confinio Laginenſium, & nepotum Neill: in qua Schola, multitudo Sanctorum Hiberniæ Divinitatem apud S. Finianum ſcrutabantur.* Scholam ibi Academiam vel Gymnaſium ſignificare res ipſa loquitur. Scholam etiam eandem Ciceronis ætate habuiſſe ſignificationem, ubi vox grammaticalis non adjuncta fuit, è Cicerone rectè colligit Johannes Caius, de Antiquitate Cantabrigienſis Academiæ lib. 1, pag. 177. Neque dubitandum eſt, *Studium* de quò ſuprà, idem olim denotâſſe: Atque ita eodem ſenſu D. Hieronymus ad Ruſticum Monachum ſcribens, vocat *Studia Galliarum florentiſſima.* Fuit & aliud bonarum literarum Domicilium Roſſæ in Carbria, antiquitùs *Roſſ-ailithri* dictæ, à S. Fachnano, Seculo ſexto erectum; De quo ita Scriptor vitæ S. Mocoëmogi, *Habitavit S. Fachnanus in auſtrali Hiberniæ parte, juxta mare, in ſuo Monaſterio quod ipſe fundavit. Ibi crevit Civitas, in qua ſemper manſit magnum Studium Scholarium, quæ dicitur Roſſ-ailithry.* Sanctum Brendanum ibi ar-

tes

tes liberales prælegiſſe aſſerit, quâ authoritate neſcio, in Chronico ſuo Hiberniæ, Meredythus Hanmerus. Inter Academias itidem numerandæ ſunt fortaſsè *Beg-Eri*, ſub S. Ibaro, Clonferta, ſub S. Brendano, Bangora, ſub S. Congallo, Rathena (in Fercallia) & Liſmora, ſub S. Carthago, & Leghlina, ſub S. Laſeriano, Mirum eſt ſanè, quod de magnis monachorum agminibus, ſub eorum tutelis, à Scriptoribus traditum. De aliis antiquis Muſarum Sedibus in Hibernia, Caſſelienſi ſc. & Dunenſi, fit nuda mentio in Epiſtola quadam Florentii Cartæi ſupradicti, ad Donatum non ita pridem comitem Thomoniæ. Sed, de iis, nihil prætereà traditum reperi. De hac re, qui plura ſcire avet, conſulat profundæ eruditionis virum D. Jacobum Uſſerium Armachanum, in Britannicarum Eccleſiarum Antiquitatibus.

Venio jam ad recentiorum temporum Academias; & hîc primò ſe nobis offert Academia Dublinienſis. Johannem Lechum, Archiepiſcopum Dublinienſem, à Clemente V, Bullam procurâſſe fundationis *Univerſitatis Scholariū* Dublinii, datam 3 Idus Julii, Pontificatus anno 7, certò conſtat. Sed per Archiepiſcopi mortem, quæ ſecuta eſt 10. Auguſti, anno Dom. MCCCXIII, irrito ſucceſſu. Anno verò MCCCXX, Alexander de Bicknor ſucceſſor ejus in Archiepiſcopatu Academiam de novo fundavit, & Johannis XXII authoritate confirmari curavit. De regulis in ea obſervandis, en tibi ipſiſſima Inſtrumenti verba, *In Dei nomine, Amen. Nos Alexander de Bicknore permiſſione divina Dublinienſis Archiepiſcopus, Volumus Concedimus & Ordinamus,*

Ordinamus, de conſenſu & aſſenſu Capitulorum noſtrorum S. Trinitatis & S. Patricii Dublin. Magiſtris & Scholaribus Univerſitatis noſtræ Dublin. quòd Magiſtri actu regentes dictæ Univerſitatis poſſint eligere Cancellarium, Doctorem in ſacra pagina, ſeu jure Canonico. Ita quòd ſi in altera Eccleſiarum noſtrarum S. Trinitatis vel S. Patricii ejuſdem loci, in dictis ſcientiis fuerit aliquis in iiſdem facultatibus adeptus, in Cancellarium præ omnibus cæteris, per eoſdem eligatur. Et ſi, quod abſit, in electione ejuſdem Cancellarii fuerit diſcordia, quòd tunc ſtetur electioni majoris partis dictorum regentium in numero duntaxat. Et Cancellario dictæ Univerſitatis cedente vel decedente, alius infra XV dies eligatur, & idem electus nobis & ſucceſſoribus noſtris præſentibus, ſeu Vicariis nobis vel illis in remotis agentibus, Sede Dublinienſi plenâ, & Sede vacante, Cuſtodi Spiritualitatis ejuſdem, pro confirmatione obtinenda, infra quindecim dies, à tempore electionis præſentetur, pro confirmatione ſua petenda & obtinenda. Volumus ad hæc, quòd duo Procuratores actu regentes, cùm fuerit copia magiſtrorũ regentium, ſimili modo ut priùs eligantur; Et quòd iidem Procuratores, cùm Univerſitas prædicta Cancellario caruerit, vices ſuppleant ejuſdem Cancellarii. Et ſi electio Cancellarii infra quindecim dies celebrata non fuerit, extunc devolvat Juriſdictio ad Officialẽ curiæ Dublin. Sede plena, vel Sede vacante, ad Cuſtodẽ Spiritualitatis, quouſq; Cancellarius electus fuerit & confirmatus, vel ſaltem aliquid non obſiſtat canonicum, quo minùs debeat confirmari. Concedimus etiam quòd dominus Cancellarius habeat Juriſdictionem ſpiritualem in Magiſtros & Scholares, ubi actor & reus ſunt de Univerſitate prædicta,

dicta, & in eorum familiares, & approbationem & reprobationem teſtamentorum eorum Magiſtrorum, Scholarium, & familiarium, ac diſpoſitiones bonorum eorum, ſi inteſtati deceſſerint. Ita tamen quod mulctæ ipſis delinquentibus indicendæ, & emolumenta inde, & ex quacunque alia cauſa, de Juriſdictione prædicta provenientia, in cista quadam Univerſitatis prædictæ reponantur, convertenda in utilitatem dictæ Univerſitatis communem, ſecundùm diſpoſitionem Cancellarii & Magiſtrorum; & quòd duas claves ciſtæ habeant Procuratores, & tertiam nominatus per Cancellarium; Et inde dicti Procuratores bis in anno, coram Cancellario & Magiſtris regentibus, computum reddere teneantur, vel coram Deputatis ſeu Deputandis ab iiſdem. Juriſdictionem verò noſtram & Decani noſtri S. Patricii prædicti, in familiares noſtros & Canonicos Eccleſiarum prædictarum, & ad eorum familiares, & ſuper glebæ præbendarum exiſtentes nullatenùs à nobis ſeu ab ipſo Decano abdicantes. Proviſò tamen quòd, pro officio Cancellarii & ejus oneribus ſupportandis, pro loco & tempore, ſecundùm Univerſitatis facultates honorificè ordinetur. Si verò Cancellarius prædictus vices ſuas aliquibus, vel alicui committere voluerit, in cauſis ſpecialiter & univerſaliter cognoſcendis, facultatem eidem concedimus per præſentes. Et ſi ab iiſdem Commiſſariis appelletur, primò ad eundem Cancellarium & Regentes appelletur, qui per ſe in dicta cauſa appellationis cognoſcent, vel per alios illa vice; à quibus ſi ſecundò appelletur, ad nos vel officialem curiæ noſtræ, ſeu Cuſtodem, ut præmittitur, ipſa appellatio interponatur. Licentiandi inſuper Baccalaurii, in facultate quacunque, præſententur Cancellario prædicto,

prædicto & Magiſtris regentibus, qui ſi ſufficientem numerum, pro tempore per ipſos ordinando, obtinuerint Magiſtrorum in eadem facultate, pro literatura , & quoad illos & alios aliarum facultatum, pro moribus , deponentium , quibus credi volumus, ſi jurati de credulitate deponantur, non obſtante minoris partis numero Magiſtrorum contradictione, licentientur, alioquin per gratiam tranſeant Univerſitatis. Et ſi quis contrà licentiandus in quacunque facultate, aliquid objecerit, & illud in formâ Juris non probaverit, eo ipſo habeatur pro malitiosè opponente, & propter refuſionem damnorum & expenſarum parti faciendarum , Univerſitatis privilegio privetur ad tempus, vel ad perpetuum, prout Cancellario & regentibus viſum fuerit, habitâ conſideratione ad qualitatem rei objectæ & conditionem utriuſque perſonæ. Concedimus etiam , pro nobis & ſucceſſoribus noſtris, quòd Cancellarius, de conſilio Magiſtrorum regentium & non regentium, ſi neceſſe fuerit , Statuta condere poſſit, ad honorem & pacem Univerſitatis , & ad ſcandala dirimenda, quæ contingere poterint, in eventu; & illa Statuta debent nobis & ſucceſſoribus noſtris præſentari, & per nos & eoſdem ſucceſſores confirmari. Ordinamus etiam quòd nos & ſucceſſores noſtri eligere poſſimus ſecularem in Theologia regentem, vel de quacunque religione, qui in Eccleſia noſtra S. Patricii præfata actualiter legat in ſacra pagina, ſine alicujus contradictione vel calumnia , perpetuis temporibus in futurum. Ac nobis vel illis ſucceſſoribus noſtris agentibus in remotis , quòd Cancellarius hoc faciat vice noſtra & eorundem ſucceſſorum. (Eo non obſtante quòd Scholas fratrum Prædicatorum ac Minorum duximus canonizandas.) Et quòd Cancellarius

cellarius

cellarius electus, & à nobis & ſucceſſoribus noſtris confirmandus Juramentum nobis & ſucceſſoribus noſtris præſtet fidelitatis. In cujus rei teſtimonium, Sigillum noſtrum, unà cum Sigillis Capitulorum noſtrorum S. Trinitatis & S. Patricii Dublin. prædictorum, præſentibus eſt appenſum. Datum Dublinii, decimo die Februarii anno Dom. MCCCXX, & Conſecrationis noſtræ quarto. Túmque S. Theologiæ Doctores creati ſunt ibidem Gulielmus de Hardite ordinis Prædicatorum, Henricus Cogry ordinis Minorum & Edmundus de Karmardin ordinis Prædicatorum. Item ad gradum Doctoratus in Jure Canonico, promotus eſt Gulielmus Rodiart Decanus Eccleſiæ S. Patricii Dublin. Qui conſtitutus eſt etiam primus Academiæ Cancellarius. Lecturam Theologicam, ab Edwardo III, ibi poſteà inſtitutam docet Regeſtum Johannis Alani Archiepiſcopi Dublin. Cæterùm deficientibus facultatibus, quibus alumni alerentur, Academia ipſa paulatim defecit. Remanebant quidem veſtigia aliqua Academiæ, tempore Henrici VII, Nam in Concilio Provinciali Dublinii habito, in Eccleſia S. Trinitatis, coram Waltero Fitz-Simons tunc Archiepiſcopo Dublinienſi, conceſſa ſunt, ad ſeptennium, *Lectoribus Univerſitatis*, ſtipendia quædam, ab Archiepiſcopo, Suffraganeis & Clero Provinciæ Dublinienſis, annuatim ſolvenda. Tandem verò Elizabetha Regina, Dublinio Academiæ honorem reſtituit: Nam Collegium SS. Trinitatis nomini conſecratum, poſuit (in loco ubi olim Dermitius filius Murchardi rex Lageniæ, cœnobium omnium Sanctorum, vulgò dictum **Al-Hallows**, Canonicis ord. Aroacenſis

cenſis conſtruxerat) prædiis ditavit & Academicis ornavit Privilegiis. Primum lapidem poſuit Thomas Smithus Prætor Dublinienſis, 13 *Martii* anno MDXCI, ſtylo Anglicano, & 9 Januarii MDXCIII, ſtudioſi primùm admiſſi. Eidem poſteà Collegio rex Jacobus præter annuam 388 librarùm & 15 ſolidorum Monetæ anglicæ, è fiſco, penſionem, ampliſſimas in Ultonia poſſeſſiones elargitus eſt. Atque hæc unica nunc eſt Hiberniæ Academia, Athenæ noſtræ. Neque ſilentio prætermittenda eſt Academia *Pontanæ erecta, authoritate Parlamenti ibi habiti, Menſe Novembri MCCCCLXV, coram Thoma Comite Deſmoniæ, Deputato Georgii Ducis Clarentiæ, Hiberniæque *Locùm-tenentis*, & Academiæ Oxonienſis Privilegiis adornata. Cæterùm ea Academia, ex defectu proventus, brevi evanuit.

* al. Drogbedæ.

Fundationis Statutum ipſum (Gallicè, pro more illorum temporum) typis antehac non excuſum, lectori integrum hîc viſum eſt exhibere, ex Archivo Cancellariæ Hiberniæ, anni V Edwardi IV, cap. 46.

Item a la requiſition des Communes, Que pource que la terre d' Irland a nulle Univerſité, ni Eſtude generale, dans la meſme, laquelle œuvre voudroit cauſe ſi bien l'encreſſe du ſcience, richeſſe & bonne governance, comme l'avoidance du riot, male governance & extorſion dans la dite terre. Ordonné eſt & eſtablié & granté par authorite du dit Parlement, que ſoit une Univerſité à la ville de Drogbeda, en laquelle Univerſité, pourroient eſtre faits Bacheiuers, Maiſtres & Docteurs en toutes ſciences & facultez, ſi comme ils ſont en l'Univerſité de Oxenford, & auſſi

auſſi d' avoir, occupier & enioier toutes maniers, libertes, privileges, & loix, & laudables couſtumes, que la dite Univerſité d' Oxenford a occupié & enioié. Perainſi qu' elle ne ſoit prejudiciable au Maire, viccomité, ni communauté de la ville de Drogheda. Ita Statutum.

De Academiis apud exteras nationes ab Hibernis excultis, Pariſienſi nimirum in Gallia, & Ticinenſi, ſive Papienſi, in Italia, vid. quæ habet Notkerus Balbulus, vetuſtus cœnobii Sangallenſis Monachus, lib. de Geſtis Caroli Magni, quem ex MS. codice Bavarico, edidit Henricus Caniſius, tomo I antiquæ Lectionis, anno Dom. MDCI. Conſule etiam D. Rothæum, in Brigidâ Thaumaturgâ, & Hiberniâ reſurgente. *Sect.* 2.

CAP. XVI.

De antiqua Diſpoſitione Epiſcopatuum Hiberniæ.

PArnaſſum Hibernicum obambulavimus: Nunc Sedes Epiſcopales videamus. Johannes Paparo Presbyter Cardinalis tituli S. Laurentii in Damaſo, Legatus ab Eugenio III, in Hiberniam miſſus quatuor Pallia ſecum detulit, quæ (ut aliàs diximus) in Synodo habitâ Menſe Martio, anno MCLII, quatuor Archiepiſcopis tradidit, Armachano ſcil: Dubliniensi, Caſſelienſi & Tuamenſi. De loco Synodi variant Scriptores; Nam aliqui in cœnobio Mellifontis, alii Kenanuſæ ſive Kenliſæ, (quam hodiè contractè *Kells* dicimus) in

in Midia habitam volúnt. In ea Synodo cuilibet Archiepiſcopo certus Suffraganeorum numerus ſubjectus eſt & aſſignatus. Horum Diſpoſitio, in codice Cenſuum cameralium Centii Camerarii, qui fuit poſteà Honorius III, ita exhibetur.

Sub Archiepiſcopo Armachano.

Epiſcopatus de	*Sive recẽtioribus nominibus, Epiſcop.*
Conner.	Conorenſis.
Dũ-daleghlas.	Dunenſis.
Lugud.	Ludunenſis, al. *Louthenſis*.
Cluainiard.	Clonardenſis.
Connanas.	Kenanenſis, al. *Kellenſis*.
Ardachad.	Ardachadẽſis.
Rathboth.	Rapotenſis.
Rathlurig.	Rathlurienſis.
Damliag.	Damliagenſis al. *Dulekenſis*.
Darrich.	Derenſis.

De hac Diſtributione, non pauca hîc notanda: Nam ſi ad recentiora tempora veniamus, Sedes Clonardenſis, *K*enanenſis, & Damliagenſis, non diù poſt Anglorum adventum in Hiberniam, coaluerunt; ideóque Epiſcopi jam inde, à Midia, in qua dictæ ſedes ſitæ, ſtylum mutuati, Epiſcopi Midenſes ſunt appellati. Item Sedes Rathlurienſis adjecta eſt Cathedræ Derenſi. Ad Lugudunenſem quod attinet; illius Sedis Epiſcopus quandoque Ludunenſis ſive Lugidunenſis, quandoque Clochorenſis dicebatur. Nam licèt illæ duæ Sedes (Ludunenſis & Clochorenſis) originitùs fuerint diſtinctæ, tandem tamen coaluerunt,

coaluerunt & unitæ manſerunt, uſque ad tempus Davidis O-Bragan Epiſcopi Clochorenſis (qui vixit ſub Henrico III,) Tùm verò omnes Ergalliæ ſive Urielis Decanatus, qui olim ſuberant Epiſcopo Ludunenſi ſive Clochorenſi, unà cùm ipſa Eccleſia Ludunenſi, ab eo abſtracti fuerunt,& Diœceſi Armachanæ adjecti. Qua de re extat jam dicti Davidis Actio,data Peruſii,Id.Auguſti anno MCCLII, contra Reinerum Archiepiſcopum Armachanum, licèt irrito ſucceſſu. Denique in hac Diſtributione, (quod hîc non prætermittendum) deſunt Sedes Dromorenſis, Clonmacnoïſenſis & Triburnenſis, quæ poſtrema, vetuſto eo nomine tandem depoſito, nomen accepit Sedis Kilmorenſis, ex quo Andreas, (Bradæus ni fallor) loci Epiſcopus circa annum MCCCCLIII, Eccleſiam parochialem S. Felimei *de Kilmore*, Nicolai quinti Papæ aſſenſu, in Eccleſiam erexit Cathedralem. Ad ſedendi ordinem quod attinet, inter Epiſcopos Suffraganeos Hiberniæ, in Conciliis & alibi, Epiſcopus Midenſis primum habuit locum; Secundum ſibi aſſeruit Epiſcopus Darenſis, Cæteri ſecundùm tempora ordinationum ſederunt.

Sub Archiepiſcopo Dublinienſi.

Epiſcopatus de	Clendelachi.	*Poſteà dicti Epiſcop.*	Glendelacenſis.
	Fern.		Fernenſis.
	Cainic.		Oſſorienſis,
	Leghlin,		Lechlinenſis.
	Childar.		Darenſis.

Sedes Glendelacęnſis quæ (in Bulla Lucii Papæ III data 1182, à Johanne Comino Archiepiſcopo Dublin. impetrata) dicta eſt *Epiſcopatus Inſularum*, unita fuit poſteà & annexa cathedræ Dublinienſi, tempore Henrici *Loundres* Archiepiſcopi Dublinienſis. Non defuerunt qui tradidere Sedem Fernenſem olim ſubfuiſſe Cathedræ Menevenſi in Wallia; Sed tranſeant conceptus iſti imaginarii.

Sub Archiepiſcopo Caſſelienſi.

Epiſcopatus de	*Poſteà dicti Epiſcopatus*
Cendaluan.	Laonenſis al. *Killalow.*
Limerich.	Limericenſis.
InſulaGathay.	Iniſcattienſis.
Cellumabrach.	Fenaborenſ. al. *Kilfenoragh.*
Ole-imlech.	Imelacenſis.
Roſcreen.	Roſcræenſis,
Waltifordian.	Waterfordienſ.
Liſmor.	Liſmorenſis.
Cluainvanian.	Clonenſis.
Corcaia.	Corcagienſis.
Roſ-ailither.	Roſſenſis.
Ardfert.	Ardfertenſis.

Ex his, Sedes Iniſcattienſis, poſt Anglorum ingreſſum, adjecta eſt Cathedræ Limericenſi, & Roſcræenſis, Laonenſi. Item adunatæ ſunt ſedes Waterfordienſis & Liſmorenſis, deinde Corcagienſis & Clonenſis, atque demùm Imelacenſis adjuncta eſt Caſſelienſi.

Sub

Sub Archiepiſcopo Tuamenſi.

Epiſcopatus de	Mageo.	*Poſteà dicti Epiſcopatus*	Magionenſis.
	Cell-alaid.		Alladenſis, vulgò *Kill-alla.*
	Roſcoman.		Roſcomaneſis
	Cluanfert.		Clonfertenſis.
	Achad.		Achadenſis. vulgò *Achonry.*
	Cinani.		Cluanenſis.
	Celmun-duac.		Duacenſis vulgò *Kilmacogh.*

Ex his, ſedes Epiſcopalis Magionenſis poſteà adjuncta eſt Cathedræ Tuamenſi, ſicut, quæ in dicta diſtributione omiſſa, Enaghdunenſis. Porrò Roſcomanenſis Elphiniam poſteà tranſlata eſt, & Cluanenſis Provinciæ Armachanæ adjecta, poſt longam nimirùm ea de re contentionem Romæ agitatam, inter Archiepiſcopos Armachanum & Tuamenſem. Nam non poſſum non ſuſpicari *Cinani* corruptè ibi legi pro Cluana (vulgò Clonmacnoiſa) tum ob nominis affinitatem, tum ob ſedis illius propinquitatem, ut quæ à provincia Tuamenſi Shenano flumine tantùm diſterminatur.

Nomina Epiſcoporum qui Synodo interfuerunt, in qua facta fuit dicta diſtributio, ex antiquo codice MS. viſum eſt hîc apponere; quia huic rei lucem aliquam præbent,

Giola-Chriſt (ſive Chriſtianus) *O Conarchi Epiſcopus Liſmorenſis Legatus, Giolla mac-liah* (al. Gelaſius) *Primas Hiberniæ, Domnaldus O Lonargain Archiepiſcopus Momonienſium*, i. *Caſſelienſis, Æda O Hoſſin Archiepiſcopus Con-*

 naghten-

naghtenſium, i. *Tuamenſis*, *Greri* (ſive Gregorius) *Epiſcopus Athacliath*, i. Dubliniensis, *Giolla-na-næmh Epiſcopus Glendelacenſis*, *Dungallus O-Cellaia Epiſcopus Lechlinenſis*. *Tuiſtius Epiſcopus Waterfordienſis*. *Domnaldus O-Fogartaic Epiſcopus Oſſorienſis*, *Find mac Tiarcain Epiſcopus Kildarenſis*, *Gillo-anchomdheb* (ſive Deicola) *O-Ardmail Epiſcopus Imelacenſis*; *Giolla-Æda O-Maigin Epiſcopus Corcagenſis*, *Macronan Epiſcopus Kierenſis*, i. Ardfertenſis, *Torgeſius Epiſcopus Limericenſis*, *Muirchertachus O-Melider Epiſcopus Cluainmicnois*, *Malioſa O-Conachtain Epiſcopus Airthir-conacht*, ———— *O-Ruadan Epiſcopus Luigni*, i. Achadenſis, *Macraith O-Morain Epiſcopus Conmacnæ*, i. Ardachadenſis, *Ethru O-Miadachain Epiſcopus Cluanairardenſis*, *Tuathal O-Connachtaig Epiſcopus Huambruin*, i, Enachdunenſis, *Muiridheach O-Cobthaig Epiſcopus Ceanla-Eogain*, i. Derenſis, *Mæl-Patricius O-Bainan Epiſcopus Dailaraid*, i. Connorenſis, *Malioſa Maç-Inclericuir Epiſcopus Ullagh*, i. Dunenſis. Cæteris, quorum tituli, à regionibus, in quibus Sedes eorum ſitæ, quandoque mutuabantur, ſuprà recentiora nomina adjecimus. Huic Diſtributioni ſic abſolutæ viſum eſt adjicere Inſignia jam dictarum IV Sedium Archiepiſcopalium.

Fuerunt

INSIGNIA
Sedium Archiepiſcopalium Hiberniæ,

Sed. Armach.



Sed. Dublin.



Sed. Caſſel.



Sed: Tuam.



Fuerunt & aliæ ſedes Epiſcopales iu Hibernia, ante Paparonis adventum, de quibus fit mentio apud Scriptores Hibernicos, Trimmenſis nimirùm, Sleptenſis, Luſcenſis, Ardmorenſis, Ardſrathenſis, Slanenſis & (ut cæteras hic prætermittamus) Saigerenſis. Sed illæ partim in Synodo ſuprà memorata, partim anteà, & partim brevi poſteà aliis cathedris adjunctæ fuerunt & annexæ. Denique ſi prima ſurgentis Eccleſiæ Hibernicæ tempora ſpectemns; Jocelinus Furneſſenſis in vita S. Patricii cap. 186, affirmat eum CCCL (Nennius habet CCCLXV,) *Epiſcopos manu ſuâ conſecrâſſe*. Ut ut fuerit, Sedes illius ævi Epiſcoporum, in villis exiguis plerúmque ſitas, non diu poſteà, ad longè minorem numerum fuiſſe redactas, certò conſtat. Sed hæc pleniorem requirunt diſquiſitionem; Nos aliò feſtinamus.

CAP.

CAP. XVII.

De Corbis ſive Corbanis, Erenachis ſive Herenachis, Scribis, Colideis & Anachoretis Hiberniæ: Deque Igne dicto inextinguibili, à Monialibus Kildarienſibus, olim cuſtodito.

DE ordinibus hîc agimus in Eccleſia Hibernica olim repertis, è quibus nomina aliqua rarò alibi audita. Corba ſive Comorba, Corbanus ſive Comorbanus, (nam variè legitur) ſignificat, ſecundùm aliquos Chorepiſcopum, unde nomen (ut putant) barbara contractione ſortitum; Alii volunt *Comfurbach* Hibernis ſignificare comprædianum, ſive ejuſdem prædii vel patrimonii poſſeſſorem. Paſſim verò (ut rectè Colganus) uſurpatur, apud priſcos noſtros Scriptores, pro ſucceſſore in Prælatura, vel dignitate Eccleſiaſtica. Et hoc ſenſu in Annalibus & Hiſtoricis Hibernicis ſæpè occurrit mentio Comorbanorum Patricii, Albei, Jarlathi, Columbæ, Fechini, aliorum. Cæterùm hoc loco, loquimur tantùm de Comorbanis qui laici fuerunt, & plerúmque uxorati, licèt ex iis aliqui impropriè olim appellabantur Abbates, & alii, Priores. Illis, eorúmque familiis aſſignatæ ſunt terræ quædam liberæ, vulgò **Termon-lands** dictæ, de quibus plura poſteà in Erenacho. Neque Wallis olim (ut opinor) ignotus fuit hic Ordo, licèt alio vocatus nomine. Nam Comorbanum denotare videtur Giraldus Cambrenſis, Itinerarii Sect. 1.

rarii

rarii Cambriæ lib.2, cap.4, nomine Abbatis laici. Sic enim ille. *Notandum autem quòd hæc Eccleſia* (de *Lhan-Padern-Vaur*, ſive Eccleſia Paterni magni loquitur) *ſicut & aliæ per Hiberniam & Walliam plures, Abbatem laicum habet. Uſus enim inolevit & prava conſuetudo, ut viri in Parochia potentes, primò tanquam Oeconomi, ſeu potiùs Eccleſiarum Patroni & Defenſores, à clero conſtituti: poſteà proceſſu temporis, auctâ cupidine totum ſibi jus uſurparent, & terras omnes cum exteriore poſſeſſione, ſibi impudenter appropriarent: ſolùm altaria cum decimis & obventibus clero relinquentibus, & hæc ipſa filiis ſuis & cognatis aſſignantes.* Sed pergamus.

Sect. 2. Ad Erenachum ſive Herenachum jam ventum eſt: Is Archidiaconi munere functus, unde *nomen* accepit, *non autem ſuperioris generis* (ut in Dom. Henrici Spelmanni Archæologo, ex obſervationibus D. Jacobi Uſſerii Armachani legimus) *qui hodiè ſub Epiſcopo, Juriſdictione fruitur, ſed antiqui illius, qui Presbytero inferior, pauperes & Xenodochia (diaconias inde appellata) curabat.* Illi porrò ejuſque ſtirpi aſſignatæ ſunt olim terræ dictæ **Termon-lands**, utpote liberæ & immunes à ſecularibus impoſitionibus, ſed penſionibus quibuſdam & refectionibus, annuatim Epiſcopo in cujus Diocœſi fuerunt, pendendis, oneratæ. Verbum *Termon* mutuatum videtur à Termino Deo, cui Ethnici olim templa conſtruebant, quòd ruſticorum lites, in dividendis agris, eum ſuſtuliſſe crederent. Ita *Termon* fuit quaſi terminus., ſive prædium limitatum & diſtinctum à prædiis Laicorum, unde & dici cœpit pro Sanctuario.

Sed

Sed ad Erenachum redeamus. Mortuo aliquo Erenacho, cæteri ejuſdem ſtirpis, qui terras eas poſſederunt, talem è ſuâ familiâ, ad hoc munus ſuſcipiendum elegerunt, qualem ob ætatem & mores, idoneum judicârunt. Is, uxoratus plerúmque,, ſed qui primam habuit tonſuram, Epiſcopo præſentatus, ab eo admiſſus eſt & confirmatus, ac ſub introitu, ſubſidium Epiſcopo ſolvit; ſin ob juſtas aliquas rationes rejectus, alium in ejus locum elegerunt. Si diſcreparet de electione familia, tunc ab Epiſcopo & clero electus eſt Erenachus, at ex eadem ſtirpe. Si porrò ſtirps ea deficeret, tunc ab Epiſcopo & clero, ad munus illud ſubeundum, alia electa eſt familia, ſub conditionibus olim uſitatis. Sunt qui Herenachum à verbo *hæreo* ducunt, quòd gremio Eccleſiæ quaſi hærebat, & alii, qui per *Termon*, *Terram Monachorum* intelligunt. Sed ego priores deductiones magìs probo.

Scribæ apud Judæos, Lectores erant & Doctores ſive Interpretes Legis. Ad veteres Hibernorum Scribas quod attinet, non poſſum non per eos intelligere Theologiæ Lectores. Ita olim vocabantur viri eruditione clari, Suibneus Clonmacnoiſenſis, qui obiit anno Dom. DCCCXCI, Cormacus Culiani filius, Rex & Epiſcopus Caſſelienſis, in prælio occiſus an. Dom. DCCCCVIII, &(ut alios hîc prætermittamus) Cele *Comorbanus S. Comgalli* qui ex hâc vitâ migravit an. Dom. DCCCCXXVIII. *Lectoris* nomen longè frequentiùs (fateor) apud hiſtoricos Hibernicos invenitur. Non deſunt tamen (ne quid lectorem celemus) qui per veteres Hibernorum *Scribas*, Scriptores intelligunt. Quære. Sect. 3.

Erant

Sect. 4. Erant porrò apud Hibernos, Presbyteri nonnulli, *Colidei*, ſive *Culdei*, i. e. cultores Dei appellati. Ita in Inſula Viventium, Hibernicè Inchinemeo, apud Tipperarienſes in Momonia, erat *Capella, cui* (ut Giraldus Cambrenſis teſtatur, Topograph. Hiberniæ diſtinct. 2. cap. 4,) *pauci cœlibes, quos Cœlicolas vel Colideos vocant, devotè deſerviebant.* Ibi certè cœnobium erat olim Canonicorum regularium. Quære an dicti Colidei ejus fuerint ordinis. Monachos quoſdam ita dictos in *Enbly* (ſive *Berdſeia*) inſula, apud Cambros, diſertè aſſerit dictus Giraldus, Itinerar. Cambr. lib. 2, cap. 6. Erant porrò Presbyteri quidam ſeculares, choro inſervientes in Eccleſiâ Cathedrali Armachanâ qui Colidei appellabantur, & eorum Præſes, Prior collegii Colideorum, eratque loco Præcentoris dictæ Eccleſiæ. Hunc, vacante Prioratu, eligebant Colidei, & ſic electum confirmabat Archiepiſcopus Armachanus. Erat item Prior Colideorum apud *Cluain-Inis* in agro Monaghanenſi. Item alius, apud *Deveniſh* in agro Fermanachano, uti teſtatur Regeſtum Johannis Kyte, ſub Henrico VIII, Archiepiſcopi primùm Armachani, deinde Thebani, ac demùm Epiſcopi Carleolenſis in Anglia. Monachos porrò & Sacerdotes apud Scotos Albanienſes, *Culdeos* olim dictos, notat Hector Boëthius, Hiſtor. Scotiæ lib. 6. Denique non ignotum erat hoc nomen, apud ipſos Anglos: Nam Regeſtum chartarum Hoſpitalis S. Leonardi Eboraci (quod in Bibliotheca inſtructiſſima D. Thomæ Cottoni Baronetti aſſervatur) docet *Miniſtros* Eccleſiæ Cathedralis S. Petri Eboracenſis, tempore Æthelſtani regis Angliæ, dictos

ctos fuiſſe *Colideos*, ac ejuſdem eccleſiæ *Colideos*, ſub Gulielmo Victore, fundâſſe *Hoſpitale* S. Petri Eboraci, *pauperibus ad ipſam civitatem confluentibus*, ſed à Gulielmo Rufo rege poſteà tranſlatum ad locum Regium; & jam inde à Stephano rege, qui eccleſiam ibidem, in honorem S. Leonardi, conſtruxit, dictum Hoſpitale S. Leonardi.

Neque deerant Anachoretæ, qui cellas ſuas habebant Fouræ, Liſmoræ, Kilkenniæ, ad S. Dulachi, & alibi in Hibernia. Hi alio nomine dicebantur *Incluſi*, quod in cellis ſive Anachoretagiis ſe includerent. Atqui mos ille non tam ſtrictè obſervabatur, quin qui ſemel incluſus, aliquandò diſpenſatione aliò migraret. Sic in annalibus Ultonienſibus, ad annum 928, ita legimus, *Cele Comorbanus Comgalli Scriba, Anachoreta & Apoſtolicus Doctor totius Hiberniæ, anno 59 ætatis ſuæ, 18 Calendas Octobris, in peregrinatione, feliciter Romæ quievit*. Et Marianus Scotus, in Chronico ſuo, ad annum 1069, *Ego miſer Marianus, juſſu Epiſcopi Moguntinenſis & Abbatis Fuldenſis, feria ſexta ante Palmas, 3 nonas Aprilis, poſt annos decem meæ incluſionis, ſolutus de cluſa in Fulda, ad Moguntiam veni, & in feſtivitate ſeptem fratrum ſecundò includor*. Sic ille de ſeipſo. Regula vitæ Anachoreticæ extat in libro MS. olim pertinente ad cœnobium S. Thomæ juxta Dublin. cum adjunctâ Epiſtolâ Roberti cujuſdam Presbyteri, ad Hugonem Anachoretam, de eodem argumento, ſcriptâ (ut conjicio) circa tempora Henrici III. Sed eorum varias olim fuiſſe regulas certò liquet. In Regeſto Octaviani de Palatio, Florentini, Archiepiſcopi Armachani, fit mentio Meileri Bratnagh, Ordinis Sect. 5.

dinis

dinis Minorum de Obſervantiâ, *qui oculorum lumine orbatus admiſſus eſt* per dictum Archiepiſcopum, 10 Julii MDVIII, *Anachoriticam ducere vitam, juxta Eccleſiam Cathedralem Caſſelienſem, ubi ſibi locum in pariete conſtruxerat.* De Incluſis, vid. plura apud Marianum Scotum & Florentium Wigornienſem, ad ann. MXLIII & MLVIII. De alio Anachoretarum genere, vid. vitas Patrum, lib. 4, cap. 8. *Seniores* hîc prætermitto, à Scriptoribus antiquis Hibernicis ita nempè appellatos, quòd *Senior*, dignitatis, apud eos, non Ordinis alicujus ſpecialis neque Officii fuerit nomen. Prætereo itidem regulas monaſticas, Sanctis Albeo, Columbæ, Congallo, Columbano, & Comano adſcriptas, ut quæ ad præſens inſtitutum non pertinent.

Sect. 6. De igne dicto inextinguibili, à Monialibus cœnobii S. Brigidæ Kildaræ, olim cuſtodito, ita Giraldus Cambrenſis, Topograph. Hiberniæ diſtinct. 2, cap. 34, *Apud Kildariam, quam glorioſa Brigida reddit illuſtrem, digna ſunt memoratu, miracula multa; Inter quæ primùm occurrit ignis Brigidæ, quem inextinguibilem dicunt, non quòd extingui non poſſit, ſed quòd tam ſolicitè tam accuratè Moniales & ſanctæ mulieres ignem, ſuppetente materia, fovent & nutriunt, ut à tempore Virginis, per tot annorum curricula ſemper manſerit inextinctus, & cùm tanta lignorum ſtrues, tanto in tempore ſit hîc conſumpta, nunquàm tamen cinis excrevit.* Hinc ipſum Monalium cœnobium, **the fire houſe** ſive domus ignis vulgò vocabatur. *Cæterùm extinctum fuiſſe hunc ignem Kildariæ, per* (Henricum Loundres) *Archiepiſcopum Dublinienſem, anno Dom. MCCXX,* tradit author quidam anonymus

mus ordinis (ni fallor) Prædicatorum, qui Annales rerum Hibernicarum breviter deſcripſit, ab anno Dom. 1163, ad annum uſque 1314, quo vixit. Hoc ideò fortè factum eſt ab Archiepiſcopo, quòd mos ille alibi inuſitatus originem ſuam traxiſſe videretur ab imitatione Virginum Veſtalium, quas Numa Pompilius primùm inſtituerat, Veſtæque ſacris ac perpetuæ ignis cuſtodiæ dicârat. *Focum Veſtæ virginibus*, ait Lucius Florus, de Numa loquens, *colendum dedit, ut ad ſimilitudinem cæleſtium Syderum, cuſtos Imperii flamma vigilaret.* Veſtam porrò pro igne perenni aliquando uſurpari, docet Ovidius, Faſtor. 6,

Nec tu aliud Veſtā quàm vivam intellige flammā.

Sed hoc obiter. Ut ut fuerit, morem ignis fovendi in jam dicto cœnobio à Monialibus S. Brigidæ uſitatum durâſſe poſteà (pro pauperibus, ut dicitur, & hoſpitibus refocillandis,) ad tempus uſque ſuppreſſionis cœnobiorum ſub Henrico VIII, certò conſtat. De hoc igne, ſi plura velis, Giraldum Cambrenſem conſulas, Topographiæ Hiberniæ diſtinct. 2, cap. 35 & 36. Hæc ſufficient hîc.

H CAP:

CAP. XVIII.

De Veterum Hibernorum Navigiis quibuſdam, coriis intectis.

HIberni veteres, navigiis vimineis, coriis vaccinis intectis, uſi ſunt, nec in fluviis tantùm, ſed interdùm etiam in ipſo Oceano. Naviculæ illæ, vel cymbæ potiùs, Hibernis *Corraghs* appellantur, à Britan. ut videtur *Corwg*, quod cymbam ſonat corio contectam: Vid. Guliel. Somneri Gloſſarium, ubi nomina etiam invenies doctorum quorundam virorum, qui de naviculis hujuſmodi ſcripſerunt. S. Cormacum tali uſum fuiſſe naviculâ, cum *pelliceo tecto*, in tertia ſua navigatione, docet Adamnanus, vit. S. Columbæ lib. 2. cap. 29. Item Probus, lib. 2. vitæ S. Patricii, de *Mac-fil* ſive *Mac-Cuil* epiſcopo Mannienſi loquens, *Cùm eſſet* (inquit) *ſuper mare, in navi pelleâ, aſpirante aquilone, projectus eſt in inſulam Euboniam nomine*, &c. Meminit porrò hujus generis navigii Florentius Wigornienſis, in Chronico ſuo, ad annum Dom. (ſecundùm Dionyſium) DCCCXCII, *Tres* (ait ille) *Scotici viri Duſſlanus, Macbethus, Magulmumenus, peregrinam ducere vitam pro Domino cupientes, aſſumpto ſecum unius hebdomadæ viatico, occultè de Hibernia fugerunt, carabumq; qui ex duobus tantùm coriis & dimidio factus erat, intraverunt, mirumq; in modum, ſine velo & armamentis, poſt ſeptem dies, in Cornubiâ applicuerunt, & poſtmodùm Regem Alfredum adierunt.* Hæc ille, ex Mariano Scoto. Item Gildas, in Epiſtolâ ſuâ, de Britanniæ excidio, *Emergunt certatim de*

Carruchis

Carruchis (ſive carrabis) *quibus ſunt trans Scythicam vallem evecti* &c. *tetri Scotorum Pictorúmque greges*. Sed claſſis Hibernicæ in Britanniam appulſum ſub Honorio & Arcadio Impp. intelligere videtur Claudianus, cùm lib. 2, de laudibus Stilichonis, Britanniam ita loquentem inducat,

Me quoque vicinis pereuntem gentibus, inquit,
Munivit Stilicho, totam quùm Scotus Ïernen
Movit, & infeſto ſpumavit remige Tethys.

Sed ut cœpta perſequamur; Iſidorus, Originum lib. 19, cap. 1, *Carabum* exponit *eſſe parvam ſcapham, ex vimine factam, crudoque corio contectam*. Tales naviculas habuiſſe olim Britannos teſtatur Plinius, lib. 4, cap. 16, & lib. 7, cap. 56. Item Lucanus, lib. 4,

Primùm cana ſalix madefacto vimine, parvam
Texitur in puppim, cæſoque inducta Juvenco
Vectoris patiens tumidum ſupereminet amnem.
Sic Venetus, ſtagnante Pado, fuſoque Britannus
Navigat Oceano.

Et Solinus Polyhiſtor, cap. 35, *Mare quod inter eam* (Hiberniam ſci.) *& Britanniam interfluit undoſum inquietumque*, &c. *Navigant autem vimineis alveis, quos circumdant ambitione tergorum bubalorum*. Eodem modo & Saxonicos Piratas olim navigâſſe docet Apollinaris Sidonius, carm. 7,

Quin & Aremoricus piratam Saxona tractus
† *Sperabat cui pelle ſalum ſulcare Britannum*
Ludus, & aſſueto glaucum mare findere lembo.

† *Sperabat*; i. timebat:

BIBLIOTHEQUE DE LA LYON

Sed idem Navigii genus olim apud alias gentes in uſu fuiſſe, è Seneca, Solino, Oroſio & aliis è veteribus intelligimus. Non negandum tamen Anglo-Saxones antiquos, (ut de Phœnicibus, Græcis, Romanis, &c. hîc taceamus) præter naviculas eas prædatorias, naves etiam habuiſſe præſidiarias. De remorum numero quibus agebantur naves Alfredi Regis Angliæ, ita Henricus Huntindonienſis, *Rex Alfredus naves longas ſc.* 40 *remorum vel plurium fecit parari, contra puppes Dacorum.* De Edgari Regis ingenti claſſe, vid. Florentium Wigornienſ. ad an. DCCCCLXXIII, & Florilegum ad annum DCCCCLXXV. Et ſi ad recentiora tempora veniamus, non ſumus neſcii quantum honorem Anglicæ genti addiderunt copiæ maritimæ, naves inſtructiſſimæ, *Muri illi lignei Angliæ*, (ut eas appellat D. Walterus Raleghus equ. aur.) & nautarum exquiſita peritia in re nautica, cum adjuncta indefatigabili induſtria in navigationibus ad oras remotiſſimas. Non abs re erit forſan hîc etiam annotare Hibernos veteres alio cymbæ genere, in fluviis & lacubus fuiſſe uſos, è quercu cavata, quod aliquibus in locis etiamnum in uſu eſt, & Hibernicè *Cotti* Anglicè **a Cot** dicitur.

CAP.

CAP. XIX.

De More antiquo creandi Milites, apud Hibernos.

PRimus (quod ſciam) qui de hac re literis quicquam commiſit, fuit Johannes Froiſſardus Gallus, in Hiſtoriâ ſuâ. Narrationem is habet (vol.4, cap.63,) de 4 regibus (vel dynaſtis potiùs) Hibernicis, qui licèt more patrio, ordinem militarem ſuſcepiſſent, iterùm tamen à Richardo II rege Angliæ, dum Dublinii eſſet, in prima ſua expeditione Hibernica, milites creati fuerunt, more Anglicano. Rem verò ita ille aperit. Hi reges, poſt ſubmiſſiones & agnitas Regi Richardo fidelitates, committebantur curæ Henrici Caſtilii Angli, qui linguam Hibernicam callebat, Mandatum is à rege acceperat, de iis informandis & inſtruendis in moribus Anglicanis, & ſpeciatim de iis inducendis ad ordinem militarem ſuſcipiendum, more Anglicano. In hac re, ita ſe geſſit Caſtilius, ut ejus ſuaſu & rationibus evicti reges, manus dederint. Dicebant tamen ſe à patribus ſuis, diù anteà, nimirum cùm annos nati eſſent ſeptē, creatos fuiſſe milites, more antiquo, quo ſinguli reges Hibernici ſolebant creare filios milites, & (quod ad ceremonias attinet) quemq; tyronem, tempore creationis, haſtam tenuem, tam puerili ætati aptatam, in clipeum, palo in medio prati affixum, curſu impingere ſolitum, deinde pro numero haſtarum ibi fractarum, magìs aut minùs honoratum. Addit Froiſſardus reges illos plenius,

niùs, ab Ormoniæ comite inſtructos, & Richardi regis juſſu, pro dignitate, veſtitos, admodùm ſolenniter Dublinii in Eccleſia Cathedrali, vigiliis peractis & miſsâ auditâ, iterùm manu Regis, milites fuiſſe creatos, eorumdemque tempore alios itidem eundem ſuſcepiſſe ordinem. Hæc ferè Froiſſardus. Atqui de puero creato milite, longè antiquius habemus exemplum, apud Guliel. Malmesbur. de geſtis Regum Angliæ, lib.2, cap.6, in creatione Athelſtani, qui poſteà rex fuit Angliæ, *Nam & avus ejus Alfredus* (verba ſunt Gulielmi Malmesburienſis) *proſperum ei regnum olim imprecatus fuerat, videns & gratiosè complexus ſpeciei ſpectatæ puerum, & geſtuum elegantiam, quem etiam præmaturè militem fecerat, donatum chlamide coccinea, gemmato baltheo, enſe Saxonico, cum vaginâ aureâ.* Hîc obiter (ex Archivo fiſcali Angliæ, an. 18 Richardi 2) obſervare liceat Dynaſtárum Hibernicorum ſubmiſſiones factas fuiſſe Pontanæ in domo fratrum Prædicatorum, Rege ipſo coram, 16 die Martii 1394, ſtylo Anglicano, unà cum ritu inſequénti; Quilibet ante verba ſubmiſſionis, *zonam cum cultello, & capitium ipſius à ſe amovens, genibus flexis, ad pedes dicti Dom. Regis procidit, & ambas manus ſuas, palmis ad invicem junctis erigens, inter manus dicti Domini Regis erectas, tenuit.* Atque hæc geſta ſunt paulò ante Militum creationem à Froiſſardo memoratam. Videamus jam alia.

CAP.

CAP. XX.

In quo oſtenditur Hiberniam in Romanorum poteſtatem nunquam conceſſiſſe.

ROmanos olim in Hibernia ſubjuganda *aliquid tentâſſe credunt nonnulli, & ægrè colligunt* (ut ait Camdenus) *ex illo Juvenalis,*

——Arma quid ultra
Litora Juvernæ promovimus, & modo captas
Orcadas, & minimâ contentos nocte Britannos.

Aliqua exemplaria Chronici Euſebii Galbam in Hibernia imperium arripuiſſe habent, Sed Hiberia legendum. In Hiſpaniâ enim (quæ & Hiberia dicta) hoc factum, è Suetonio liquet, uti rectè notat Ortelius. Innuit etiam Panegyricus Conſtantio Chloro Auguſto dictus, Hiberniam ſub ejus fuiſſe nutu, *Britannia* (inquit) *ita recuperata eſt, ut illæ quoque nationes terminis ejuſdem Inſulæ cohærentes, veſtris nutibus obſequantur.* Et *in recentiorum Chronicis* (ut jam dictus Camdenus notat) *Hiberniam cum Britannia & Thule Conſtantino Conſtantini Maximi filio, in Imperii Diviſione obveniſſe ſcribitur.* Veruntamen, de expeditione aliquâ Romanorum in Hiberniam, vel inſulæ illius expugnatione ab iis, tam apud Hiſtoricos Hibernicos, quàm ipſos Romanos, altum eſt ſilentium. Et ego quidem Camdeno aſſentior, quod felix fauſtumque Hiberniæ

 fuiſſet,

fuiſſet, ſi in Romanorum poteſtatem conceſſiſſet, nam citiùs tunc barbariem exuiſſet. Julio Agricolæ animus quidem fuit Hiberniam invadere, cùm Regulum quendam Hibernicum ſeditione expulſum, ſpecie amicitiæ, retinuerit: nihil tamen in ea ſubjuganda tentavit. Sed audiamus jam quid de hac re ſcripſit Tacitus, in Agricolæ vita. *Quinto expeditionum anno* (inquit) *nave prima tranſgreſſus, ignotas ad tempus gentes, crebris ſimul & proſperis prœliis domuit, eamq; partem Britanniæ, quæ Hiberniam aſpicit, copiis inſtruxit, in ſpem magis quàm ob formidinem: Siquidem Hibernia medio inter Britanniam atque Hiſpaniam ſita, & Gallico quoque mari opportuna, valentiſſimam Imperii partem, magnis invicem uſibus, miſcuerit. Spatium ejus, ſi Britanniæ comparetur, anguſtius, noſtri maris inſulas ſuperat. Solum cœlumque & ingenia cultúſque hominum haud multùm à Britannia differunt, meliùs aditus portúſq; per commercia & negotiatores cogniti. Agricola expulſum ſeditione domeſtica unum ex Regulis gentis exceperat, ac ſpecie amicitiæ in occaſionem retinebat. Sæpè ex eo audivi, legione una & modicis auxiliis, debellari obtinerique Hiberniam poſſe, idque adverſus Britanniam profuturum, ſi Romana ubique arma, & velut è conſpectu libertas toleretur.* Sic Tacitus. Ex ejus verbis, colligit Camdenus multos ex Hiſpania, Gallia & Britannia, in Hiberniam ſe recepiſſe, ut Romanorum jugo colla ſubducerent. Sed hoc alii excutiant: In re obſcura variæ (ſcio) oriuntur opiniones.

Denique, (ut hoc etiam notemus) reperiuntur in Anglia, Gallia & aliis regionibus, ubi

ubi Romani victores fuerunt, præter nummos antiquos Romanos, multæ aræ, ſtatuæ, urnæ, columnæ & inſcriptiones marmoreæ, (quaſi tot antiqui operis miracula) à veteribus Romanis relictæ, at in Hibernia nullæ, ne quidem nummi Romani, niſi aliundè invecti. Hinc cum Gulielmo Neubrigenſi (Rerum Anglicarum l.2, c.26,) concludimus, *Hiberniam Romanis, etiam Orcadum Inſularum dominium tenentibus inacceſſam.*

CAP. XXI.

De Cormaco Culinani filio, Rege ſimul & Epiſcopo Caſſelienſi: ubi obiter de aliis qui Reges fuerunt ſimul & Pontifices, vel Sacerdotes. Deque miro more tonſuræ ab Ædo (dicto Clerico barboſo) introducto.

DE Regibus aliquot, qui, regnis renunciatis, vel Monachi facti fuerunt vel Epiſcopi, apud Hiſtoricos, crebra fit mentio: Sic in Hibernia, Cormacus Rex Lageniæ, regno ſuo renunciato, Monaſticam amplexus eſt vitam in cœnobio Banchorenſi, ſub S. Congallo. Sic Aidus Niger rex itidem Lageniæ ex rege factus eſt *Monachus*, *Abbas* & *Epiſcopus Kildarienſis*, ut Jo. Colganus habet, & obiit 10 Maii anno DCXXXVIII. Atque ita (ut alios hîc omittamus) in Anglia, Sigebertus Rex orientalium Saxonum, pompâ Regiâ reſignatâ, Furſæi Hiberni ſuaſu, monaſticam amplexus eſt vitam, in cœnobio de *Cnobersburg*, hodiè **Burgh Caſtle**, in Suffolcia. Atqui Cor- *Sect.* 1.

macus

macus Culinani filius, de quo nunc loquimur, & Rex fuit ſimul & Epiſcopus Caſſelienſis. Is ſtemma ſuum duxit (uti alibi diximus) ab Ænguſa Nafrachi filio Caſſelienſium Regum primo, qui Chriſtianam Religionem amplexus eſt. Regnum iniit Cormacus an. Dom. DCCCCI, & (quod mireris) Epiſcopi etiam munus obivit. Morem eum, apud Hibernos, illo ævo viguiſſe, Scriptores patrii luculenter oſtendunt. Speciatim inter Cormaci prædeceſſores, Olchobarus, qui obiit anno 851, & Cenfeladus, qui anno deceſſit 872, ſimul Reges fuerunt Caſſelienſes & Antiſtites Imelacenſes. At non ſine exemplo: Nam inter Judæos, Jonathan, Simon & Johannes Hyrcanus, tàm Ethnarchiâ, (ſeu populi principatu) quàm pontificatu, ſimul gaviſi ſunt: & qui Regiis diadematibus inter eos ornati fuerunt, Ariſtobulus nempè, Alexander Jannæus & alii, uno etiam eodemque tempore, ſummi fuerunt Pontifices. Si de antiquis ethnicis loquamur, habemus ipſos Imperatores Romanos, Pontifices ſimul Maximos; Inter Reges itidem, Anium regem Deli, de quo Virgilius, Æneid. 3,

Rex Anius, Rex idem hominũ, Phœbiq; ſacerdos.

Et Ovidius, Metamorph. 13,

Hunc Anius, quo Rege homines, Antiſtite Phœbus
Ritè colebatur, temploque domoque recepit.

Item *Mercurium Triſmegiſtum ſive ter-maximum*, *qui* (ſi Alex. ab Alexandro credamus, Genialium dierum lib. 2, cap. 8,) *inde*

nomen

nomen tulit, quòd Philoſophus maximus, Sacerdos ac Rex maximus eſſet. De hac re, vid. plura apud Platonem in Politicis. Sed ad noſtra jam redeamus. Meminit Cormaci hujus, Caradocus Lhancarvanenſis, in Chronico ſuo Cambriæ, ceu viri pii, *ſed Carmotum filium Cukemani Regem & Epiſcopum Hiberniæ*, ſive is, ſive qui Anglicè edidit, perperàm appellat. An.DCCCCVI Flanus Melſechlini filius Rex Hiberniæ, coacto exercitu, in Momoniam irruit, eamque Provinciam, ad Limericum (al. Lunmiacum) uſque, diripuit & vaſtavit. Cæterùm Cormacus, qui tempori cedens, fugâ evaſerat, hâc injuriâ irritatus, anno inſequente, Midiam cum copiis ingreſſus, Flanum prælio fudit, eumque ad conditiones quaſdam obſeruandas, ſibi obſides tradere coëgit, iiſq; acceptis, Caſſeliam reverſus eſt. Anno verò DCCCCVIII (al. DCCCCVII) Flanus, ut cladem nuper acceptam ulciſceretur, pactis & obſidibus traditis non obſtantibus, cum Lagenienſi & Conatienſi regibus egit, ut conjunctis viribus Momonienſes adorirentur, eóque ſucceſſu, ut maximis copiis inſtructus, ſigna adverſus Cormacum extulerit: Momonienſium exercitui in loco dicto *Moy-albe*, obviam actus eſt, ubi Auguſti die XVI, poſt longam & cruentam pugnam, ceſſit ei victoria, Cormaco rege ibidem occiſo. Cæſi etiam cum eo feruntur Duces ferè omnes primarii, ſeu mavis, Reguli, Inter quos nominatur Fogertachus Kerrienſis & Kellachus Oſſorienſis. Sic Annales Hibernici. Cæterùm Caradocus Lhancarvanenſis, Cormacum ſub hoc tempore, à Danis in prælio occiſum tradit. Memini etiam me legiſſe in codice quodam MS. bibliothecæ

othecæ Cottonianæ, eum à bubulco quodam occiſum, ad *Beanree* prope Leghlinam, dum ibidem, prò exercitu ſuo tunc pugnante, ad Deum preces fundens, in genua procumberet. Tanta eſt de ejus cæde diſcrepantia. Ego verò non poſſum non aſſentiri, tam Annalibus Ultonienſibus, quàm iis cœnobii Canonicorum Iniſ-fallanæ in agro Kerriano, qui à dicto Flani exercitu, victum eum & occiſum tradunt. Corpus ejus Caſſeliam delatum ibidem tumulo conditum eſt. Vir fuit eruditus & Antiquitatum Hibernicarum ſcientiſſimus. Scripſit linguâ ſuâ patriâ, Hiſtoriam *Pſalter-Caſhell* vulgò dictam, quæ etiamnùm extat, & magno habetur in pretio. Excerpta quædã ex dictaHiſtoria,in vetuſto habeo codice membraneo,*Pſalter-narran* appellato, ante annos pluſquàm 300 exarato,ut ex characteris antiquitate liquet. In eodem codice ſunt multa miſcellanea de rebus Hibernicis, partim Latinè,partim Hibernicè,collecta per Oenguſium *Celide*, inter quæ, Catalogum habemus nudum (ſolùm nimirùm nomina) regum Hiberniæ, ab Heremone ad Brienum filium Cinedi, cognomento *Boro*, de quo ſuprà, cap.4. Notandum hîc coronidis loco, Caſſeliam ſedem fuiſſe olim præcipuam Regum Momoniæ, & unam è primis Hiberniæ Synodis, à S S. Patricio, Albeo, & Declano, ibi habitam, tempore Ænguſæ Regis, de quo ſuprà.

Sect. 2. Liceat his adjicere, utpote rem inuſitatam, mirum tonſuræ morem, ab Ædo Hiberno introductum. Is (à barba promiſſa, vulgò *Æd clericus barboſus* dictus) magnam eruditionis & ſanctitatis opinionẽ conſecutus

cutus fuerat; Cæterùm anno 1053, vel 1054, in exilium pulſus eſt, quòd in ſchola ſua, in qua *clericorum, puellarum & laicorum magnum habuit numerum, Puellas* MORE CLERICORUM *tonderet*, ut ex Mariano Scoto & Florentio Wigornienſi liquet. Hîc animo conceperam anſam arripere deſcribendi varias tonſuræ formulas, à veteribus, tam clericis (ſive Presbyteris ſecularibus) quàm monachis, olim uſitatas, earúmque origines, dum alii in vertice, tonſurâ uterentur, in modum coronæ ſpineæ Domini, formâ ſequenti,



alii, in anteriore tantùm capitis parte, rotundâ quidem tonſurâ, ſed imperfecto orbe, ab aure ad aurem circumducto; alii, modico circulo in vertice, aliique in toto ferè capite, relictis tamen inferiùs, in modum coronæ, capillis. Cùm verò obſervârim hæc omnia, aliaque multa ad hanc rem pertinentia, ex intima antiquitate antehac tractata fuiſſe, ab eruditiſſimo nuper Archiepiſcopo Armachano, in Eccleſiarum Britannicarum Antiquitatibus, & à Proſpero Stellartio, in libris de Coronis & Tonſuris Paganorum, Judæorum, Chriſtianorum, mihi ſatis erit hîc ſubindicâſſe. Plurium cupidus petat libros ſuprà citatos.

CAP.

CAP. XXII.

De Hibernorum veterum Domiciliis & Ædificiis; Deque eorum Victu, Conviviis & Muſicis inſtrumentis.

Sect. 1. Hibernis veteribus nullam fuiſſe curam condendarum urbium munitarum certò conſtat. Fuerunt quidem in Hibernia Urbes, illæque munitæ, ante Anglorum adventum in Hiberniam, ut Dublinium, Limericum, Waterfordia, Wexfordia & Corcagia, ſed ab Oſtmannis conſtructæ. Hic verò agimus duntaxat de Hibernorum veterum Domibus, quæ ut neque marmoreæ erant, neque latericiæ, ſic (niſi rariſſimè) neque ſpecus ſubterranei, neque antra, ut erant veterum Germanorum, apud Tacitum, in ſua Germania, ſed cratitiæ & ſtramine vel arundinibus tectæ, de ligno ſolido rarò. Hæque fuerunt aut amplæ, aut parvæ, pro habitatoris dignitate, aut qualitate, in ſylvis & fluviorum ripis plerumque ædificatæ. Neque aliter erat (ut videtur) apud priſcos Cambros. De Penbrochiæ caſtro, *ex virgis & ceſpite tenui*, ab Arnulpho de Mountgomery, ſub Henrico Primo extructo, vid. Girald. Cambrenſ. Itin. Camb. lib. 1, cap. 12. Et de ipſis Opidis Britannicis antiquiſſimis, quidni adjiciamus verba Cæſaris, in Bell. Gall. lib. 5, *Opidum vocant Britanni, cùm ſylvas impeditas vallo atque foſsâ munierunt.* Sed redeo. A tenui hoc & exili ædificandi modo, apud Hibernos veteres, evenit, ut tam pauca

veſtigia

veſtigia oſtendi poſſint Domorum vel caſtrorum, ab ipſis regibus Hiberniæ extructorum, ante Anglorum ingreſſum. Hinc cùm Rodericus ô Conner rex Conatiæ caſtrum lapideum Tuamæ conſtruxiſſet, an. MCLXI, illud tanquàm novum & inuſitatum apud Hibernos *Caſtri mirifici* nomine, iis temporibus, innotuit. Sed inſtar omnium erit Temoria, (quam *Taragh* nunc vocamus) in Midia, quæ, ut ſuprà diximus, cap. 4, eorum Regia erat præcipua, ubi etiam Feſta Regum ſolennia & Comitia, ſtatis temporibus, olim tenebantur; Veruntamen nulla hodiè ſuperſunt ibi rudera, nulla veſtigia alicujus ædificii antiqui. Hibernorum primus, vel ſaltem inter primos, qui ædificare cœpit è ſaxo & cæmento fuit Malachias O-Morgair Archiepiſcopus Armachanus. Qua de re, in vitâ ejus, ita *S.* Bernardus, ejus æqualis; *Viſum eſt Malachiæ debere conſtrui in Benchor Oratorium lapideum, inſtar illorum quæ in aliis regionibus extructa conſpexerat. Et cùm cœpiſſet jacere fundamenta, indigenæ quidam mirati ſunt, quòd in terra illa, necdum ejuſmodi ædificia invenirentur.* Et poſt pauca, malevolum quendam ita loquentem introducit, *O bone vir; quid tibi viſum eſt noſtris hanc inducere regionibus novitatem? Scoti ſumus non Galli. Quænam levitas hæc? Quid opus erat opere tam ſuperfluo, tam ſuperbo? Unde tibi pauperi ſumptus ad perficiendum? Quis perfectum videbit?* &c. Ex Bernardo porrò intelligimus Malachiam hunc, oratorium ibi, aliquot annos anteà conſtruxiſſe, *de lignis quidem levigatis, ſed aptè firmitérque contextum, opus Scoticum pulchrum ſatis.* Neque abs re erit hîc memorare Henricum ſecundum Regem Angliæ,

gliæ, dum Dublinii eſſet anno 1171, *feciſſe ſibi conſtrui juxta Eccleſiam S. Andreæ extra civitatem, Palatium regium, miro artificio, de virgis levigatis, ad modum patriæ illius, extructum, in quo ipſe, cum Regibus & Principibus Hiberniæ, Feſtum ſolenne tenuit, die Natalis Domini*; ut ex Hovedeno intelligimus.

Sect. 2. Ad Victum veterum Hibernorum quòd attinet, vulgi victum quotidianum olim valdè tenuem fuiſſe certum eſt, plerúmque ex lacte, butyro & herbis; Unde Strabonis Epitome Hibernos vocat, *Herbis veſcentes*. Ex herbis, utebantur præcipuè trifolio pratenſi, naſturtio aquatico, oxale & cochlearia, noſtris **Scurby graſſe**, quàm Medicorum nonnulli eandem eſſe putant cum Plinii *Britannicâ*, de quâ ita ille, *In Germania trans Rhenum: caſtris à Germanico Cæſare promotis, maritimo tractu fons erat aquæ dulcis, ſolus qua pota, intra biennium dentes deciderent, compagéſque in genibus ſolverentur. Stomacacem medici vocabant & Sceletyrben ea mala. Reperta auxilio eſt herba quæ vocatur Britannica, non nervis modò & oris malis ſalutaris, ſed contra anginas quoque & ſerpentes*, &c. Ad Convivium ordinarium quando conveniebant, ſuper juncis vel toris gramineis, ſcamnorum aut cubilium vice, in orbem conſidebant, iiſque ita conſidentibus, menſæ ligneæ tripedes cibis inſtructæ, more Gallorum veterum, apponebantur, pane nempe eſcarite, vel ſubcinericio, lacticiniis, carnibus & piſcibus tam aſſis quàm elixis: Pocillatoribus interim potum in poculis ligneis & corneis interdúmque æneis, circumferentibus. Priſcus & peculiaris Hibernorum ſicut & Britannorum potus fuit cervilia. Hujus potus meminit

meminit Dioſcorides, lib. 2, cap. 110, cùm Britannos & Hibernos (quos *Hiberos* ibi vocat) uſos dicat pro vino, *Curmi* potu, ex hordeo confecto. Sed *Curmi* perperam ibi legitur pro antiquo verbo Britannico *Cwrw*, quod cerviſiam ſignificat, uti notat Camdenus. Hibernis porrò olim in uſu fuit *Hydromelon*, ſive miſtura aquæ cum melle (nos hodiè **Mead** dicimus) ut tam è vita S. Berachi, qui claruit Seculo VII, quàm ex Annalibus Ultonienſibus, ad annum 1107 intelligimus. De optima eorum *Aqua vitæ*, ſive *Uske-bah*, ut vocant, quæ multò minùs quàm Anglica inflammat, & magis tamen inſiccat, non eſt hîc dicendi locus, quia ejus confectio (uti creditur) ad poſteriora tempora pertinet.

Tranſeo ad convivandi tempus: Erat id olim plerúmque ſub veſperam; unde Epulum illud ſolenne quo regni Ordines, Temoriæ ſive Temræ excepit Lœgarius Rex Hiberniæ anno Dom. 455, in jam dictis Annalibus appellatur *Cœna Temræ*. Et ab hac Cœna, inchoabant Hiſtorici (quod mireris) poſteriorum adminiſtrationis ejus temporum calculum. Idem convivandi tempus obſervabant olim Cambro-Britanni, id quod colligimus è legibus Regis Hoëlis *Dha*, cap. *De Cœna Regali & ejus menſura*.

Ad priſca Hibernorum Muſica Inſtrumenta jam ventum: Atque ea *Citharam* fuiſſe cum chordis æneis, & *Tympanum*, tradit Giraldus Barrius Cambrenſis, Topograph. Hiberniæ, Diſtinctione 3, cap. 11, *in quibus* eos etiam *præ omni natione quam vidit incomparabiliter inſtructos* aſſerit. An verò inſtrumentum illud Muſicum Hibernicè Clairſeach, Anglicè **a Harp** *Sect. 3.*

dictum Antiquorum cithara fuerit, vel Lyra, (quamvis Grammaticorum plerique hæc duo Inſtrumenta confundant) inter doctos controvertitur. Venantius Fortunatus, lib. 7, carm. 8, Lyram à *Harpâ* diſtinguere videtur,

Romanuſque Lyrâ plaudat tibi, Barbarus Harpâ,
Græcus Achilliacâ, Crotta Britanna canat.

Nec mira videatur differentia: Nam ipſam Antiquorum Lyram, ab ipſis tam formâ quàm variâ chordarum acceſſione, mutatam certò conſtat. Janus Gruterus in Inſcriptionibus, p. 38, n. 10, figuram exhibet lyræ antiquæ, Romæ in hortis Cardinalis Cœſii, in manu nempè ſtatuæ Apollinis, viſendæ. Item Philippus Cluverius, in Sicilia ſua antiqua, p. 93, ectypon oſtendit nummi antiqui Græci, cujus una pars exprimit Apollinem *Archagetam*, altera, lyram ejus, ſed à priore paulò diverſam. Operæ eſt pretium fortaſſe ipſa ectypa tam veteris Lyræ Apollinis, quàm hodiernæ Citharæ ſive (ut aliis placet) Lyræ Hibernicæ ſubjungere, ut lector inde de differentia faciliùs judicet.

Lyra

Lyra Apollinis, apud Gruterũ.



Lyra Apollinis, apud Cluveriũ.



Cithara ſeu Lyra Hibernica.



De Orphei Lyra, quam aliqui tetrachordem fuiſſe contendunt, alii, ſeptichordem, conſule Seldenum, in notis ad Marmora Arundeliana, pag. 87.

De Lyræ & Cytharæ differentia, vide Had. Junii Nomenclatorem. Neque hac occaſione prætermittendum propria Hiberniæ Inſignia, vel ſaltem per ſecula aliquot ei attributa, eſſe in campo cæruleo Citharam ſeu lyram Hiber-

nicam auream, cum chordis argenteis. Cæterùm, ſi Uliſſi Aldrovando credimus, Ornithologiæ lib. 1, antiquiora Hiberniæ Inſignia fuerunt, ex una ſcuti parte aurea, Brachium gladio armatum, ex altera, in argenteo campo, Semi-Aquila. Sed hoc obiter. Quàm profunda fuit Citharæ antiquitas, è Geneſeos cap. IV, docemur, ubi inventio ejus Jubali tribuitur. Item Tympani uſus vetuſtiſſimum eſt exemplum in Exodi XV. Mitto recentiora Inſtrumenta Muſica, poſt Anglorum ingreſſum introducta, ut quæ ad noſtrum inſtitutum non pertinent.

CAP. XXIII.

De Erroribus nonnullis & Figmentis veterum aliquorum Scriptorum, de Hibernia agentium; Deque aliis Scriptorum mediorum temporum.

DE Hiberniæ ornamentis & dotibus ſpecialibus, ſuprà compendio diximus, cap. 7. Videamus jam quæ de eâ, à ſcriptoribus antiquis finguntur, & ab eorum ſectatoribus creduntur. Solinus *avem ibi raram* aſſerit. Porrò addit poſteà, *ibi apes nuſquàm, & advectum inde pulverem ſeu lapillos, ſi quis ſparſerit inter alvearia, examina favos deſerere. Item mare quod inter eam & Britanniam interfluit, undoſum inquietúmque, toto in anno, niſi pauculis diebus non eſſe navigabile.* Cùm tamen avibus & apibus abundet. Et ad mare quod attinet, navigabile eſſe in ipſa ſumma hyeme, frequentes navigationes ex Anglia Gallia, Hiſpania, &c. in Hiberniam,

niam, & ex ea, in externas regiones, ſufficienter demonſtrârunt.

Prima ejus aſſertio, de avibus & apibus, in eundem errorem duxit Iſidorum Hiſpalenſem, qui iiſdem ferè utitur verbis. *Illic* (de Hibernia loquens) *avis rara, apis nulla; adeò, ut advectos inde pulveres, ſeu lapillos, ſi quis alibi ſparſerit inter alvearia, examina favos deſerant*, Originum lib. 14, cap. 6. Item Barthol. Caſſanæum, in Catalogo Gloriæ Mundi, part. 12, conſid. 57, *Ibi* (ait) *avis rara, ac apis nulla*. Neque defuerunt, qui Solinum ſequuti ſunt, in ſecunda ſua aſſertione, de æſtu maris Hibernici, interque eos Cornelius à Judæis Geographus. Veniamus jam ad climatis diſpoſitionem. Strabo, qui ſub Tiberio Cæſare floruit, Geographiæ lib. 2, ex verſione Gulielmi Xylandri, ita loquitur, *Extrema navigatio à Celtica verſus ſeptentrionem, noſtra ætate, dicitur eſſe in Hiberniam:* (Iërnen vocat) *quæ ultra Britanniam ſita, ægrè ob frigus incolitur, ita ut quæ ulterius ſunt, habitari non poſſe existimentur*. Deinde, Pomponius Mela, qui ſub Claudio vixit, Coſmographiæ lib. 3, *cœlum Hiberniæ ad maturanda ſemina iniquum* eſſe aſſerit. Speciatim ita Giraldus Cambrenſis, Topographiæ Hiberniæ diſtinct. 1, cap. 4, *multam* ait *fruges in herba, plurimam in culmis, minorem in granis, ſpem promittunt. Tritici namque grana contracta ſunt & minuta, & vix alicujus vanni beneficio purganda*.

Audiamus etiam quid è contra ſcripſerunt aliqui è veteribus, Ita igitur Oroſius, *Hæc* (Hibernia ſcil.) *propior Britanniæ, ſpatio terrarum anguſtior, ſed cœli* * *ſoliſque temperie magis utilis, Scotorum Gentibus colitur*. Item

* *Solique* meliùs.

Iſidorus, loco ſuprà citato, *Scotia eadem & Hibernia, proxima Britanniæ Inſula ſpatio terrarum anguſtior, ſed ſitu fœcundior.* Et Beda lib. 1, cap. 1, *Hiberniam tam aëris ſalubritate quàm ſerenitate, multùm Britanniæ præſtare*, aſſerit. Cæterùm (ut quod ſentio dicam) ſi hæ comparationes ad auſtralem Britanniæ partem, quam Angliam dicimus, referantur, ſunt prorsùs rejiciendæ: Non negandum tamen Hiberniam, aëris eſſe adeò temperati, ut prata ibi & campos, in ſummá hieme virere videamus, & ad paſcua pecudes quotidiè duci, niſi quod rarò accidit, nix biduana vel triduana impediat; locis prætereà uliginoſis & paluſtribus *culturâ ſiccatis*, (quod de regione circa Philippos ſcribit Plinius) *emendatam aëris temperiem.* Ad tritici grana quod attinet, non contracta ſunt vel minuta univerſim, ut Giraldus Cambrenſis ejúſque ſequaces habent; Nam rarò in vicinis Hiberniæ regionibus, ſeu majora, ſeu graviora, quàm in plurimis partibus Hiberniæ inveniri poſſunt. Neque audiendus eſt Raphael Maffæus Volaterranus, qui Commentariorum Urbanorum lib. 3, de Hibernia loquens, *Tellus* (inquit) *nihil omninò fert, præter frumentum & equos præſtantiſſimos quos Ubinos* (Hobinos) *vocant*, &c. Corrigendus eſt itidem error Ranulphi Higdeni, qui in Polychron. lib. 1, cap. 32, aſſerit ibi *deeſſe Perdices, Phaſianos, Damas & Hericios*; *Hiberniã* etiam (quod è jam dicto Giraldo & Johanne Bromtono addit) *ab auſtro in boream extenſam, à Brandanicis ſcil. montibus uſque ad* **Columbinam Inſulam continere octo dierum dietas; quarum quælibet* 40 *milliarum exiſtit, & à Dublinio uſque ad Patricii colles Connacticúmque mare, in latum,*

* al. *Torre.*

latum quatuor dierum excurſum tenere. Sed de Hiberniæ Dimenſione, vid. quæ ſuprà diximus Cap. III. Porrò multa hîc obſervari poſſent fabuloſa, quæ de Hibernia accumulavit Giraldus Cambrenſis, in Topograph. Hiberniæ; Sed aliis ea diſcutienda relinquimus, Siquidem exacta eorum diſcuſſio juſtum requirit tractatum. Admonendus eſt interim lector Topographiam eam cautè legendam, id quod ipſe Giraldus quodammodò fatetur, in Apologia quam habemus in prima ſua præfatione in librum Expugnationis Hibernicæ, cùm ob fabuloſa, jam dictæ Topographiæ inſerta, inſimularetur; cui hanc etiam admonitionem, è Retractionum ſuarum tractatu, hîc adjicere viſum, *De Topographia Hibernica, labore ſci. noſtro primævo ferè nec ignobili, ubi multa nova, aliiſque regionibus prorsùs incognita (ideoque magis admiranda) ſcribuntur, hoc pro certo ſciendum; quod quorundam, quinimò & quàm plurium perdiligentem & certam indagationem, à magnis terræ illius & authenticis viris notitiam elicuimus; de ceteriſque, totius terræ famam potiùs ſecuti ſumus. De quibus omnibus, cum Auguſtino ſentimus: qui in libro de Civitate Dei, de talibus, quæ ſolùm fama celebrat, nec certâ veritate fulciuntur, loquens, nec ea affirmando plurimùm, nec prorsùs abneganda decrevit.* Sic ipſe Giraldus. Atqui non poſſum non mirari viros aliquos hujus ſeculi, alioqui graves & doctos, figmenta ea Giraldi, mundo iterùm pro veris, obtruſiſſe. Plurima addi poſſent ex aliis authoribus, quæ aliorum etiam induſtriis relinquimus.

CAP. XXIV.

De Oſtmannis, *ſive Danis & Norwegis; Deque eorum rebus geſtis in Hibernia, ab anno Christi* DCCXCV, *uſque ad Anglorum ingreſſum, ſub Henrico II, ſc. per quatuor fermè annorum centurias.*

OStmannos magnam Hiberniæ partem olim ſubjugâſſe, & poſt plurima prælia cum Hibernis, variante ſucceſſu, per multos annos, acriter commiſſa, præcipuas ibi urbes maritimas, ad Anglorum uſque adventum in Hiberniam occupâſſe certò conſtat. De eorum nomine & regione unde venerunt, ita Eruditiſſimus Jacobus Uſſerius nuper Archiepiſcopus Armachanus, in ſua veterũ Epiſt. Hibernicarum recenſione; *Livonia ad Eoum maris Baltici litus porrecta, in tres partes, locis & linguis diſtinctas, Eſtiam, Lettiam & Curlandiam diſtribuitur:* Eſtiæ *ſive (ut Crantzius appellat) Eſtoniæ provinciam ii incoluiſſe videntur, qui à veteribus Græcis, Oſtiæi & Oſtiones, à Tacito in Germania ſua, Æſtii, ab Eginhardo in Caroli Magni vita, Aiſti, à Saxone Grammatico, Eſtones, à noſtris, Oſtmanni appellantur.* Ad Oſtmannos Hiberniæ quod attinet, Hi aliis nominibus vocabantur etiam Dani, Norwegi, & Normanni, *quod & mediis temporibus* (verba ſunt iterùm jam dicti Uſſerii) *omnibus Daniæ, Norwagiæ, Livoniæ & reliquarum Borealium gentium commune nomen fuiſſe docti nôrunt. Ut omittam quod à Scriptore*

tore vitæ Griffithi filii Conani eſt traditum, unum è tribus illis fratribus qui in Hiberniā venerunt, cum Norwagienſibus ſuis in Galliam conceſſiſſe, & Francis devictis, ſedes in Normanniâ fixiſſe. Hunc Rodulphum *ille vocat, quem alii* Rollonem; *à quo Gulielmus & alii Normanni qui in Anglia regnaverunt, genus deducunt ſuum.*

Danos & Normannos, vel Oſtmannos anno Chriſti DCCXCV, Hibernica & Albanica litora primùm infeſtâſſe & ſpeciatim *Recran* Inſulam ſpoliâſſe produnt Annales Hibernici. Sub eodem tempore vel paulò ſeriùs S. Findanum, Principis Lageniæ filium, à Danis captivum ductum, ſed mirabili modo elapſum, tradit in vita ejus, anonymus Hibernus, (qui & ejus ſocius) à Melchiore Goldaſto editus, Tom. I Rerum Alamannicarum, pag. 318. Meminit illarum deprædationum Normannicarum, Dicuil Hibernus, qui tum vixit, in libro *de menſura Provinciarum Orbis terræ, ſecundùm illorum authoritatem* (ut ipſe loquitur) *quos S. Theodoſius Imperator ad Provincias prædictas menſurandas miſerat.* Sic enim ille, *Circum noſtram Inſulam Hiberniam, ſunt inſulæ, ſed aliæ parvæ, atque aliæ minimæ.* Et poſt pauca, *Sed ſicut à principio mundi deſertæ ſemper fuerunt, ita nunc causâ latronum Nortmannorum vacuæ Anachoritis*, &c. Triennio poſteà, anno nempè DCCXCVIII, Normanni iterùm Ultoniam, & Hebrides piraticâ infeſtârunt. Siquidem *antiquitùs* apud Danos (ut habet Olaus Wormius) *Piratica honeſta ac licita erat, atque in ea ſe crebrò Reges ipſi, aut eorum liberi exercebant, aſcitis famoſioribus & fortiſſimis Athletis.* Sed miſſis hiſce Danorum

norum piraticis, veniamus jam ad copias quas in Hiberniam miſerunt, ad eam ſubjugandam, &, ſecundùm temporum ſeriem, ad alia eorum acta ibidem, ad Anglorum uſque ingreſſum.

Anno 807, Dani & Norwegi in Hiberniam appulerunt, & Roſcomaniam, regionemque adjacentem ferro flammáque vaſtârunt. Eodem tempore Cellacus Abbas cœnobii S. Columbæ Huenſis, multis è ſuis, Norwegorum crudelitate, interfectis, in Hiberniam profugit, & Kenanuſæ, aliàs Kenliſæ in Midia, monaſterium in honorem S. Columbæ ſive condidit, ſive reſtauravit. Cùm verò annos circiter 7 ibi præfuiſſet Abbas, Dermitio quodã in dicto cœnobio Abbate relicto, in Jonam ſive Inſulam Huenſem reverſus eſt, ubi, poſt annum unum vel alterum, mortem obiit. Neſcio an in laniena prædicta, vel poſteriore aliqua, trucidatus fuerit Blaithmacus reguli Hibernici filius. Eum, ſub his temporibus, à Danis ſive Norwegis ethnicis in Jona inſula cæſum, ex vita ejus, à Wallafrido Strabone carmine deſcripta, liquet. Omitto hîc commenta Saxonis Grammatici, qui (more ſuo) Fridelithum, Frothonem 3, & Haconem, Danos, multis annorum centuriis, ante hæc tempora, Hiberniam infeſtâſſe fingit.

Anno 812, *Claſſis Normannorum Hiberniam inſulam aggreſſa*, (inquit Rhegino in Chronico) *commiſſoque cum Scotis prælio, multi ex iis interfecti, cæteri fugâ lapſi ſunt.* Et, ad eundem annum, Hermannus Contractus, *Claſſis Danorum Hiberniam invadens, à Scotis victa eſt.* Item Hiſtorici Hibernici Danos ſub eodem tempore duobus præliis ab Hibernis profligatos aſſerunt. Circa

Circa annum 815, aliis 818, Turgeſius, Norwegus Hiberniam primùm invaſit.

Anno 835, Norwegi, majoribus inſtructi copiis, magnâ claſſe appulerunt, ſub ductu Turgeſii, & Conatiam fermè univerſam, unà cum quibuſdam Lageniæ & Midiæ partibus, devaſtârunt. Intra triennium d inde poſteà, non parvâ Ultoniæ parte ſubjugatâ, ubique fermè templa demoliti ſunt, & in Chriſtianæ religionis profeſſores(cujus tunc hoſtes erant) magnâ crudelitate graſſati. Qua de re, vid. Jocel. Furneſſenſ. in vitâ S. Patricii, cap. 175. Speciatim Turgeſium Armacham occupâſſe & inde Farananum Archiepiſcopum loci expuliſſe, *unà cum omnibus religioſis & ſtudioſis* tradunt Hiſtorici Hibernici. Aſſerit porrò Colganus (in Triade Thaumaturga) ex Annalibus 4 Magiſtrorum, *Anno* 838, *claſſe ſexaginta navium Nortmannos ingreſſos eſſe oſtia Boandi fluminis, & aliâ 60 navium, oſtia Liffii flu. in Lagenia.* A Turgeſio (quòd obiter adnoto) multa foſſatorum illorum rotundorum, ſive militarium vallorum, vulgò *Danes Rathes* dictorum, facta dicuntur, quæ in plurimis Hiberniæ regionibus, etiamnùm ſuperſunt. Atque talia fortaſsè fuerunt caſtella Brigantum veterum, de quibus ita Juvenalis, Satyr. 14,

Dirue Maurorum attegias, caſtella Brigantum.

Sunt porrò qui credunt Danos & Norwegos extruxiſſe multos è collibus illis rotundis quos ſine foſſis, paſſim in Hibernia cernimus, quaſi ſepulchra Magnatibus & Ducibus ſuis. Eundem morem in Dania olim viguiſſe, ex ſupradi-

ſupradicto Olao Wormio liquet, in libro de Danicis Monumentis, Hafniæ edito, Anno MDCXLIII. Speciatim (in Hibernia) è tali colle in orientali ſuburbio civitatis Dublinii, prope Collegium S. Trinitatis, effoſſum eſt anno MDCXLVI monumentum quod oſſa hominis combuſta texit: opus uti creditur Oſtmannicum, de quo fuſiùs poſteà.

An Saxa illa ingentia & rudia quæ in planitie non longè à Naaſa in agro Kildarienſi & alibi viſuntur, (victoriarum putà monumenta) à Danis erecta fuerint, non poſſum pro certo affirmare. Sed ut ad noſtrum inſtitutum revertamur.

Anno 845, Norwegi diripuerunt & incenderunt Clonmacnoiſam, Clonfertam, Loghrã, & Tirdaglaſſam. Porrò circa eundem annum, Turgeſius Melachlini ſeu Melſechlini Regis Midiæ filiam deperiiſſe fertur: *Atqui Rex ille* (Giraldum Cambrenſem audis) *virus ſub pectore verſans, filiam ſuam illi concedens, ad inſulam quandam Mediæ, ſcil. de Loch-vair, illam cum* 15 *puellis egregiis ei miſſurum ſe ſpoſpondit. Quibus & Turgeſius gaviſus, cum totidem nobilioribus gentis ſuæ, ſtatuto die & loco, obviam venit, & invenit in Inſula* 15 *adoleſcentes imberbes, animoſos, & ad hoc electos, ſub habitu puellari, dolum pallientes, cultellis, quos occultè ſecum attulerunt. Statim inter amplexus, Turgeſius cum ſuis occubuit.* Sic ille, Topograph. Hiberniæ diſtinct. 3, cap. 4. Cæterùm author Annalium Ultonienſium, de dolo eo tacens, Turgeſium à Melachlino rege captum fuiſſe & in dicto lacu ſubmerſum, tradit. *Famâ* tùm *pernicibus alis* (ſic iterùm Cambrenſis, cap. 41,) *totam ſtatim inſulam pervolante,*

lante, & rei eventum, ut aſſolet divulgante, Norwegienſes ubique truncantur, & in brevi, omnes omninò, ſeu vi, ſeu dolo, vel morti traduntur, vel iterùm Norwegiam & Inſulas unde venerant, navigio adire compelluntur. Deinde cap. 42, *Quæſiverat autem à Turgeſio prædictus Midenſium rex, & in dolo (nequitia jam animo concepta) quonam tenore vel arte, aves quædam in regnum nuper advectæ, terræ toti patriæque peſtiferæ, deſtrui poſſent & deleri. Cùmque reſponſum accepiſſet, nidos eorum ubique deſtruendos, ſi jam fortè nidificâſſent, (de Caſtellis Norwegienſium hoc interpretantes) mortuo Turgeſio, in eorum deſtructione Hibernienſes per totam Inſulam, unanimiter inſurrexerunt. Annos igitur circiter 30 Norwegienſium pompa & Turgeſii tyrannis in Hibernia perduravit, & deinde Gens Hibernica ſervitute depulsâ, & priſtinam libertatem recuperavit, & ad regni gubernacula denuò ſucceſſit.* Hactenùs Giraldus. Hibernos quidem hoc tempore Norwegorum vires multùm fregiſſe certum eſt. Attamen auxiliares copiæ, novis è Dania & Norwegia claſſibus, indies confluentes Hiberniam per plurimos poſteà annos, graviſſimè afflixerunt, ut infrà patebit.

Anno 848, Prælium inter Melachlinum (de quo ſuprà) tum regem Hiberniæ & Danos Fouræ commiſſum eſt, in quo 700 Danis occiſis, victoria Melachlino ceſſit. In prælio itidem *ad Scia-naght*, ab Olcobaro rege Caſſeliæ (quem Abbatem etiam Imelacenſem appellat Liber meus cœnobii Iniſfallenſis) & Lorcano filio Kellachi, rege (ni fallor) Lageniæ, cæſi ſunt è Danis 1200, ac in duabus aliis pugnis, ante finem anni, ceciderunt circiter

citer 1700. Ita hic annus Danis in Hibernia fuit luctuoſiſſimus, unde Melachlinus Rex ob partas victorias, ad Carolum Calvum Francorum Regem, *pacis & amicitiæ gratiâ, legatos cum muneribus miſit, viam ſibi petendi Romam concedi depoſcens.* Sic Chronic. Norman.

Anno 849, Auxiliares copiæ, è Dania & Norwegia 140 navibus, in Hiberniam appellentes, bellum, magno Hibernorum damno, redintegrârunt.

Anno 850, Melachlinus rex, jam bello civili implicatus, pace, ad tempus, Danis ſtabilitâ, eorum auxilio, hoſtes magnâ ſtrage profligavit.

Ante annum 851, Danos, Dublinio & regiuncula vicina quam Fingalliam vocamus, potitos eſſe, ex Hiſtoricis Hibernicis liquet. Inter hos & alios ejuſdem gentis, hoc anno, atrox commiſſum eſt prælium, in quo Dani Dublinienſes profligati ſunt, & Dublinium à victoribus direptum. Atqui fugâ non pauci elapſi, in patriam confugerunt, unde anno inſequente, auxiliaribus copiis reverſi, hoſtibus victis, Dublinium recuperârunt & reſtaurârunt. Danos ſive Oſtmannos Dublinienſes intelligit proculdubiò vitæ S. Coëmgeni ſive Keivini ſcriptor, cùm de Dublinio & ejus civibus ita loquatur, *Civitas Ath-cliath eſt in aquilonali Laginienſium plaga, ſuper fretum maris poſita; & id Scoticè dicitur Dub-lein, quod ſonat Latinè nigra therma: Et ipſa civitas potens & belligera eſt, in qua ſemper habitant viri aſperrimi in præliis, & peritiſſimi in claſſibus.*

Anno 852, Armacha, ipſo Paſchatis die, à Danis devaſtata eſt. Ac paulò pòſt, Dermitius

tius loci Epiſcopus, quem Annales Hibernici *Sapientiſſimum omnium Doctorum Europæ* appellant, ſive mœrore, ſive morbo, extinctus eſt.

Anno 853, Amlavus aliis Amelaus magnâ Danorum & Norwegorum claſſe, hûc appulit, eique omnes Dani, in Hibernia tum degentes, ſe ſubmiſerunt. Hic Amelaus (opinor) ille fuit, & hæc Norwegorum ea claſſis, de quibus hæc habet Giraldus Cambrenſis, Topograph. Hiberniæ l. 3. c. 43, *Non multo verò pòſt tempore* (poſt mortem ſci. Turgeſii) *iterùm de Norwagiæ & inſularum Borealium partibus, quaſi de reliquiis gentis prioris, & quia vel occulata fide, vel parentum relatione, terram optimam noverant, non in bellica claſſe, ſed ſub pacis obtentu, & quaſi mercaturæ exercendæ prætextu, in Inſulam quidam advenerunt, qui & maritimos Hiberniæ portus, ſtatim occupantes, tandem de aſſenſu Principum terræ, civitates in ipſis varias conſtruxerunt. Quoniam enim innatæ ocioſitatis vitio, gens Hibernica, ut diximus, nec maria luſtrare, nec mercaturæ indulgere aliquatenùs voluerat, de communi totius regni conſilio, perutile videbatur, ut gens aliqua, cujus operâ, aliarum regionum commercia, quibus hæe terra caruerat, hûc advehi poſſent, in aliquibus regni partibus admitterentur. Fuerunt autem Duces eorum tres fratres, Amelaus ſci. Sytarachus, & Yvorus. Conſtructis itaque primò civitatibus tribus; Dublinia, Guaterfordia, Limerico; Dubliniæ Principatus ceſſit Amelao, Guaterfordiæ, Sytaraco, Limerici, Yvoro; & ex iis paulatim ad alias Hiberniæ civitates conſtruendas proceſſu temporis, ſunt derivati. Gens igitur hæc quæ nunc Oſtmannica gens vocatur, inprimis,*

primis, iſtius regibus ſatis tractabiles fuerunt & pacifici : Sed ex quo in immenſum, generis numeroſitate jam excreverant, & civitates foſſatis & muris optimè cinxerant ; antiquas inimicitias altâ mente repoſitas, nonnunquàm renovare, & acriter rebellare ſolebant. Dicti ſunt autem Oſtmanni, linguâ ipſorum, corrupto quodam Saxonico, quaſi Orientales homines : Reſpectu namque terræ iſtius, ab Orientalibus hùc partibus undecunque advecti ſunt, Ita Giraldus ; è quo eadem hauſiſſe videtur Ranulphus Monachus Ceſtrienſis, in Polychronico. Cæterùm, ut de hac narratione, quod ſentio dicam, conſtabit (opinor) Oſtmannos ſedes eas maritimas, non mercaturæ prætextu, nec Hibernorum aſſenſu, ſed vi & armis obtinuiſſe, ſi conſideremus quantâ immanitate, à primo eorum ingreſſu, imò hoc ipſo tempore, de quo nunc loquimur, & diù poſteà, per Hiberniam graſſabantur. Certè ex optimis Hiſtoricis liquet Amlavum hunc, poſt prælium unum aut alterum, proſpero contra Hibernos eventu, tanto fuiſſe iis terrori, ut annuo quodam tributo, pacem, ad tempus redimere coacti fuerint.

Anno 856, Inter Melachlinum regem & Danos atrox ortum eſt bellum, quo multi utrinque ceciderunt.

Anno 857, Cathaldus *Albus*, dum res novas moliretur, ab Amlavo & Ivaro, prælio profligatus eſt in Momonia.

Anno 859, Amlavus & Ivarus cum magno exercitu in Midiam profecti ſunt. De ſucceſſu, tacent Annales Hibernici; Sub eo verò tempore (ut videtur) induciæ inter Melachlinum & Danos ſunt pactæ.

Anno

Anno 862, Defuncto Melachlino rege Hiberniæ, Lorcanus filius Cathaldi & Cornelius filius Dermitii regnum Midiæ inter ſe partiti ſunt. Iis verò ab Edano cognomento *Finliat*, Danorum auxilio, poſteà captis, Edanus Rex Hiberniæ ſalutatus eſt. Lorcanum ab Edano tunc oculis orbatum, & Cornelium, ab Amlavo, Clonardæ ſubmerſum ferunt.

Anno 869, Amlavus Armacham diripuit, & incendit, poſtquàm mille homines ibi prælio interfeciſſet.

Anno 870, Amlavus & Ivarus, cum claſſe 200 navium in Britanniam ſolverunt, in auxilium *H*inguari & Hubbæ Danorum. De quibus Florilegum petas & alios rerum Anglicarum Scriptores. Anno ſequenti, cum ingenti præda, multiſque captivis, Dublinium reverſi ſunt. Sed brevi poſteà Amlavus naturæ ceſſit.

Anno 871, Ailillus Rex Lageniæ à Danis occiſus eſt.

Anno 872, Fato functus eſt Ivarus, quem Annales Hibernici *regem Normannorum totius Hiberniæ* appellant.

Anno 875, Oſtinus Amlavi filius, poſtquàm Pictos magna ſtrage profligaverat, Danorum ſive Oſtmannorum dolo, occiſus eſt. Túmque imperium ſuſcepiſſe videtur Godfridus Ivari filius.

Anno 888, Atrox prælium inter Flanum Regem Hiberniæ & Danos commiſſum eſt, quo multi utrinque ceciderunt, & inter alios ex parte Flani, Edanus filius Cornelii rex

Conatiæ cæſus eſt. Paulò poſteà, Godfridus filius Ivari Danorum Princeps, per Sitrici fratris ſui malas artes, interemptus eſt.

Anno 892, Simultas inter Sitricum filium Ivari, & Galfridum quendam *Merlum* cognominatum, tunc temporis virum magni nominis apud Dublinienſes, eoúſque in apertam inimicitiam erupit, ut inter eos, Urbs quaſi diviſa fuerit, dùm una pars Sitricum, altera, Galfridum ſequeretur.

Anno 895, Oſtmanni Dublinienſes in Ultoniam profecti Armacham diripuerunt.

Anno 896, Sitricus filius Ivari, qui fratrem (uti diximus) occiderat, pœnâ licèt claudâ reum aſſequente, à ſuis occiſus eſt. Prælium inter Amlavum filium Ivari & Ultonienſes, in Tirconalia, commiſſum eſt, in quo Amlavus victus eſt & occiſus.

Anno 902, Dani novâ claſſe appellentes, à Lagenienſibus prope Dublinium, magnâ ſtrage profligantur.

Anno 914, Acris pugna navalis prope Manniam Inſulam, inter Barredum & Reginaldum *O-Hivar* Danos, commiſſum eſt, in quâ Reginaldus, Barredo & ſuis occiſis, victoriam reportavit.

Anno 915, Dani magnâ claſſe appellentes Momoniæ partem devaſtant.

Anno 916, Dani ſive Oſtmanni, in Momonia, præliis aliquot ſuperati ſunt: Cæterùm in Lagenia, meliori ſucceſſu pugnârunt. Nam, ſub ductu Sitrici, Angarrus filius Aililli rex Lageniæ prælio occiſus eſt, & cum eo ceciderunt multi Lageniæ Proceres. Sub eodem tempore, Dani ſive Oſtmanni Dubliniæ Monam, ſive Angleſeiam in Cambria vaſtârunt,

vaſtârunt, ut è Caradoco Lhancarvanenſi intelligimus.

Anno 918, Dani Momoniæ Albaniam, hodiè Scotiam, infeſtârunt.

Anno 919, Prælium atrox inter Nellum *Glundub* Regem Hiberniæ & Oſtmannos commiſſum eſt Septembris 15, prope Dublinium, quo Rex ipſe, unà cum multis proceribus, periit. Nello occiſo, Imperium ſuſcepit Donatus Flani filius, qui, anno ſequenti, Oſtmannos magnâ ſtrage profligavit.

Anno 921, Reginaldo regulo Oſtmannorum Dublinii defuncto ſucceſſit Godfridus, qui eodem anno, contracto exercitu, in Ultoniam profectus eſt, ubi menſe Novembr., Armacham diripuit.

Anno 924, Godfridus in expeditione Limericum versùs, magnam exercitus ſui partem amiſit.

Anno 926, Godfridus copias in Ultoniam miſit, ſub ductu Aulafi filii ſui, qui ab Ultonienſibus, bis in fugam conjectus, ægrè tandem à pátre, qui eum, novis è Dublinio auxiliis ſecutus eſt, liberatus.

Anno 934, Godfridus obiit, ob crudelitatem infamis, ſucceſſit filius Aulafus, aliàs Aulavus, idem opinor cum Anlapho illo qui in prælio ad *Bruneburgum* in Northumbria, ab Athelſtano Anglorum Rege victus eſt, anno 937. De quo vid. Ingulph. & Hen. Huntindon.

Anno 941, Aulafus morte repentinâ ſublatus interiit. Hunc Caradocus Lhancarvanenſis Abloicum præcipuum Hiberniæ regem appellat, & obiiſſe aſſerit anno 939. Liber Marganenſis an. habet 940.

Anno 942, Dunum, Clonarda & Kildara, regionéſque adjacentes variis Oſtmannorum exercitibus, vaſtantur.

Anno 943, Dani in Lecalia degentes, ſedibus ſuis, ab Ultonienſibus ejiciuntur; eodem verò anno Murtachum Ailechæ regulum; prælio interficiunt 26 Febr. & die ſequenti, Armacham diripiunt.

Anno 944, Donato rege Hiberniæ morte repentina ſublato. Congelachus filius Mælmithi imperium ſuſcepit, qui eodem anno Brieni regis Lageniæ auxilio, Dublinium vi cepit & diripuit, Oſtmannis ibidem partim occiſis, partim in fugam converſis.

Anno 945, Blacarus Oſtmannus, Aulafi frater, copiis auxiliaribus, Dublinium recuperavit & reſtauravit.

Anno 946, Oſtmanni Dublinienſes, ut cladem nuper acceptam ulciſcerentur, hoc anno non parvam Midiæ partem devaſtârunt.

An. 947, Oſtmanni Dublinienſes à Congelacho rege, prælio profligantur.

Anno 948, Bellum redintegrârunt Dublinienſes, ſed à Congelacho rege iterùm ſuperati ſunt, ipſo Blacaro rege, & è ſuis fermè 1600 in prælio occiſis. Blacaro ſucceſſit Godfridus Sitrici filius. Circa hæc tempora *Oſtmanni* Hibernici ad religionem Chriſtianam converſi ſunt. Neque deſunt qui, hoc ipſo anno, Oſtmannos cœnobium B. Mariæ Virginis juxta Dublin. Monachis Benedictinis poſuiſſe tradunt, quamvis alii, diù anteà fundatum aſſerunt, à Melachlino al. Malachia rege Hiberniæ (qui obiit 862) Gillemoholmoc neſcio quo & Roiſia uxore ejus, Et alii, à Donaldo Gillemoholmoc. Ut ut fuerit, Monachos ibidem,

dem *Ordinis Ciſtertienſis inſtitutionibus ſe ſubmiſiſſe* anno 1139 *imitantes patrem ſuum Abbatem Saviniacenſem* docent ejuſdẽ cœnobii Annales. Jacobum Abbatem primum obiiſſe 5 nonas Martii prodit loci codex antiquus MS. penes Rogerum Twyſdenum equ. & Baronettum. De anno ſilet, ſed Everardum Abbatem quartum obiiſſe tradit 4 Idus Aprilis 1131, Quæ ſi vera ſint, vel plerique eorum *Macrobii* fuerunt, vel cœnobium diù Abbate fuit viduatum.

Anno 950, Oſtmanni Dublinienſes Slanam in Midia diripuerunt & incendio deformârunt. Eo incendio, Cinaum virum doctũ & loci Prælectorem, multóſque alios in Eccleſia congregatos periiſſe ferunt. Cæterùm anno ſequenti, poſtquàm magnam Midiæ partem, ſub ductu Godfridi devaſtâſſent, ingenti præda onuſti, in reditu Dublinium verſus, ab Hibernis intercepti ſunt & magnâ ſtrage profligati.

Anno 956, Prælium atrox inter Congelachũ regem Hiberniæ, & Oſtmannos Dublinienſes, ad *Tiguiran*, in Lagenia, commiſſum eſt, ubi Congelachus fuſus eſt & occiſus. Eo cæſo, Hibernorum Imperium arripuit Donaldus Nellus.

Anno 959, Aulafus Dublinii regulus à Caradoco Lhancarvanenſi, *Ablocus rex Hiberniæ* appellatus, Promontorium ſacrum (quod nos **Holy-head**, incolæ *Caer-gybi* vocant) in Mona ſive Angleſeia inſula, deinde regiunculam Lhinnenſem, claſſe ſua diripuit. Atqui liber Marganæ ſive lib. *Hergeſti* hanc deprædationem aſcribit *Ablaici filiis*.

Anno 962, mortẽ obiit Godfridus Oſtmannus, Aulafi filius. Circa hæc tempora (ut videtur) Eadgarus Rex Angliæ magnã Hiber-

niæ partem ſubegit, & ſpeciatim Dublinium Urbem. Qua de re, vid. quæ ſuprà dicta ſunt cap. 4, ex Præfatione Chartæ Eadgari.

Anno 970, Pugna Kilmonæ commiſſa eſt, inter Donaldum regem Hiberniæ & Donaldum Congelachi filium, Aulafi Oſtmanni copiis adjutum. In eo prælio multi utrinque ceciderunt; Sed plures ex parte Donaldi regis.

Anno 977, Aulafus Sitrici filius prælio vicit & interfecit Murtachum & Congelachum, Donaldi regis filios.

Anno 980, Donaldo regi defuncto ſucceſſit Melachlinus, aliàs Malachias filius ejus, qui eodem anno, Temoriæ, prælio memorabili, Oſtmannorum vires fregit & quodammodò peſſumdedit: Nam in eo prælio, præter millia aliquot militum gregariorum, primarii Oſtmannorum Duces fermè omnes cæſi ſunt, inter quos numeratur Reginaldus Aulafi filius; ob cujus interitum & maximam eam Oſtmannorum cladem, Aulafus ipſe, anno inſequente, peregrinatione ad Inſulam Huenſem ſuſceptâ, ibidem (ut ex Annalibus cœnobii Inſulæ omnium Sanctorum in occiduo limite agri Longfordienſis intelligimus,) pœnitentiâ peractâ, vi mœroris obiit. Succeſſit ei filius Gluniarandus. Pugnâ Temorienſi finitâ, Melachlinus in Fingalliam, ditionis Oſtmannicæ regiunculam profectus, eam igne & ferro devaſtavit, eodemque tempore Hibernos omnes, quos Oſtmanni captivos tenuerunt, in libertatem aſſeruiſſe fertur. Cæterùm pace tandem inter Melachlinum regem & Oſtmannos Dublinii certis conditionibus factâ, ii, ut priorem jacturam, aliquo modo, reſarcire viderentur, auxiliaribus copiis contractis, in Brieni

Brieni filii Murchardi Regis Lageniæ territoria irruperunt, quæ dum Brienus tueri conaretur, ipſe, ab iis captus eſt & paulò pòſt occiſus.

Anno 983, Melachlinus Rex, ab Oſtmannis Dublinienſibus adjutus, Donaldum *Clæn* Lorcani filium regem Lageniæ, prælio fudit. In ea pugna, inter alios melioris notæ, cecidit Patricius Ivari reguli Waterfordienſis filius.

Anno 989, Gluniarandus, al. Glumainus, Aulafi filius rex Oſtmannorum Dublinii, à famulo ſuo interremptus eſt. Succeſſit frater ejus Sitricus. Circa idem tempus, Elirniannum filium Abloici occiſum aſſerit Caradocus Lhancarvanenſis, quem regem Hiberniæ appellat: & nomine & titulo deceptus. Eodem anno Godfridus Haraldi filius Hebridum inſularum regulus à Dalriadinis occiſus eſt; cui ſucceſſit filius Reginaldus.

Anno 994, Sitricus Aulafi filius, ab Oſtmannis Dublinii, in exilium pulſus, ante annum circumactum revocatus eſt, regnóque reſtitutus.

Anno 999, Marianus aliàs Mælmurrius Murchardi filius à jam dicto Sitrico adjutus Lageniæ regnum obtinuit, Donato prædeceſſore ejus in prælio capto & abdicare coacto. Ante finem ejuſdem anni Brienus Borous Rex Momoniæ Oſtmannos Dublinienſes in prælio ad *Glenananin* fudit, ac Dublinium vi cepit & diripuit.

Anno 1000, Oſtmanni (obſidibus Brieno traditis) Dublinium reſtaurârunt & firmârunt. Eodem anno, Ivarus Oſtmannorum Waterfordiæ regulus obiit, ſucceſſit ei filius Reginaldus.

Anno 1013, Lagenia, primùm à Murchardo filio Brieni Boroi tum regis Hiberniæ, deinde à Brieno ipſo, ad muros, uſque Dublinii, miſerè direpta eſt: Lagenienſibus interim & Oſtmannis, pace inter ſe factâ, conjunctis copiis, ſe ſuaque fruſtrà tueri nitentibus.

Sub initium anni 1014, vel paulò ante, Brienus Borous rex cum plurimis Hiberniæ regulis egit, ut conjunctis viribus, Sitricum, omneſque Oſtmannos Dublinii, utpote publicos regni hoſtes, ex Hibernia expellere conarentur. Sitricus contrà, certior factus, quid Brienus moliebatur, nullum non movit lapidem, ut ſe ſuoſque propugnaret: Pace igitur (ut anteà diximus) cum Mælmurrio Murchardi filio rege Lageniæ facta, ſuppetias, tam ab eo, quàm â Danis, ſive Norwegis, qui Manniam & Hebrides, (Hibernis *Inche-gall*) incolebant, obtinuit. Magnis copiis ſic utrinque coactis, concurritur tandem Clontarfæ prope Dublinium, Aprilis 23, ubi poſt longam acerrimamque pugnam, victoria (ſic plerique habent) ceſſit Brieno qui tamen ex vulnere, quod in prælio acceperat, mortifero, mox expiravit. Sunt contrà qui aſſerunt Danos ſive Oſtmannos, cùm eorum acies nutare cœperit, Brieno occiſo, redintegratis viribus, in Hibernos irruiſſe, eoſque magna ſtrage profligâſſe. Qui hanc ſententiam tenent, addunt etiam Brieni temeritatem magno fuiſſe Danis commodo: Ille enim (ut fertur) auxilia cum filio ejus Donato intra triduum ventura, non præſtolans, ne priorum actorum gloriam obſcurare videretur, cum hoſtibus congredi facilè perſuaſus eſt, id quod ſibi ſuiſque poſtea fuit exitio.

exitio. In exercitu ſuo, Melachlinum porrò habuit, tunc Midiæ, anteà Hiberniæ regem, qui in prælio, ob priores injurias, alienati in eum animi indicia dediſſe fertur. Cum Brieno ceciderunt, filius ejus Murchardus & Murchardi filius Tirdelvacus, magnus etiam Procerum numerus, & cæterorum 7000, vel ut aliqui habent, 11000. Ex Danis ſive Oſtmannis & Lagenienſibus, plurimi etiam perierunt, Sed numerus incertus eſt. Inter eos primarii numerantur Dubgallus Aulafi filius, Bruodarus claſſis Danicæ præfectus, qui Brienum occiderat, Mælmurrius rex Lageniæ, Donaldus Dux Fortuallenſium, & alii quos prætereo. Sunt qui tradunt cadavera Brieni & filii ejus Murchardi, necnon Donati O-Kelli, Doulani O-Hartegan, & Gille-Barmedi, ad *Kill-mainan*, villam unico milliari à Dublinio diſtantem, juxta antiquam crucem lapideam, ab Hibernis ſepulta eſſe. Alii verò aſſerunt corpora Brieni & Murchardi filii, Swordam, (villa eſt ad 6 à Dublinio lapidem) delata, inde à Mælmurrio Eochæ filio Archiepiſcopo Armachano, (quem Annales Hibernici S. Patricii *Comorbanum* appellant) Clero comitante, Armacham deportata, in Eccleſia Cathedrali ibidem, cui benefactor fuerat Brienus, fuiſſe condita. Prælio finito, Sitricus, cum Oſtmannorum reliquiis, Dublinium ſe recepit, ac Melachlinus Rex Midiæ, à popularibus, Rex maximus Hiberniæ denuò declaratus eſt.

Anno 1018, Jam dictus Melachlinus copias Lagenienſes Oſtmannicas, in prælio ad *Fodvay*, fudit.

Anno 1019, Brienus Mælmurrii filius Rex Lageniæ

Lageniæ oculis orbatus eſt Dublinii, à Sitrico rege.

Anno 1020, Reginaldus Ivari filius regulus Oſtmannorum Waterfordiæ improles obiit. Succeſſit ei Sitricus frater.

Anno 1022, Ugairus Rex Lageniæ in conflictu ad *Delgne*, Sitricum Regem Dublinii fugavit.

Anno 1023, Sitricus Oſtmannorum Waterfordiæ regulus, ab Oſſorienſibus, occiſus eſt. Succeſſit ei Reginaldus *O-Hivar*.

Anno 1029, Sitricus Rex Oſtmannorum Dublinii, peregrinatione Romam uſq; ſuſceptâ, in via defunctus eſt. Succeſſit ei filius Aulavus ſive Auloedus, qui anno ſequente, à Matthæo aliàs Mathgauno O-Riagan captus, pro lytro ſolvit 200 vaccas, 80 equos Britannicos, tres uncias auri & gladium quendam vulgò dictum Caroli gladium.

Anno 1035, Aulavus filius Sitrici rex Dublinii Romam profecturus, in Anglia occiſus eſt. Succeſſit ei filius Sitricus.

Anno 1036, Reginaldus O-Hivar Waterfordiæ regulus occiſus eſt Dublinii, à Sitrico rege.

Anno 1038, Communanus O-Raban regulus Waterfordiæ domeſticis inſidiis periit. Eodem anno Waterfordia à Dermitio rege Lageniæ direpta eſt & incenſa.

Anno 1042, (aliis 1041) Sitricus Aulavi filius rex Oſtmannorum Dublinii deceſſit. Hic fuit (ut reor) Sitricus ille, quem liber niger Eccleſiæ S. Trinitatis Dublinii Sitricum filium *Ableb* appellat, de quo ibidem hæc legimus, *Sitricus Rex Dublin. filius Ableb Comitis Dublin. dedit Sanctæ Trinitati & Donato primo Epiſcopo*

Epiſcopo Dubliæ. locum ad ædificandam Eccleſiam S. Trinitati, ubi fornices ſive voltæ ſunt, cum terris ſubſequentibus, viz. Bealdulek, Rechen, Portrahern, cum villanis & vaccis & bladis, nec non aurum & argentum, ſufficienter ad ædificandam Eccleſiam, cum tota curia, contulit. Sitrico ſucceſſit Aulavus ſive Auloedus, quem Caradocus Lhancarvanenſis Alphredum perperàm appellat. Sub eodem tempore Conanus *ap Jago*, Aulavi gener, copiis Dublinii collectis, in Walliam trajecit, contra Gruffinum *ap Lhewellin* regulum, qui Venedotiam Conano profugo debitam, uſurpârat: Gruffinum ibi dolo cepit, ſed dum captivum, naves versùs, ſecum duceret, Walli, de ea re certiores facti, tanto numero confluxerunt, ut facilè Gruffinum liberaverint, & Conanum ad naves repulerint.

Anno 1050, Conanus cum alia claſſe, è Dublinio Walliam versùs ſolvit, ſpe plenus, Venedotiam, hæreditario jure ſibi debitam, recuperandi: Sed operam denuò luſit; nam maximâ claſſis parte tempèſtate amiſsâ, ipſe ad litora Hibernica rejectus eſt.

Anno 1066, *Godredus*, ſive Gothricus cognomento *Crovan* rex Manniæ (ut è Chronico Regum Manniæ intelligimus) *ſubjugavit ſibi Dublinium & magnam partem de Layneſter, Scotos verò ita perdomuit, ut nullus qui fabricaret navem vel ſcapham, auſus eſſet pluſquàm tres clavos inſerere.* Eum regem Hiberniæ appellat Lanfrancus Archiepiſcopus Cantuarienſis, in Epiſtola quadam, cujus exemplar habetur in Tomo undecimo Annalium Cardinalis Baronii.

Anno 1071 Murchardus filius Dermitii rex Lageniæ

Lageniæ mortem obiit, & Dublinii ab Oſtmannis ſepultus eſt.

Anno 1074, Maii 6, è vita migravit Donatus al. Dunanus Oſtmannorum primus Epiſcopus Dublinienſis, & in Eccleſia ſua Cathedrali, prope ſummum altare, ſepultus eſt. Túmque Patricius quidam, Oſtmannus itidem, Godredo rege petente, ſucceſſor electus à Dublinienſibus, in Angliam miſſus eſt, à Lanfranco Cantuarienſi Archiepiſcopo conſecrandus, cum epiſtola ſequente, *Venerando S. Cantuarienſis Eccleſiæ Metropolitano Lanfranco, Clerus & populus Eccleſiæ Dublinienſis debitam ſubjectionem. Veſtræ Paternitati eſt cognitum, quòd Eccleſia Dublinienſis, quæ Hiberniæ Inſulæ Metropolis eſt, ſuo ſit viduata Paſtore, ac deſtituta Rectore. Propterea elegimus Presbyterum nomine Patricium nobis ſufficientiſſimè cognitum, natalibus & moribus nobilem Apoſtolica & Eccleſiaſtica diſciplina imbutum, fide Catholicum, in ſcripturarum ſenſibus cautum, in dogmatibus Ecceſiaſticis exercitatum, quem nobis quantociùs petimus ordinari Epiſcopum, quatenùs authore Deo, regulariter nobis præeſſe valeat, & prodeſſe, & nos ſub ejus regimine ſalubriter militare poſſimus, quia integritas Præſidentium ſalus eſt ſubditorum, & ubi eſt incolumitas, ibi eſt forma Doctrinæ.* Ante finem ejuſdem anni, Patricius ille Londini, in Eccleſia S. Pauli, à dicto Lanfranco conſecratus eſt, obedientiæ profeſſione ſequenti præſtitâ, *Quiſquis aliis præſidet, ſi & ipſe aliis ſubjaceat, dedignari non debet, ſed potiùs obedientiam, quam à ſubditis ſuis deſiderat habere propter Deum, ſtudeat prælatis ſibi per omnia humiliter exhibere. Propterea ego Patricius*

tricius ad regendam Dubliniam Metropolim Hiberniæ electus Antiſtes, tibi, venerande pater Lanfrance Britanniarum Primas, & Sanctæ Dorobornienſis eccleſiæ Archiepiſcope, Profeſſionis meæ Chartam porrigo, meque tibi tuiſque ſucceſſoribus, in omnibus, quæ ad Chriſtianam religionem pertinent, obtemperaturum eſſe promitto. Hæc ex vetuſto codice MS. bibliothecæ Cottonianæ, unà cum aliis Epiſcoporum Oſtmannicorum profeſſionibus, in lucem emiſit, inter veteres Epiſtolas Hibernicas, eruditiſſimus Jacobus Uſſerius Armachanus, anno 163?.

Anno 1076, Godredus *Crovan* rex Dublinii, necnon Manniæ & Hebridum Inſularum obiit in Ila Inſula, Ptolemæi Epidio. Succeſſit ei, in Regimine Manniæ & Hebridum, filius ejus Lagmannus: Cæterùm à Dublinienſibus, in regem electus eſt (ni fallor) Godfridus cognomento *Meranagh*.

Octobris 10, 1084, Patricius Dublinienſis Epiſcopus, in Oceano Britannico, naufragio periit, Epiſcopatus ſui anno 10.

Anno 1085, Donatus (alias Dongus) O-Haingly Oſtmannus, Dublinii natus, ſed Cantuariæ in Angliâ educatus, ubi monachus factus eſt Benedictinus, Tirdelvaci regis clerique Dublinienſis conſenſu, Cantuariæ, à Lanfranco Archiepiſcopo Cantuarienſi, profeſſione conſueta præſtita, conſecratus eſt Epiſcopus Dublinienſis, ac in patriam reverſus, libros nonnullos, & Eccleſiaſtica ornamenta, quæ Lanfrancus Eccleſiæ S. Trinitatis Dublinii dederat, ſecum reportavit.

Anno 1088 (aliis 1087) Waterfordia vi capta eſt & combuſta, ab Oſtmannis Dublinii.

Anno

Anno 1089, Oſtmanni Dublinii, Waterfordiæ & Wickloæ dum conjunctis viribus, Corcagiam diripere intenderent, ab Oneaghenſibus, in prælio fuſi ſunt & profligati.

Anno 1095, Moriertachus O-Brien Rex Hiberniæ, Dublinium, cum exercitu pervenit, ac inde expulit Godfridum *Meranagh* regulum. Eodem anno mortem obiit Donatus O-Haingly Epiſcopus Dublinienſis, cui ſucceſſit ejus nepos Samuel O-Haingly, cœnobii S. Albani monachus Benedictinus. De quo vid. plura apud Eadmerum, in Hiſtoria Novorum. Sub eodem tempore Godfredus *Meranagh* mœrore confectus è vivis exceſſit.

Anno 1096, Sedes Epiſcopalis Waterfordiæ inſtituta eſt, & primus ibi Epiſcopus electus eſt Malchus quidam, in Hibernia natus, ſed educatione Monachus Eccleſiæ Wintonienſis in Anglia. Is conſecrationem obtinuit Cantuariæ 5 Kal. Januarii, ab Anſelmo Archiepiſcopo Cantuarienſi, aſſiſtentibus Radulpho Ciceſtrienſi & Gundulpho Roffenſi, Epiſcopis, profeſſione ſequenti præſtitâ; *Ego Malchus Eccleſiæ Waterfordiæ electus, & à te Reverende pater Anſelme, ſanctæ Cantuarienſis Eccleſiæ Archiepiſcope, & totius Britanniæ Primas, Antiſtes conſecrandus, tibi & omnibus ſucceſſoribus tuis, canonicam obedientiam me per omnia ſervaturum promitto.* Literarum in ejus gratiam conſcriptarum exemplar habes apud Eadmerum, à Doctiſſimo Seldeno, in lucem editum, anno 1623, cum notis & ſpicilegio. Sub exitum hujus ſeculi XI, Eccleſia cathedralis S. Trinitatis Waterfordiæ ab Oſtmannis conſtructa eſt.

Anno 1103, Magnus rex Norwegiæ, Manniâ & Orcadis expugnatis, fœdus temporarium

percuſſit

percuſſit cum Moriertacho O-Brien rege Hiberniæ, ſed anno ſequenti (dum in Ultonia exploratorem egit) ab Ultonienſibus improviſò interceptus interiit. De hac re, ſi non pigeat legere, en tibi verba Chronici Regum Manniæ, Magnus *Murecardo* (rectiùs Muriertacho) *Regi Hiberniæ miſit calceamenta ſua, præcipiens ei ut ea ſuper humeros ſuos in die Natalis Domini, per medium domus ſuæ portaret, in conſpectu nunciorum ejus, ut inde intelligeret ſe ſubjectum eſſe Magno Regi. Quod audientes Hibernienſes, ægrè ferebant & indignati ſunt nimis: Sed Rex ſaniori conſilio uſus, Non ſolùm inquit calceamenta ejus portare, verùmque manducare mallem, quàm Magnus Rex unam Provinciam in Hibernia deſtrueret. Itaque complevit præceptum, & nuncios honoravit. Multa quoque munera per eos Magno Regi tranſmiſit, & fœdus compoſuit. Nuncii verò redeuntes ad Dominum ſuum, narraverunt ei de ſitu Hiberniæ & amœnitate, de frugum fertilitate & aëris ſalubritate. Magnus verò hæc audiens, nihil cogitabat quàm totam Hiberniam ſibi ſubjugare. Itaque præcepit claſſem congregare. Ipſe verò cum ſedecem navibus procedens, explorare volens terram, cùm incautè è navibus diſceſſiſſet, ſubitò à Hibernienſibus circumvallatus interiit, cum omnibus ferè qui ſecum erant. Sepultus eſt autem juxta eccleſiam S. Patricii in Duno. Regnavit ſex annis*, ſc. in Mannia. Exordiis illis quàm diſpar exitus.

Anno 1106, Donaldus Archiepiſcopus Armachanus Dublinium profectus, ut pacem inter Moriertachum regem Hiberniæ & Donaldum O-Loghlin procuraret, in ægritudinem incidit, quâ Dulekæ in reditu Armacham verſùs

verſùs, ætatis ſuæ anno 58, conſecrationis 15, ſublatus eſt.

Anno 1109, Limericum incendio (maximo Oſtmannorum damno) deflagravit.

Anno 1121, 4 nonas Julii, obiit Samuel O-Haingly, Oſtmannorum quartus Epiſcopus Dublinienſis. Succeſſit ei Gregorius, Lamethæ conſecratus, 2 inſequentis Octobris, à Radulpho Archiepiſcopo Cantuarienſi.

Anno 1125, Torfinus filius Torcalli Oſtmannorum Dublinii regulus, in ipſo juventutis flore, morte repentinâ obiit.

Anno 1131, Defuncto Everardo Oſtmanno Abbati cœnobii B. Mariæ juxta Dublin. ſucceſſit Andreas.

Anno 1134, Cornelius filius Murchardi regis Midiæ, in conflictu, à Donaldo filio *Gillemoholmoc* & Oſtmannis Dublinii, occiſus eſt: Sed Donaldo eo, ſubitâ rotæ converſione, in alio conflictu occiſo, & Dublinienſibus fugatis, Midenſes in Fingalliam irruunt, eámque ferro & flammâ devaſtant.

Anno 1136, Mælifa O-Hammire Epiſcopus Oſtmannorum Waterfordiæ ex hac vita migravit, ſucceſſit Tuiſtius, aliàs Toſtius Oſtmannus.

Anno 1140, Mortuo Gille ſive Gilleberto epiſcopo Limericenſi, vel ſaltem reſignante, Patricius quidam, ab Oſtmannis Limerici Epiſcopus electus, in Angliam trajecit, ubi à Theobaldo Archiepiſcopo Cantuarienſi conſecrationem obtinuit, profeſſione ſequenti præſtitâ, *Ego Patricius ad regimen Eccleſiæ Limericenſis electus, & à te, Reverende Pater Theobalde Sanctæ Cantuarienſis eccleſiæ Archiepiſcope & totius Britanniæ Primas, per gratiam*

Dei

Dei Antiſtes conſecrandus, tibi & omnibus ſucceſſoribus tuis, tibi canonicè ſuccedentibus, debitam ſubjectionem, & canonicam obedientiam, per omnia me exhibiturum fore promitto.

Anno 1142, vel circiter, Cadwaladrus à fratre ſuo Oweno *Gwineth*, Venedotiæ principe, deficiens in Hiberniam profugit, ac Oſtmannis duo millia marcarum pollicetur, ſi juſto exercitu bellum contra fratrem moverent. Annuunt Oſtmanni, ac copiis collectis, partim è ſuis, partim ex *H*ibernis exercitum (Octero filiiſque Torcalli & Cherulphi ducibus) in Walliam mittunt. Cæterùm paulò poſt eorum appulſum pacem inter fratres factam audientes, Cadwaladrum captivum detinent, donec pro 2000 marcarum, 2000 pecudum acceperant. Tum verò Owenus in Oſtmannos & eorum ſocios ſic onuſtos, improvisò irruens, antequàm naves conſcenderent, eorum numerum permagnum interfecit, & cum ſpoliis reverſus eſt, Cæteri fugâ ad naves evaſerunt. Sic, paucis mutatis, Caradocus Lhancarvanenſis.

Anno 1147, Reginaldo Torcalli filio Dublinii regulo, in acie occiſo à Midenſibus, Godfredus filius Olavi rex Manniæ, (ſi fides ſit adhibenda Chronico Manniæ) ab Oſtmannis Dublinii, rex ſalutatus eſt: Atqui in Annalibus Hibernicis Oiterus (aliàs Octerus) Reginaldo ſucceſſiſſe dicitur, fortè tamen Godredi imperio ſubjectus; Utcunque, Octero biennio pòſt occiſo, Dublinii principatum obtinuit Brodarus Reginaldi frater.

Anno 1151, Obiit Haraldus Oſtmannus epiſcopus Limericenſis, ſucceſſit popularis ejus Torgeſius.

Anno 1161, Brodaro Torcalli filio Oſtmannorum Dublinii regulo, à Midenſibus, in prælio, occiſo, ſucceſſit frater ejus Aſculphus. Eodem anno (Octobris 8) deceſſit Gregorius primus Archiepiſcopus Dublinienſis, cui ſucceſſit Laurentius (indigenis Lorcanus) O-Toole, Abbas Glendelacenſis, à Gelaſio Archiepiſcopo Armachano, Dublinii conſecratus, in Eccleſiâ cathedrali S. Trinitatis anno inſequenti.

Anno 1167, Rodericus O-Conner rex Hiberniæ Lageniam cum copiis ingreſſus, Dermitio filio Murchardi rege Lageniæ in fugam conjecto, Lagenienſes & ſpeciatim Oſtmannos Dublinienſes ſibi obſides tradere coegit.

Anno 1169, E Wallia, cum copiis, ſub initium Maii, in Hiberniam appulerunt Robertus filius Stephani, Meilerus filius Henrici, Milo filius Davidis Menevenſis & Hervæus de Monte-mariſco. Primi appulſus locus, bono omine, dicebatur *Banna*, ſive Beatus, vulgò *Bag & Bun* prope Fethardam, in agro Wexfordienſi, quem aliqui (perperàm opinor) eundem eſſe exiſtimant cum Ptolemæi *Sacro Promontorio*. Poſtridiè eos ſequutus eſt Mauritius de Prendergaſt, cum 10 militibus & 60 ſagittariis. Dermitius Murchardi filius, de eorum adventu certior factus, Bannam quantâ potuit celeritate contendit, eoſque lætiſſimo excepit animo. Die ſequente, Wexfordiam verſus movent, quæ poſtquàm obſidionem pauliſper ſuſtinuiſſet, Dermitio in manus tradita eſt. Wexfordiâ ſic captâ, & Mauritio Giraldi filio, cum novis copiis ibi appulſo, (nam quæ ad res Oſtmannicas non pertinent hîc prætermittimus) iis rex Dermitius ex pacto, ſuas etiam

copias adjunxit. De armis tùm in Oſtmannos Dublinii convertendis, initur conſilium, quod cùm omnibus placuiſſet, Dublinium, quantâ poſſunt celeritate, contendunt, urbemque deditione capiunt. Sed, obſidibus acceptis, protinùs Aſculpho Torcalli filio (de quo ſuprà) reſtituunt.

Anno 1170, Rex Dermitius ad Richardum cognomento *Strong-bow*, Penbrochiæ vel (ut Giraldus Cambrenſis eum appellat) Strigulíæ comitem, literas perſcripſit, quibus vehementer ab eo petiit auxiliares eas copias quas promiſerat. Comes his literis acceptis, à Rege Henrico II, *licentiâ ironicâ potiùs quàm verâ* (ait dictus Giraldus) *impetratâ*, Reimundum Craſſum, ſub initium Maii, 10 viris equeſtris ordinis & 70 ſagittariis ſtipatum, in Hiberniam præmiſit, ipſe brevi poſteà ſecuturus. Reimundus exſcentionem fecit ad *Dundenil*, ad quartum à Waterfordia lapidem. De Anglorum appulſu, Oſtmanni Waterfordienſes facti certiores, eos antequàm auxiliis firmarentur, aggredi ſtatuunt: Túmque à Malachia O-Felan Deſienſi & O-Riano Idronenſi adjuti, exercitum conſcribunt, in quo 3000 erant equitum & peditum. Hi in Anglos impetum facientes, ab illis, paucis duntaxat adjutis, ſub ductu Hervæi de Monte-mariſco, (qui illuc fortè Reimundum viſendi gratiâ venerat) fortiter excepti ſunt, & poſt aliquot horarum pugnam, profligati. In eo prælio, ex Oſtmannis Waterfordiæ & Hibernis, plùs minùs mille cæſi occubuerunt. Capti ſunt præthereà 70, qui omnes, Reimundo procurante, in vindictam interitus amici ſui *de Buein*, qui in prælio ceciderat, occiſi ſunt. Sic Mauritius Re-

ganus. At Giraldus Cambrenſis eos, Hervæi ſuaſu, adverſante Reimundo, è rupibus in mare præcipitatos aſſerit. Hæc menſe Maio. Auguſto ſequente, Richardus Comes Penbrochiæ, è Milfordia ſolvit, ventoque ſecundo in portum Waterfordiæ invectus, exercitum expoſuit, in quo fuerunt 200 milites primarii, præter mille ordinis inferioris. Poſt diem unum vel alterum, Waterfordiam contendit, quam Auguſti 25 vi cepit, ac in ea Reginaldum Oſtmannorum Waterfordiæ Principem & Malachiam O-Felan, de quo ſuprà. Illi ad mortem damnati, interceſſione Dermitii Regis, (qui unà cum Stephanide, multíſque Anglis & Wallis, poſt victoriam partam, Waterfordiã venerat) ſervati ſunt. Nuptiis tunc inter Richardum Comitem & Evam Dermitii regis filiam ibidem celebratis, Comes ejuſque uxor Dermitii hæredes publicè ſunt declarati. Paulò poſt, Dermitius & gener, præſidio Waterfordiæ relicto, conjunctis copiis Dublinium contendunt, urbemque (Roderico rege viam fruſtrà obſtruere nitente) obſident. Aſculphus Oſtmannorum Princeps, cùm reſiſtere (quod viribus impar) ſibi non tutum putaret, Laurentii Archiepiſcopi Dublinienſis interceſſione, de deditione citò agere cœpit. Cæterùm Reimundus & Milo de Cogan, durante interceſſionis tempore, ſelectâ manu urbem invadentes, eâ primo impetu, 21 die Septembris (qui S. Matthæo ſacer) potiti ſunt. Aſculphus tamen & civium plerique naviculis & cymbis, eo tempore in portu conſcenſis, evaſerunt.

Anno 1171, Circa feſtum Pentecoſtes, Aſculphus à Johanne quodam (quem Orcadienſem appellant

appellant Annales Ultonienſes) & copiis ſuæ gentis auxiliaribus, è Mannia, adjutus, cum 60 navium claſſe, portum Dublinienſem ingreſſus eſt, & militibus expoſitis, in urbis partem orientalem irrumpere tentavit, ubi, dùm Milo Cogànus, qui urbi præerat, præſidio haud ſatis firmatus, urbem propugnare conaretur, Richardus frater ejus, è porta S. Pauli auſtrali, cum parva manu, egreſſus, hoſtes (qui auxiliares copias Cogano advenisſe putârant) in fugam facilè conjecit. Partim in prælio, partim in fuga, multi eorum cæſi feruntur, &, inter eos, dictus Johannes Orcadienſis. Aſculphus etiam ipſe captus eſt, & quòd linguæ frænum intemperantiùs laxâſſet, ultimo ſupplicio poſteà affectus. De adventu Henrici II in Hiberniam, & de aliis licèt magni momenti rebus hoc annò in Hibernia geſtis, non eſt hìc dicendi locus, ut quæ ad rem, de qua nunc agimus non pertinent. Denique ſatis erit hìc indicare, captis, intra paucos annos poſteâ, Urbibus Limerico & Corcagia ab Oſtmannis plerúmque poſſeſſis, penitùs fractas fuiſſe eorum vires, poſtquàm (ut ex iis quæ ſuprà dicta ſunt liquet) in Hibernia, per aliquot annorum centurias, ſedes fixerant. Veruntamen, remanſiſſe ibi aliquas Oſtmannorum familias diù poſteà, ex Archivis, in promptu colligere eſt; Speciatim ex Rotulo Placitorum anni 4 Edwardi Secundi. Huc etiam facit, (ſi ad antiquiora recurramus tempora) *Recognitio facta* (anno Dom. 1201) *per Sacramentum* 12 *Anglorum, & 12 Oſtmannorum, & 12 Hibernienſium, de terris, Eccleſiis & cæteris pertinentiis, ad Limericenſem Eccleſiam ſpectantibus.* Recognitio

ea habetur in Regeſto Decani Limericenſis. Atque ita res ab Oſtmannis in Hibernia geſtas maximè memorabiles, paucis perſtrinxi.

CAP. XXV.

De Re Nummaria, ſive de Nummis Hiberniæ antiquis, cùm ante adventum Anglorum, ſub Henrico II, tùm poſteà, uſque ad Henrici VII tempora.

OPulentiæ Hibernorum pars maxima in pecorum multitudine (Germanorum more, de quo vide Tacitum) olim conſiſtebat. Neque aliter erat apud veteres Romanos, unde Varro, lib. 4, de lingua Latina, à pecude pecuniam derivat. Et de Hiſpanis veteribus, Juſtinus, *Armenta Gerionis, quæ illis temporibus habebantur ſolæ opes.* Hiberniam porrò metallorum venis eſſe divitem quotidiana experientia docet: Speciatim ſunt ibidem aliquæ plumbi fodinæ, quæ mixtam habent lucroſam argenti quantitatem. Hadrianus Junius, inter alia, in Hiberniæ laudem, fodinas haſce *puri argenti venas* poëticè appellat,

> Et *puri argenti venas, quas terra refoſſis*
> *Viſceribus manes imos viſura recludit.*


Sed hæc obiter. Ad rem veniendum eſt, ac primò quærendum, an Hiberni ante Anglorum adventum, nummis uſi fuerint, vel auro duntaxat, argento, ære, aut annulis, ad cer-

tum pondus examinatis. Saxo Grammaticus lib. 6 Hiſtoriæ Danicæ narrat Hugletem Regem Hiberniæ, divitem ſed avarum, ab Hacone Dano, in prælio victum & occiſum, magnam deinde pecuniæ ſummam in ærario ejus, *Duflinæ*, ſive Dublinii, à Danis repertam. Sed Saxonis notiſſimæ ſunt fabulæ. Speciatim, tota hæc narratio ab antiquitatum Hibernicarum ſcientiſſimis rejicitur. Apud Hiſtoricos noſtros, dum de rebus antiquis Hibernicis loquuntur, occurrit quandoque auri mentio, quandoque argenti, variis occaſionibus dati, interdùm etiam ponderis. Sic in Annalibus Ultonienſibus, ad annum Dom. 1004, Brienus *Boruma* ſive Borous rex Hiberniæ, maximâ procerum multitudine comitatus, Armacham perveniſſe dicitur; & inde cum obſidibus ei traditis, in Momoniam rediiſſe, poſtquàm 20 uncias auri, in Eccleſia cathedrali Armachana, ſuper altare S. Patricii, obtuliſſet. Item anno 1152 (ut ex iiſdem Annalibus intelligimus) Tirdelvacus O-Conner rex Hiberniæ à Dermitio Lageniæ, Melachlino Midiæ, & Tigernacho Brethniæ, regibus adjutus, ſigna adversùs Momonienſes tùm rebellantes, extulit. Pugnatum eſt ad *Monimore*, aliàs *Monadmore*, ubi Momonienſes magnâ ſtrage profligati, eorumque Dux Limericum profugere coactus, pro lytro dedit Tirdelvaco 60 uncias auri, 60 monilia & ſcyphum aureum, Brieni Boroi ſcyphum dictum. Item anno 1157, vel 1158, Mauritius O Loghlin tùm rex Hiberniæ, finitâ dedicatione Eccleſiæ cœnobii Mellifontis, (à Gelaſio Archiepiſcopo Armachano) monachis ibidem, inter alia donaria, dedit 60 uncias auri, Itidem Donatus

O-Carollus (Ergalliæ regulus & loci fundator) alias 60 uncias, totidemqne alias, Dervorgilla uxor Tigernaci O-Ruark. Anno item 1161, vel 1162, 420 *uncias puri argenti, ab Oſſorienſibus collectas fuiſſe, ad uſum Flachertachi O-Brolchan Comorbani Columb-Kill*, produnt jam dicti Annales Ultonienſes. Ad hanc rem, vid. porrò quæ ſuprà dicta ſunt, c.24, ad ann.1029 & 1042. Sunt & alia multa hujus generis exempla, Sed ſingula hîc enumerare, inſtituti non eſt mei. An verò aurum vel argentum ita donatum, percuſſum fuerit necne, non liquet. Audiamus jam, quid de hâc re, habet Giraldus Cambr. Topographiæ Hiberniæ Diſtinct.3, cap.10, *Metallorum quoq; diverſorum* (inquit) *genera, quibus venæ ſcaturiunt inferiores, ejuſdem ocioſitatis vitio, nec ad uſum prodeunt, nec proſiciunt; Aurum enim quo & abundare quærunt, & quod adhuc Hiſpanico more ſitiunt, commerciorum gratiâ, ſcrutantes Oceanum, Mercatores Oſtmannici advectant.* Oſtmannos, & ipſos veteres Hibernos nummos habuiſſe, ante Anglorum adventum, non eſt cur quis dubitet. Hoc conſtat ex Epiſtola Lanfranci Archiep. Cantuarienſis, ad Tirdelvacum Regem Hiberniæ, anno 1074 perſcripta, in qua inter alia eum rogat corrigere pravam eam conſuetudinem (apud Hibernos uſitatam) conferendi *ſacros ordines per Pecuniam ab Epiſcopis*. An verò nummi illi fuerint in Hibernia cuſi, vel aliundè invecti, viri nonnulli docti dubitârùnt. Ad hujus rei notitiam quod attinet, fatendum eſt nobis, eam perquàm exilē ſupereſſe. Cæterùm ad veteres Oſtmannos quod attinet, eos in Hibernia nummos cudiſſe, ſatis eſt argumento nummus

argenteus

argenteus Aulafi ſive Anlaphi Regis Dubliniénſis, nonnullis Regis Hiberniæ dicti, cujus figuram ſubjungimus :



Et certè averſæ partis ipſa inſcriptio EARNA MONETA (nam ita lego) clarè (ut opinor) docet nummum fuiſſe in Hibernia (quæ & Ierne olim dicta) cuſum.

Reſtat de Hibernorum veterum nummis ſcrupulus : Atque hîc non poſſum (fateor) non memorare, ruſticos quoſdam, menſe Decembri, anno Dom. 1639, incidiſſe in magnam vim veterum numiſmatum Hibernicorum, prope Glendelacham, in agro Wickloenſi, è quibus aliqua ad manus meas pervenerunt, quorum ectypa hîc exhibere operæ pretium duxi,

---

Averſa



Averſa pars nummi tertii annum videtur deſignare 1115, quod ſi certum ſit, non eſt cur quis ulteriùs, de hâc re, operam inſumeret. De cæteris, cùm ſine aliqua literarum luce, non habeo quod prò certo affirmem; Antiquitatis ſpeciem præ ſe ferunt, & procuſi videntur ante Anglorum ingreſſum. Atque tales (opinor) fuerunt *minores* illi *denarii* (*quaſi oboli*) *cujuſdam veteris monetæ & incognitæ reperti in quodam campo juxta Kilcolyn*, de quibus fit mentio in Archivo fiſcali an. 33 Edwardi I.

Sequuntur jam tempora, poſt Anglorum adventum

adventum in Hiberniam, à quibus, nummos frequenter ibi cuſos conſtat. De nummis in Hiberniâ procuſis tempore Johannis Regis, ita Rogerus de Wendover, & ex eo Matthæus Pariſius, ad annum Dom. 1210, *Præfecerat autem* (Johannes Rex) *ibidem Johannem de Grey Epiſcopum Norwicenſem Juſtitiarium, qui Denarium terræ illius, ad pondus Numiſmatis Angliæ fecerat fabricari; & tàm obolum quàm quadrantem rotundum fieri præcepit. Juſſit quoque Rex, ut illius monetæ uſus, tàm in Anglia, quàm in Hibernia, communis ab omnibus haberetur, & utriuſque regni Denarius in theſauris ſuis indifferenter poneretur.* Hinc conſtare videtur, nummos in Hibernia anteà percuſſos fuiſſe, ſed tunc, Regis juſſu, *DENARIUM TERRÆ ILLIUS ad pondus numiſmatis Angliæ* primò fuiſſe *fabricatum.* Henricum III (Johannis filium) anno regni 35, hoc eſt anno Dom. 1251, *novam monetam in Hibernia fabricari* mandâſſe, ex Archivis, quæ in arce Londinenſi aſſervantur, liquet. Meminit ad annum ſequentem, ejuſdem *Novæ monetæ, Regis mandato, in Hibernia percuſſæ, unà cum veteris abolitione,* author anonymus Annalium cœnobii Canonicorum Præmonſtratenſium S. Trinitatis de Loghkea, in agro Roſcomanenſi. Sed ecce figuram nummi ejus nuper Dublinii reperti, & ibidem (ni fallor) procuſi, cujus prior pars exprimit effigiem Regis, cum hac inſcriptione, *Henricus Rex* III, averſa verò, crucem & cuſorum nomina,

De



De pondere & valore, nihil traditum reperi. De novo etiam Monetæ genere, quod ſub Edwardo primo, percuti curavit Stephanus de Fulburn,dùm Epiſcopus eſſet Waterfordienſis & Hiberniæ Juſtitiarius, ſic Pembrigius,in Hiberniæ Annalibus à Camdeno editis, ad calcemBritanniæ ſuæ, *Anno* 1279, *Dom. Robertus de Vfford* (Hiberniæ Juſtitiarius) *intravit Angliam, & conſtituit loco ſuo fratrem Robertum* (lege Stephanum) *de Fulburn Epiſcopum Waterfordienſem; cujus tempore mutata eſt moneta.* Hoc factum eſt juſſu Regis Edwardi Primi, qui monetæ regulam fixam, ſive *Standardum* ut vocant) & pondere & puritate, ad perpetuum ejus honorem, emendavit in Anglia, ſecundùm quam regulam, Officinæ etiam monetariæ in Hibernia fuerunt moderatæ, ut è Computis Donati & Andreæ de Sperdſholt *Magiſtrorum Cambii* Dublinii liquet. Anno deinde 1300, dicti Regis Edicto, nummi dicti *Polards & Crockards*, tam in Anglia, quàm in Hibernia, ſunt prohibiti. Edictum quod de hac re edidit, in Hiberniam tranſmiſſum conſcriptum extat inLibro rubro Scaccarii Dublinii. Ad eundem annum Pembrigius,

Anno

Anno 1300, *Numiſma Pollardorum prohibetur in Anglia & Hibernia*; Vid. porrò Walſingham. Hiſtor. ad annum 1301. Pollardi illi valebant medietatem nummiorum *ſterlingorum*. Notandum autem nummum propriè olim dictum Sterlingum vel Eſterlingum fuiſſe Denarium Anglicum, ut ex ordinatione quæ dicta eſt *Compoſitio Menſurarum* facta tempore Edwardi Primi liquet, in qua invenimus quod *Denarius Angliæ, qui nominatur Sterlingus, rotundus, ſine tonſura, ponderabit* 32 *grana frumenti, in medio ſpicæ*. Atque hinc cæteri nummi per Sterlingos fuerunt menſurati. Sic ſolidus valebat 12 Sterlingos, Marca, ſecundùm Matthæum Pariſium, 13 ſolidos & 4 Sterlingos, ſive denarios, obolus, dimidiam partem Sterlingi, & quadrans (nos a **Farthing** dicimus) quartam partem Sterlingi. Ad nomen quod attinet, ita Camdenus, in Scotia ſua, *Quòd quidam monetam probam Angliæ, quæ* **Sterling money** *dicitur, hinc (nempè à Caſtro Sterlingæ) denominatam volunt, fruſtrà ſunt; à Germanis enim quos Angli* **Eſterlings**, *ab orientali ſitu, vocârunt, facta eſt appellatio, quos Johannes rex ad argentum in ſuam puritatem redigendum, primus evocavit: & ejuſmodi nummi Eſterlingi in antiquis ſcripturis ſemper reperiuntur*. Cæterùm tempus quo dicta moneta primùm procudi & ita appellari cœpit, incertum eſt: Nam apud Rogerum Hovedenum in Hiſtoria Richardi Primi, Johannis Prædeceſſoris, ejuſdem monetæ his verbis fit mentio. *Videns igitur Galfridus Eboracenſis electus, quòd niſi mediante pecunia, amorem Regis fratris ſui nullatenùs habere poſſit, promiſit ei tria millia librarum Sterlingorum,*

pro

pro amore ejus habendo. Et in Regeſto antiquiori cœnobii S. Thomæ juxta Dublin, (penes me) habetur exemplar Chartæ Civium Dublin. factæ circa idem tempus, ad cujus finem ita legimus, *Pro donatione iſta nobis dedit præfatus Rogerus unciam auri, cauſſa emendandi murum villæ, & 20 ſolidos ſterlingorum, quando tranſmiſimus nuncios ad Dom. Comitem Johannem pro negotio Civitatis*. Sed tempora antiquiora etiam ſpectemus, vid. Orderic. Vital. Hiſtor. eccleſiaſtic. ubi ſæpiùs fit mentio nummi *Sterilenſis*, ipſis Gulielmi Victoris temporibus, & ſpeciatim in Charta quadam ipſius, cœnobio Uticenſi conceſſa. Polydorus Virgilius, & ex eo alii, nummum *Sterlingum* dictum volunt, ab effigie Sturni avis, Anglicè **a Sterling**, quaſi interdùm in alterâ parte nummi impreſsâ: Atqui Polydorus is Italus fuit & in rebus noſtris non benè verſatus, ſpecialiter effigies ea Columbæ eſt, non Sturni, ut alii rectiùs obſervant. Pergo. Sub exitum ſeculi XIII, vel initium inſequentis, Edwardus Primus conſtituit Dublinii novam Officinam monetariam, & Alexandrum Normannum *de Luic* Cuſorum Præfectum. Anno deinde 1304, (ut è libro rubro Scaccarii Dublinii intelligimus) *Magiſter Gulielmus de Wimundham Cuſtos Cambiorum Domini Regis in Anglia, de præcepto venerabilis patris Bathonienſis & Wellenſis epiſcopi, Theſaurarii ejuſdem Domini Regis, miſit Domino Gulielmo de Eſſenden Theſaurario in Hibernia*, 24 *pecias cuneorum, pro moneta ibi facienda, viz. tres pilas cum ſex crucellis, pro denariis, tres pilas cum ſex crucellis, pro obolis, & duas pilas cum quatuor crucellis, pro ferlingis, per Johannem*

nem

nem le Minor, Thomam Dowle & Johannem de Shordich clericos, de ſocietate operariorum & monetariorum London. per eoſdem, ad monetam prædictam operandam & monetandam. Sed ut tempora Edwardi Primi jam concludamus, notandum, ut in Anglia, ſic etiam in Hibernia, nomina urbium, in quibus nummi cudebantur, in averſis nummorum partibus, tunc fuiſſe inſcripta, juxta illud Roberti *le Brun*, Poëtæ antiqui Anglici, à Johanne Stowo Chronographo citatum,

> **Edward did ſmite round penny, halfe penny, farthing.**

Et poſteà,

> **On the Kings ſide was his Head, and his name written,**
> **On the Croſſe ſide, the City where it was ſmitten.**

Hûc ſpectat nummulus argenteus hujus Edwardi, Dublinii percuſſus, quem expreſſum hîc tibi exhibemus,

---

Duos



Duos alios habeo, tempore ejuſdem Edwardi in Hibernia cuſos, alterum Waterfordiæ, alterum Pontanæ ſive Droghedæ, ut ex inſcriptionibus eorum liquet. Aſſervatur etiam (ut accepi) inter cimelia D. Simon. D'ews, nummus antiquus argenteus, Clonardæ in Midia procuſus, cum hac inſcriptione in averſa parte, *C I V I T A S D E C L U N A R D*, ſed cujus fuerit temporis adhuc ignoro. Atque ita olim apud veteres Romanos in Britannia pecunia interdùm percuti ſolebat; De nummis in memoriam Conſtantini Junioris, poſt exceſſum ejus procuſis, cum literis *P. L O N.* inſcriptis, utpote Londini ſignatis, vid. Camdenum: atque ut apud veteres eos Romanos, ita apud noſtros majores (ut idem Camdenus in Wiltonia notat) *pecunia & appendi & numerari ſolebat.* Sed pergamus.

Ab ultimis temporibus Edwardi Primi, uſque ad annum 10 Edwardi Tertii, de hac re nihil traditum reperi. Tum verò (ut è rotulo Finium illius temporis liquet) de obolis & quadrantibus, in Hibernia cudendis, prodiit Edictum Regis & Concilii ſui, *Que la liure des mailles, par poids de l'eſtandard de la change,* *contien-*

contiendra 21 *ſols par compt*: Et *la liure des ſerlings* 21 *ſols &* 11 *deniers: Et que la liure ſudite tiendra dix onces de fin argent, c'eſt à ſcavoir trois ſols & quater deniers.* Sic viginti denarii temperati ut ſuprà faciebant unciam, & 12 unciæ, libram (quam vocant) Trojanam. Juxta eam proportionem, uſque ad 18 annum ejuſdem Regis, id eſt 1344, omnes Coronæ reditus, & pondere & numero, Fiſco illati ſunt: cùm (ut rectè notat, D. Robertus Cottonus equ. & Baronettus) ex variis *Standardi* mutationibus, factis temporibus ſubſequentibus, in qualibet uncia jam numerentur quinque ſolidi. Neque mirum igitur, ſi omnium rerum venalium pretia hodiè ter auctiora reddantur, quàm quæ tempore Edwardi Primi, pro mercibus conſimilibus, pendebantur. Ad ſtatum verò Fiſci Hibernici, tempore Edwardi Tertii, quod attinet, non poſſumus non hîc obiter annotare craſſum Walſinghami errorem, qui in Hiſtoria Richardi Secundi (ad annum 1394) Edwardum 3, ex Hibernia annuatim percepiſſe aſſerit, *ad Regalem Fiſcum, triginta millia librarum:* Siquidem ex ipſis illorum temporum Archivis, quæ etiamnùm extant, liquidò conſtat, nè tertiam quidem ejus ſummæ partem annuatim in Fiſcum fuiſſe ſolutam.

Anno 3 Richardi ſecundi, hoc eſt, 1379, authoritate Parlamentariâ, ſingulis in Hibernia conceſſa eſt licentia effodiendi è venis auri vel argenti, in terris ſuis propriis, per ſexennii ſpatium, nonâ parte auri vel argenti ſic effoſſi, regi reſervatâ, & reſiduum, ad placitum eorum, vel in vaſa convertendi, vel in nummos, in officina monetaria Dublinii,

cum prohibitione tamen exportationis auri, argenti vel maſſæ ſive *billionis*, in aliquam aliam regionem, præterquàm in Angliam, ſub pœna confiſcationis.

De temporibus Henrici 4 & Henrici 5, ad hanc rem, non habeo quod dicam. Conſtat verò ſub initium regni Henrici 6, circiter 32 denarios feciſſe unciam argenti. Sic Linwodus (qui tunc ſcripſit) De Teſtamentis, cap. *Item quia* Verb. *Centum ſolidos*. *Hîc ſolidus* (ait ille) *ſumitur pro duodecim denariis Anglicanis: Horum viginti ſex ponderabant unciã, cùm tamen jam 32 denarii vix faciant unciam.* Sed videamus jam quid de Re nummaria temporum ſequentium produnt Tabulæ publicæ Hiberniæ.

In Parlamento Trimmæ habito, coram Johanne Talboto comite Salopiæ, Wexfordiæ & Waterfordiæ, *Locum-tenente* Hiberniæ, menſe Januario anno 1446, lata eſt lex ad coërcendam receptionem monetæ detonſæ, monetæ dictæ O Reiſes money, aliorúmque illicitorum & reproborum nummorum: Vectigal etiam 12 denariorum impoſitum eſt cuilibet unciæ vaſorum argenteorum, argenti fracti, & maſſæ argenti, exportandæ, exceptis vaſis argenteis Nobilium & Nunciorum in Angliam transfretantium, circa ardua Hiberniæ negotia. Menſe Februario 1459, Officinæ monetariæ ſtabilitæ ſunt in caſtris Dublinii & Trimmæ, ac ſub eodem tempore, Regis mandato cuſi ſunt non ſolùm nummi argentei, ſed etiam ærei. De valore eorũ, vid. Rot. patent. an. 39 Hen. 6, nam deeſt valor in excerptis meis.

Anno 5 Edwardi 4, hoc eſt 1465, in Parlamento Trimmæ inchoato coram Thoma comite

mite Deſmoniæ Deputato Georgii Ducis Clarentiæ Hiberniæ Locū-tenentis auctus eſt valor nummorum aureorum, ab initio regni Edwardi III, uſq; ad exitum Henrici VI, cuſorum, Nobilis ſcil. ad decem ſolidos, cùm anteà non valeret niſi ſex ſolidos & octo denarios, & ſic aliarum ſummarum, juxta eandem regulam & proportionem. *Jam inde Moneta* (inquit Johannes Daviſius equ. aur. in Relationibus ſuis) *tùm in Hibernia tum pro Hiberniâ cuſa, minoris fuit valoris quàm moneta Angliæ, plerúmque ex quarta parte, ita ut deinceps ſolidus Hiberniæ valeret tantùm 9 denarios monetæ Anglicæ.* Sed hæc res plenius meretur ſcrutinium: Nam quartæ illius partis differentia ad recentiora tempora eſt referenda, ut infrà patebit.

Anno 1467, Parlamentariâ item authoritate, data eſt cuſoribus poteſtas ſignandi pecuniam in civitatibus Waterfordienſi & Limericenſi, in oppidis Pontanenſi, Galvienſi & Carlingfordienſi, necnon in caſtris Dublinienſi & Trimmenſi.

Octavo anno poſteà, menſe nimirùm Julio 1475, in Parlamento Dublinii coacto, coram Gulielmo Shyrwood Epiſcopo Midenſi, Deputato jam dicti Locum-tenentis, lata eſt lex, quâ auctus eſt argenti valor, ita ut nummus argenteus (non detonſus) quatuor denariorum, temporibus Regum ſuprà memoratorum ſignatus deinceps valeret ſex denarios, & ut ſecundùm eam regulam, minores etiam argenti ſummæ reciperentur. Eadémque lege Officinæ monetariæ ſtabilitæ fuerunt Dublinii, Pontanæ & Waterfordiæ, & pecuniam cudendi poteſtas aliis urbibus prohibita. Tunc porrò lege cautum erat, ne quis monetam vel metal-

lum in Officinam monetariã inferret, ſine permiſſione Præfecti Cuſorum, ſub pœna amiſſionis monetæ vel metalli, ſic ſine permiſſu illati.

Anno ſequenti, in alio Parlamento, coram eodem Deputato habito, lata eſt lex ut nummus aureus dictus *Regalis* valeret 13 ſolidos & 4 denarios, & antiquus *Nobilis* aureus, 12 ſolidos.

Biennio poſteà (anno ſc, 18 Edwardi IV) in Comitiis, coram Giraldo Comite Kildariæ, Hiberniæ Juſtitiario, habitis, data eſt poteſtas cuſorum Præfecto cudendi nummos trium denariorum, duorum denariorum & unius denarii. De Pondere aut *Standardo*, nihil traditum reperi. Notandum verò in nummis, illis temporibus procuſis, expreſſas fuiſſe tres coronas, tria regna denotantes, Angliam, Franciam & Hiberniam, Ipſamque monetam probam illis ipſis temporibus in Hibernia procuſam, minoris adhuc fuiſſe valoris, ex tertia parte, quàm moneta Anglica.

Sub exitum Anni 1483, in Parlamento Dublinii incœpto, coram dicto Giraldo comite Kildariæ, Deputato Edwardi filii Richardi tertii, Hiberniæ Locum-tenentis lata eſt lex de nummis adulteratis frangendis: Contrà quos nummos, prodiit etiam edictum Henrici 7, Aprilis die 15. An. 1491. Atque hæc, de re Nummaria, dicta ſufficiant.

Ad veterum Hibernorum Menſuras & Pondera quod attinet, ea aliis, neceſſariis ad opus ſubſidiis, inſtructioribus, relinquimus. Pergamus nunc ad alia.

CAP.

CAP. XXVI.

Monaſteriologia Hibernica, ſive Diatriba de Hiberniæ Cœnobiis, in qua Origines eorum & aliæ Antiquitates aperiuntur.

DE Sedibus Epiſcopalibus Hiberniæ, ſuprà diximus, capite 16. Sequitur jam Cœnobiorum ejuſdem Inſulæ Catalogus, in quo non pauca ad rem Hiſtoricam & Antiquariam pertinentia deſcribuntur. Ea tamen Cœnobia conſultò prætermiſimus, quæ in primis ſurgentis Hibernicæ Eccleſiæ temporibus erecta in Eccleſias parochiales erant poſterioribus ſeculis converſa. Hîc præmonendus eſt Lector, M. Monaſterium ſignificare, P. Prioratum, H. Hoſpitalium, Pr. Præceptoriam, C. Cellam, MC. Monalium Cœnobium, & F C. Fratrum mendicantium Cœnobium.

PROVINCIA LAGENIÆ.

DUBLIN.

Loca & Tituli Dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Dublin. P. & Eccleſia cathedralis S. Trinitatis.	Sitricus filius Amblavi Rex Oſtmannorum Dublinii & Donatus Epiſcopus Dublinienſis Canonicis ſecularibus inſtitue-

inſtituerunt, circa annum Dom. 1038. Hos Laurentius Archiepiſcopus Dublinienſis in Canonicos mutavit regulares Ordinis Aroacenſis, circa ann. 1163. Tandem verò rex Henricus 8 Priorem & Conventum, in Decanum & Capitulum mutavit, anno 1541, & Robertum Caſtellum al. *Painſwick* ultimum loci Priorem, primum inſtituit Decanum. Hæc ædes ſacra vulgò Eccleſia Chriſti dicitur.

Juxta Dublin. M. B. Mariæ Virginis.

Hujus cœnobii Regeſtum majus narrationem habet parùm fidam, de fundatione à Malachia aliàs *Melachlino* Rege & quodam *Gille-moholmoc*, quam è libro Hibernicè ſcripto, publicè legiſſe fertur Prior S. Johannis de Randoun Elphinenſis diœceſis. Sunt qui à Danis ſive Oſtmannis fundatum volunt anno 948, & alii, qui à Donaldo *Gillemoholmoc* vel erectum vel reſtauratum. Abbas & Monachi hujus cœnobii, ex Tyronenſibus facti ſunt Ciſtertienſes an. 1139. Eccleſiam ibidem plumbo obduxit Felix O-Ruadan Archiepiſcopus Tuamenſis, in qua

qua ipſe ſepultus eſt anno 1238, *ad gradum altaru, in ſiniſtra parte*, triennio poſtquàm Archiepiſcopatum abdicâſſet. De jure *filiationis* hujus cœnobii, magna olim erât contentio inter Abbatem Saviniacenſem in Gallia, & Abbatem Bildewaſenſem in Anglia, ſed anno 1301, in Capitulo generali, operâ Gulielmi de Aſhburn tùm Monachi, & procuratoris cœnobii *de Bildewas*, poſteà Abbatis cœnobii B. Mariæ juxta Dublin, Jus filiationis adjudicatum eſt cœnobio Bildewaſenſi.

Juxta Dublin. M. C. B. Mariæ de Hoggis.

Dermitius Murchardi filius Rex Lageniæ fundavit ibi cœnobium Monialium Ordinis Aroacenſis, circa an.Dom. 1146. *Cui ſuppoſuit* (anno 1151,) *cellas duas, unam juxta Waterford*, (Kilclehin dictam) *Oſſorienſis diocesis, alteram dictam Athadah, fortè Leghlinenſis Diocesis*. Sic Regeſtum Johannis Alani Archiepiſcopi Dublinienſis, ſub Hen. 8.

Juxta Dublin. P. omnium Sanctorum.

Idem Dermitius Canonicis Ordinis Aroacenſis poſuit, circa ann. 1166. Ibi

demùm Elizabetha Regina Collegium erexit, anno Dom. 1591, SS. Trinitati dedicatum, & Academicis ornavit privilegiis,

Juxta Dublin. M. S. Thomæ Martyris.

Gulielmus filius Aldelmi, vice & mandato Henrici ſecundi Regis Angliæ, cœnobium ibi fundavit Canonicis ordinis Victorienſis, præſentibus Viviano tituli S. Stephani in Cœlio Monte Presbytero Cardinale, Laurentio Dublinienſi Archiepiſcopo, &c. Anno Dom. 1177. Deinde ampliſſimis redditibus alii locupletârunt.

Juxta Dublin. extra novam portam, P. S. Johannis Baptiſtæ.

Aluredus *le Palmer* Oſtmannus fundator fuit & primus Prior circa annum 1188. Alii redditibus & latifundiis ditârunt. Hic Prioratus fuit etiam *Hoſpitale* infirmorum, quod, regnante Edwardo 3, 155 infirmos & pauperes ſimul ſuſtentabat, *præter Capellanos & Converſos*, ut ex Archivis liquet. Quando primùm Cruciferi (ſub regula S. Auguſtini) ibi fuerint locati, me latet.

Juxta Dublin. F. C. S. Salvatoris.

Conventus Dominicanorum introductus eſt anno 1224. Eccleſiam eorum (S. Salvatori

Salvatori dicatam) Kalendis Maii 1238 fundatam produnt Annales cœnobii B. Mariæ juxta Dublin.

Juxta Dublin. F C. Cœnobium ordinis Minorum extructum eſt circa annum 1236, Henrico 3 Rege Angliæ ſtructuram promovente. Aream domus contulit Radulphus *le Porter.*

Juxta Dublin. F C. Sedem hîc primò fixerunt fratres ordinis Eremitarum S. Auguſtini, circa annum 1259. Hujus ordinis quamplurimos, Dublinii *doctrinâ præfulgiſſe* notat Johannes Alanus Archiepiſcopus Dublinienſis in Regeſto ſuo.

Juxta Dublin. F.C. B. Mariæ. Robertus Bagot equ.aur. erexit fratribus Ordinis B. Mariæ de Monte Carmel, anno 1274, in fundo quem à cœnobio Vallis Salutis comparaverat.

Clontarf. Pr. S. Congalli. Primùm ſedes fuit Militum Templariorum, aliàs fratrum militiæ Templi, ſub Henrico 2. Sed ejectis demùm Templariis, ſub Edwardo ſecundo anno 1313, facta eſt Præceptoria Militum Hoſpitalariorum. Sedet ad Liffii æſtuarium. Hujus loci Henricus VIII, Junii 20 1541, Vicecomitem

mitem creavit (durante vita) Johannem Rauſonum Priorem Hoſpitalis S. Johannis Hieroſolymitani, in Hibernia, eique conceſſit annuam 500 marcarum penſionem ex prædiis & reditibus dicti Prioratus ſolvendam.

Grace-dieu, al. de Gratia Dei, *MC. B. Mariæ.*

Johannes Cominus Archiepiſcopus Dublinienſis Monialibus fundavit & prædiis ditavit circa annum 1190.

Holm.Patric, al. de Inſula S. Patricii, P.

Sitricus filius Murchardi conſtruxit Canonicis Auguſtinianis, ante Anglorum ingreſſum. Henricus *Loundres* Archiepiſcopus Dublinienſis ad locum commodiorem tranſtulit ann. 1220.

Kilmainan, ad Liffium flu. P. S. Johannis Baptiſtæ.

Hunc Prioratum fundavit Militibus Ordinis S. Johannis Baptiſtæ de Hieruſalem, vulgò dictis Militibus Hoſpitalariis, Richardus cognomento *Strongbow*, Comes Penbrochiæ, vel Striguliæ, circa annum 1174. Dotationē confirmavit Henricus ſecundus. Ex aliorum poſteà donis, mirum in modum hic ordo crevit & floruit: At præcipuè ex quo ſub Edwardo ſecundo, poſſeſſiones ordinis

nis Militum Templariorum (tùm nuper damnati) huic ordini conceſſæ fuerunt, Waltero *del Ewe* ſive de Aquâ, tunc Militum Hoſpitalariorum Priore. Hic Prioratus erat etiam Hoſpitale ſive Xenodochium, pro Peregrinis & hoſpitibus recipiendis. Locus nomen habet à S. Maignano Epiſcopo, qui ibi vixit ſub initium ſeculi 7, & cujus feſtum agitur 18 Decembris.

E regione Saltus Salmonum, P. S. Catharinæ.

Wariſius de Pech fundavit ibi cœnobium Canonicis Regularibus anno 1219. Alexander Bicknorus Archiepiſcopus Dublinienſis, conſenſu Gulielmi Hauſted loci Patroni, annexuit cœnobio S. Thomæ juxta Dublin. anno 1327.

Comi-

Comitatus Kildarenſis.

Loca & Tituli dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Kildaræ, M C. S. Brigidæ.	S. Brigida virgo monialibus poſuit circa annum Domini 480, ubi ipſa Abbatiſſa præfuit. Kildara *Cellam Roboris* ſonat.
Kildaræ, F C.	Conventum Ordinis fratrum Minorum poſuit Geraldus filius Mauritii, circa annum 1260. Alii Gulielmum de Veſcy fundatorem aſſerunt.
Kildaræ, F C. B. Mariæ.	Dictus Gulielmus de Veſcy cœnobium ordinis Carmelitarum ibidem extruxit.
Athyæ, ad Baroum flu. F C.	Sedem hîc (cis pontem) primò fixerunt Dominicani, anno 1257, ubi etiam Capitula illius ordinis habita ſunt annis 1288, 1295 & 1305.
Juxta Athyam, P. S. Johannis, aliis, S. Thomæ.	Hoc cœnobium (ultra pontem) extruxit Crucifenis, Richardus de S. Michaele Rhebanæ Dominus, regnante Johanne.

In

Clanæ, adLiffium flu. F C.

In cœnobio ordinis Minorum ibidem (ſecundùm Annales cœnobii Haileſenſis) ſepultus eſt anno 1287 Geraldus filius Mauritii, fortè loci fundator. Alii ſepultū volunt in cœnobio fratrum minorum Kildaræ. Hi fratres, à panno coloris *Griſei* ſeu cineritii, quo veſtiti, (ut hoc ſemel obiter adnotem) nobis vulgò **Grey-fryers** dicti.

Cloncurry, F C. B. Mariæ.

Johannes Roch Carmelitis conventum ibi fundavit anno 1347, licentia Edwardi 3 impetrata; Et hi à veſte alba, **White-fryers** vocati, uti Dominicani, ſive fratres Prædicatores, à veſte nigra, **Black-fryers**.

Conal, ad Liffium flu. P.B.Mariæ.

Milerus filius Henrici Hiberniæ Juſtitiarius fundavit an. 1202, & Canonicis Regularibus Ordinis S. Auguſtini implevit, ex cœnobio Lhanthonienſi. Hîc ille tumulatus eſt an. 1220. Patrem habuit Henricum filium nothum Henrici Primi Regis Angliæ.

Graney, M.C.B. Mariæ.

Gualterus de Ridelesford monialibus ordinis S. Auguſtini ædificavit, circa annum Dom. 1200. Poſſeſſiones confirmavit Johannes rex Angliæ.

Hunc

Juxta pontem de Kilcullen, vulgò **New Abbey**, *FC.* Hunc conventum ord. Minorum de obſervantia, an. 1486, Dominus Rolādus Fitz Euſtace Baro de Portleſter & ſūmus Hiberniæ Quæſtor fundavit ad Liffiū flu. prope dictū pontem. Ibi ille tumulatus eſt anno 1496. Monumentū tamen ſpecioſum ſibi & Margaretæ *Jenico* uxori ſuæ extruxerat Dublinii, in Eccleſia S. Audoëni, in capella nempè B. Mariæ.

Killbegs, Kilbeel, Tully, Pr. Tres Præceptoriæ Equitum Hoſpitalariorum, è quibus penultima donum fuit Mauritii filii Geraldi.

Kilruſh, C. Gulielmus *Mareſcallus* comes Penbrochiæ Canonicis Regularibus fundavit, & cellam fecit Prioratus de Carthmel, apud Lancaſtrienſes, in Anglia.

Monaſter-Evin, al. Roſglas, & de Roſeâ valle, *M. B. Mariæ.* Dermitius Demſæus Ofaliæ Dynaſta Monachis Ciſtercienſibus fundavit, anno 1178, aliis 1189. Hoc cœnobium nomen habet à S. Evino qui claruit ſub initium ſeculi 7, in monaſterio ſuo de *Roſ-mac-Treom*. Sedet ad Baroum flu.

Naſæ FC. Fratres ordinis Eremitarum S. Auguſtini.

Juxta Naſam, P. S. Joh. Baptiſtæ. Fundatur à Naſæ Barone, Canonicis Auguſtinianis.

Funda-

Juxta Naſam, F C. Fundatur fratribus Ordinis Prædicatorum,ad collis rotundi radicem, circa annum 1356, licentiâ regis Edwardi 3 impetratâ. Euſtacii Patroni fuerunt.

Timolinbeg, MC. B. Mariæ. Robertus filius Richardi Norrachæ Dominus velatis Virginibus Ord. Aroacenſis, Monaſterium poſuit, & ibi Lecelinam neptim abdidit, ſub initium regni Johannis.

Triſtle-dermot, vulgò Caſtle-dermot, P. & H. S. Johannis Baptiſtæ. Gualterus de Ridelesford loci Dominus fratribus Cruciferis poſuit, regnante Johanne. Opidum nomen habet à S. Diarmitio, qui vitam illic ſolitariam egit, unde olim Deſertum Diarmitii appellabatur.

Triſtle-dermot, al. Caſtle-dermot, F C. Sedem ibi fixerunt fratres ordinis Minorum, regnante Edwardo Primo.

S. Wolſtani Prioratus. Richardus primus loci Prior & Adamus de Hereford hoc cœnobium fundârunt Canonicis ordinis Victorienſis, circa annum Dom. 1205, in memoriam Wolſtani Epiſcopi Wigornienſis, tum nuper ab Innocentio 3, inter ſanctos relati. Prima pars ſtructuræ ibidem vulgò appellabatur *Scala Cœli*. Sedet amœniſſimè ad dextram ripam Liffii fluvii.

Comi-

Comitatus Wicklo.

Loca & Tituli dedicationum.	Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.
Wickloæ, F C.	Conventus ordinis Minorum ibi fundatur, regnante Henrico 3, ad Devum ſive *De* flu. Wickloa Hibernis *Kilmantan* vocatur, Sed Wickloa (ab Oſtmannis olim poſſeſſa) exoticā ſapit originem: Nam Wick Germanicè fluminis ſinum ſignificat, vel ut Hadrianus Junius habet, ſtationem ſecuram, ubi conjunctioribus ædificiis habitatur.
Arckloæ, Hibernis Iniver-more. *F. C.*	Theobaldus Pincerna anno Dom. 1264 conventum ibi poſuit fratribus ordinis Prædicatorum. In Eccleſia ibidem ipſe ſepultus eſt cum ſtatua ſuperimpoſita. Arckloa recentius eſt nomen, ab Oſtmannis impoſitum.
Baltinglas, al. de Valle Salutis, *M. B. Mariæ.*	Dermitius Murchardi filius Rex Lageniæ, anno 1148, aliis 1151, Monachis Ordinis Ciſtertienſis conſtruxit & prædiis dotavit. Slano fluvio adſidet.

Comitatus Wexford.

Loca & Tituli Dedicationum.	*Fundatores, Ordinis & aliæ Antiquitates.*
Wexfordiæ, Hibernis Logh-Garmon, P. S. Johannis & S. Brigidæ.	Gulielmus *Mareſcallus* Comes Penbrochiæ Hoſpitalariis Militibus conſtruxit.
Wexfordiæ, FC.	Sedem ibi fixerunt Minoritæ, regnante Henrico 3. In hoc cœnobio Mauritium Geraldi filium (à quo ſtemma ducit Geraldinorum familia) ſepultum aſſerit Joh. Hookerus, at falſò proculdubio: Nam Mauritius ille obiit 1177, diù ante inſtitutionem ordinis fratrum Minorum.
Juxta Wexford, P. SS. Petri & Pauli *de Selsker*.	Ibi Canonici fuerunt Regulares Ord. S. Auguſtini. Rochei Patroni fuerunt, Sed quis primus fuerit conditor, non comperi. Fama tenet Oſtmannos fundâſſe,
Clomin, F. G.	Sedes ibi fuit fratrum Ord. Eremitarum S. Auguſtini, quam Nicolaus filius Nicolai *Clericus* auxit & ornavit an. 1385. Sunt qui aſſerunt ſedem poſteà factam

fratrum Prædicatorũ. Vid. Inquiſ. Scaccarii, anno 31 Hen. 8.

Donbrody, al. de Portu S. Mariæ, M.

Hervæus de Monte Mariſco *Mareſcallus Dom. Regis* (Hen. 2) *& Seneſcallus de tota terra Richardi comitis Penbrochiæ dedit Ardfithen, Croſgormoc,* &c. *Deo & S. Mariæ & S. Benedicto, & Monachis de Bildewas,* apud Salopienſes in Anglia, *ad Abbatiam conſtruendam de ordine Ciſtertii,* circa annum 1175. Cæterùm ipſum cœnobium Donbrodienſe non fundatum fuit ante an. 1182, quo Abbas & conventus domus Beatæ Mariæ de Bildewas conceſſerunt Abbati & conventui Domus B. Mariæ juxta Dublin. *totum jus & clameum quæ habuerunt in terris, & tenementis prædictis:* ut è Regeſto dicti cœnobii B. Mariæ juxta Dublin. intelligimus. Paulò poſteà, Hervæus fundator cucullũ induit Cantuariæ, in Eccleſia Chriſti. In hoc cœnobio ſepultus eſt anno 1217, Herlewinus Epiſcopus Leghlinenſis, cujus Eccleſiæ magnam partem conſtruxerat. Sedet prope confluentes Baroi & Suiri.

Hoc

Dunum. M.	Hoc cœnobium Canonicorum Ord. S. Auguſtini, ante adventum Anglorum in Hiberniam fundatum, ſedet ad *Derriby* amniculum qui non procul hinc Slano conſociatur.
Fernæ, M. B. Mariæ.	Dermitius filius Murchardi rex Lageniæ fundavit ibi cœnobium Canonicis Auguſtinianis, circa annum 1158, ad Bannium fluviolum, qui ad tertium hinc milliare Slano ſe committit.
Glaſcarig, aliàs, de Viridi rupe, P. B. Mariæ.	Griffinus Condon, David Roch aliàs de Rupe, & alii hoc cœnobium Monachis Benedictinis poſuerunt, ad oram maritimam, prædiis dotârunt, & Cellam fecerunt cœnobii S. Dogmaëlis apud Penbrochienſes in Wallia.
Horton parva, F C. B. Mariæ.	Fundatur Carmelitis à familia Furlongorum.
Iniſcorthy, F C.	Donaldus cognomento Fuſcus poſuit ibi cœnobium ord. Fratrum Minorum de obſervantia anno 1460.
Juxta Iniſcorthy, ad Slanum flu. P. S. Johannis Euangeliſtæ.	Giraldus de Prendergaſt loci Patronus & Johannes de S. Johanne epiſcopus Fernēſis cellam fecerunt cœnobii Canonicorū S. Thomæ juxta Dublin. circa annū Dom. 1240;

1240, ut ex Chartis eorum liquet, Regeſto dicti cœnobii S. Thomæ inſertis.

Kiclogán, Pr. Templarii milites hîc ſedem fixerunt, circa tempus Johannis Regis, Sed ſuppreſſis Templariis, ſub Edwardo 2, facta eſt Præceptoria militum Hoſpitalariorum. Sedet non procul à Surio flu. à cujus oſtio vix 2 milliaribus abeſt.

Roſſæ, al. Roſſ-Pontis, F C. Johannes Devereux miles fundavit conventũ ord. Minorum in loco ubi aliquando Domus erat Cruciferorum, ad Baroi flu. ripam, regnante Edwardo Primo.

Roſſæ, F C. Conventus ord. Eremitarũ S. Auguſtini fundatur ibidem regnante Edwardo 3.

Tintern, al. de Voto, *M. B. Mariæ.* Gulielmus *Mareſcallus* ſenior comes Penbrochiæ an. Dom. 1200, cùm efferatam tempeſtatẽ evaſiſſet, ex voto hoc cœnobiũ conſtruxit, ſinuoſo in litore, prædiis ditavit & monachis implevit Ciſtertienſibus, ex cœnobio Tinternenſi, apud Monumethenſes in Wallia, quibus Abbatẽ præfecit Johannem Torrell. Hoc cœnobium, à Chryſoſtomo Henriques, in faſciculo Sanctorum ordinis Ciſtertienſis, appellatur *Minor Tinterna.* *Kil-*

Kilkenny.

Loca & Tituli dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Kilkenniæ P. ſeu H.S. Johannis Euangeliſtæ.	Gulielmus *Mareſcallus* ſenior comes Penbrochiæ Canonicis Auguſtinianis poſuit an.1211, ad ortum urbis, quam à S.Canico, cujus nomen fert, Canicopolim vocare licet.
Kilkenniæ, F C.	Gulielmus *Mareſcallus* junior Comes Penbrochiæ fratribus Ordinis Prædicatorum excitavit anno 1225.
Kilkenniæ, F C.	Conventus fratrum Minorum conſtruitur Kilkenniæ, circa an. 1240, ſi non quod aliqui tradunt ante an. 1234, juxta ripam Neori flu.
Calanæ, F C.	Cœnobium ibi Fratribus Ordinis Eremitarum S. Auguſtini conſtruxit Jacobus Butlerus, in cujus Eccleſia ipſe ſepultus eſt anno 1487. Is pater fuit Petri Comitis Ormoniæ, ſub Henrico 8. Sunt qui fundationem aſcribunt Hugoni de Mapilton

Epiſcopo Oſſorienſi, regnante Henr. 3. Sed perperam opinor.

Dousk al. M. de Valle S. Salvatoris.

Gulielmus *Mareſcallus* ſenior comes Penbrochiæ conſtruxit an. 1207, aliis 1204, & Monachis Ciſtercienſibus replevit, ex cœnobio de Stanleia, apud Wiltonienſes in Anglia. Monachos verò poſt eorum adventum in Hiberniam ſedem ſæpè mutâſſe, antequàm Douskæ fixerunt, docet loci Regeſtum. Monaſterium de Killenny, aliàs de Valle Dei (quod Dermitius O-Rian fundaverat, aſſenſu Dermitii Murchardi filii, Regis Lageniæ) huic cœnobio conjunctum eſt anno 1227.

Fert-ne-gerah, P. S. Kiarani.

Canonici ordinis S. Auguſtini.

Jeripont, al. Geripont, M. B. Mariæ.

Hoc cœnobium Monachis Ciſtercienſibus poſuit, vel ab alio loco, in Oſſoria, hûc tranſtulit Donaldus regulus Oſſoriæ, anno Dom. 1180. Inter ſepulchra Eccleſiæ ibidem, memoranda inprimis ſunt ea Donaldi conditoris & Felicis O-Dullani Epiſcopi Oſſorienſis, qui Aghavoa relicta, cathedram Epiſcopalem Kilkenniam tranſtulit, circa finem ſeculi 12.

Thomas

Iniſtiock, P. S. Columbæ.

Thomas filius Antonii Seneſcallus Lageniæ Canonicis Auguſtinianis conſtruxit, circa annum 1206, ſuaſu Hugonis Rufi, aliàs *le Rous* Epiſcopi Oſſorienſis.

Kenlis, al. Kells, P. B. Mariæ.

Galfridus filius Roberti (Lageniæ Seneſcallus ante jam dictum Thomam) fundavit hoc cœnobium, regnante Richardo Primo, ac in eo collocavit 4 Canonicos Ordinis S. Auguſtini, ex cœnobio Bodminenſi, apud Cornubienſes in Anglia, deductos, nimirùm Reginaldum de Acland, primum loci Priorem, Hugonem Rufum, Reginaldi ſucceſſorem in Prioratu & demùm Epiſcopum Oſſorienſem, Aluredum, factum poſt à primum cœnobii Iniſtiokenſis Priorem, & Algarum, qui Romam poſteà miſſus, ob cœnobii ſui negotia, Epiſcopatum quendam obtinuiſſe fertur in Lombardia. Huic cœnobio annexus eſt poſteà Prioratus *de Tullales*, quem in agro Corcagienſi extruxerat Matthæus filius Griffini.

Kilclehin, al. de Bello portu. *M. C.S. Kilkinni.*

Dermitius Murchardi filius rex Lageniæ cellam fecit Monialium B. Mariæ *de*

Hoggis juxta Dublin. anno Dom. 1151. Prædiis poſt adventum Anglorum ditârunt Johannes comes Moretoni Dom. Hiberniæ & David filius Milonis. Sedet ad Surium flu. è regione Waterfordiæ.

Knocktogher, FC. B. Mariæ. Jacobus ſecundus comes Ormoniæ Carmelitis poſuit, anno Dom. 1356.

Roſſ-Ibercan, FC. Conventus fratrum Ord. Prædicatorum introductus eſt anno 1267, 13 Kalend. Nov. Sedet ad Baroum flu. è regione Roſſ-pontis.

Comitatus Catherlagh.

Loca & Tituli dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Leghlinæ, P. S. Stephani.	De Ordine, nihil traditũ reperi, Prioratum vero diſſolutũ fuiſſe Eugenii 4 Papæ authoritate, an. 1432, & terras Decanatui Leghlinẽſi tunc annexas, ad rogatum Nicolai Cloal Decani, prodit in annalibus ſuis Thaddæus Doulingus. qui porrò aſſerit Burchardum quendam Norwegum Gurmundi filium Prioratum fundâſſe, vel potiùs

potiùs dotâſſe, eúmque in choro Eccleſiæ Cathedralis Leghlinenſis, ſub marmore conditum, cum ſtatua ejus ſuperimpoſita, & Epitaphio ſequenti,

HIC JACET HUMATUS DUX FUNDATOR LENIÆ, EN GORMONDI BURCARDUS, VIR GRATUS ECCLESIÆ.

Juxta pontem Leghlin, F C. B. Mariæ.

Cœnobium hoc Carmelitis extructum eſt ad Orientalem Baroi ripam, ſub exitum Henrici 3 Regis. Carewum quendam fundatorem fuiſſe tradit Johannes Hookerus in Scholiis ad cap.23 lib.2 Giraldi Cambrenſis, de expugnatione Hiberniæ. Sed perperam ibi conventum appellat fratrum Minorum.

Athaddy, M.C.

Dermitius filius Murchardi Rex Lageniæ cellam fecit domus Monialium B. Mariæ *de Hoggis* juxta Dublin. Hanc

Killergy. Pr. S. Johannis Baptiſtæ.	Hanc Præceptoriam, regnante Johanne, Militibus Templariis condidit Gilbertus de Borard. Sed ſub Edwardo 2, Equitibus Hoſpitalariis aſſignata eſt.
Tulli-Felim, al. Felagh, F C.	Simon Lumbard & Hugo Talun fratribus Ord. Eremitar. S. Auguſtini fundaverunt an. 1314, ad ripam Slani flu.

Comitatus Regis.

Loca & Tituli dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Durrogh, antiquitùs Dermagh, ſeu Campus Roboris. *M. B. Mariæ & S. Columbæ.*	Sanctus Columba fundavit circa annum 550. Vid. Bed. Eccleſiaſtic. Hiſtoriæ gentis Anglorum lib. 3. cap. 4, & Adamnan. vit. Columbæ lib. 1, cap. 3. Extat etiamnum, (qui aſſervabatur olim in hoc cœnobio) liber 4 Euangeliorum, ex verſione D. Hieronymi, laminis argenteis ornatus, quem, Inſcriptio præfixa, manu S. Columbæ, *per* 12 *dierum ſpatium* exaratum refert. Canonicos hujus cœnobii, tempore ſuppreſſionis & diù anteà, ordinis fuiſſe

fuiſſe Auguſtiniani conſtat, quanquam confitendum etiam S. Columbam monachis ſuis, ibi primò diſpoſitis, propriam condidiſſe regulam. Conſimilem habuerunt eventum (obiter adnoto) regulæ à SS Brendano, Congallo, &c. inſtitutæ, ut infrà patebit.

Gallen, al. Galin. P.

S. Canocus al. Mochonocus Abbas Canonicis Auguſtinianis conſtruxit, circa annum 492. Conſul. Joh. Colgani Acta Sanctorum Hiberniæ, ad 11 Februaarii. Sedet ad Braſſinogh flu. in regiuncula MacCoghlani, quæ pars eſt Comitatus Regis.

Killeighæ, in Ofalia, P. S. Crucis.

S. Sincellum *Mac Cenenain* Abbatem Killeach obiiſſe ann. 548, produnt Annales Ultonienſes. Fortè primus fuit Abbas & fundator loci de quo hîc agimus. Hîc Canonici fuerunt Auguſtiniani.

Killeighæ, F C.

Fundatur Minoritis, regnante Edwardo Primo.

Killeighæ. M. C.

Moniales ordinis S. Auguſtini.

Kilcarmic, F C. B. Mariæ.

Cœnobium Carmelitis hîc conſtruxit ad Braſſinogh flu. Odo filius Nellani Mulloy, in cujus Eccleſiâ ipſe

	ipſe ſepultus eſt anno 1454.
Monaſter-Feoris, al.Totmoy,FC.	Johannes de Bermingham comes Lovidiæ cœnobium illud Minoritis poſuit, anno 1325, in ea parte hujus agri quæ Ofalia dicitur.
*Seir, al.*Saiger-Kiaran.*P.S.Kiarani.*	Sanctus Kiaranus vel Ciaranus ſenior conſtruxit ibi cœnobium in primâ Eccleſiæ Hibernicæ infantiâ, quod magno olim honore floruit. Situm eſt in ea parte Comitatus Regis, quæ appelatur *Elia Carolina*. Canonici hujus cœnobii Ordinis fuerunt S. Auguſtini.

Comitatus Reginæ.

Loca & Tituli dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Aghavoæ, in Oſſoria ſuperiore, FC.	Cœnobium ibi Dominicanis conſtruxerunt majores Baronis ſuperioris Oſſoriæ. Atqui Aghavoa (i.e. ſi interpreteris, *Campus Bovis*, ſicut Boëtia Græciæ à Bobus) olim celebris inprimis erat, ob S. Canicum Abbatem, qui obiit ibidem 5 Idus Octobris anno 600.

Aghmacart, P. S. Tigernaci. Ord. Canonicorum Auguſtinianorum.

Leix. al. de Lege Dei, *M. B. Mariæ.* Fundatum anno Dom. 1183, & monachis impletum Ciſtertienſibus, ex cœnobio Baltinglaſſenſi. Thaddæus Doulingus erectum aſſerit à Cochegerio O-Moro, ibique eum poſteà tumulatum. Situm eſt ad Neorum flu. in ea parte comitatus Reginæ, quæ *Leaſia* vulgò appellatur.

Stradbally, in Leaſia, F C. Fundatur Minoritis ab O-Moro. Hunc conventum eundem eſſe exiſtimō cum eo cujus meminit Piſanus, ſub nomine *Luaſiæ.*

Midia,

Midia, ſive Midia **Orientalis.**

Loca & Tituli dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Trimmæ, M.B. *Mariæ.*	De primo Fundatore hujus cœnobii, non habeo quod dicam. Extructum fuiſſe diù ante Anglorum adventum liquet. In Analibus. Ultonienſibus ad an. 820, vel 821, fit mentio mortis Cenſealæ filii Rumaini Scribæ, Epiſcopi, anachoretæ & abbatis Trimmenſis. Lacæi vel reſtaurârunt, vel de novo extruxerunt. Hîc Canonici fuerunt Regulares Ord. S. Auguſtini.
Trimmæ, F C.	Conventus Dominicanorũ introductus eſt an. 1263. In hoc conventu habitũ Ordinis Prædicatorũ ſuſcepit an. 1308, Galfridus de Genevil Midiæ Dominus.
Trimmæ, F C.	Ord. Minorum.
Juxta, Trim. P. SS. Petri & Pauli *de Newton.*	Simon de Rupe-forti Epiſcopus Midenſis fundavit Canonicis Auguſtinianis,

nis circa annum 1286, & Clonardâ relictâ, hûc cathedram Epiſcopalem tranſtulit. Mortem obiit 1224, & in Eccleſia ibidem ſepultus eſt.

Juxta Trim, P. ſeu H. S. Joh. Baptiſtæ de Newton.

Ord. Cruciferorum. *Epiſcopi Midenſes* vel Fundatores fuerunt vel Benefactores.

Athboyæ, FC. B. Mariæ.

Gulielmus *de Loundres* loci Dominus ann. 1317 fundavit ibi conventum fr. Carmelitarum. Capitulum illius ord. ibi habitum eſt anno 1467.

Ballibogan, al. de Laude Dei, *P. S. Trinitatis.*

Ord. Canonicorum Regularium. De vetuſtate hujus cœnobii, quod dicam nihil certi occurrit. Fama tenet Jordanum Comin fundâſſe. Sedet ad Boinum flu.

Beaubec, ſeu de Bello becco, *C. B. Mariæ.*

Cella fuit Monaſterii B. Mariæ de Becco in Normannia, Ordinis S. Benedicti, ex dono Walteri de Lacy Midiæ Domini, ſub Johanne Rege. Atqui poſteà Cella facta eſt Cœnobii Furneſſenſis, apud Lancaſtrienſes in Anglia, Ord. Ciſtertienſis. Nam Abbas Beccenſis, impetratâ vendendi licentiâ ab Edwardo 3 rege Angliæ, Cellam eam vendidit

vendidit Abbati Furneſii. *Bec* Gallis ſignificat & avis roſtrum, & terræ extremitatem ubi duo confluunt flumina.

Bectif, al de Beatitudine, *M. B. Mariæ.*

Ord. Ciſtertienſis. De tempore fundationis hujus cœnobii variãt Chronographi Ordinis Ciſtertienſis: Sunt qui fundatum tradunt anno 1146 14 Januarii, alii, anno 1148, & alii anno 1151. Sed non magna eſt differentia. Sedet ad Boinum flu. Fundavit & dotavit Murchardus O-Melaghlin Midiæ regulus.

Clonardæ antiquitùs Cluainirard, *P. S. Petri.*

Ord. Canonicorum S. Auguſtini, S. Finianum Clonardæ ſplendorem ſingularem cœnobium ibi conſtruxiſſe non diù poſt Seculi ſexti initium conſtat. Atqui cœnobium, de quo jam loquimur (neſcio an antiquioris proles) à Lacæis fundatum eſt, in S. Petri memoriam. Sedet ad ſiniſtram ripam Boini flu.

Clonardæ, M C. B. Mariæ.

Moniales Ord. S. Auguſtini. *O-Melaghlin* Midiæ regulus dotavit ante Anglorum adventum. Cœleſtinus 3 confirmavit poſſeſſiones an. Dom. 1195. Atqui hæc domus ad tantam poſteà redacta

dacta eſt paupertatem, ut facta fuerit demùm cella cœnobii Monialium S. Brigidæ de Odra, vulgò *Odder*.

Colp. C. Ord. Canonicorum Regularium S. Auguſtini. Hugo de Lacy Dominus Midiæ Cellam fecit Prioratus Lanthoniæ primæ apud Monumethenſes in Wallia, circa annum 1182.

Dulekæ, olim Damliag, *M.B. Mariæ.* Ord. Canonicorum Auguſtinianorũ. Hoc cœnobium à Kellæo quodam diù ante Anglorum adventum in Hiberniam, fundatum fuiſſe, ex Rotulò clauſo anni 29 Edw. 3, intelligimus.

Dulekæ, C.S. Cianani. Ord. Canonicorum S. Auguſtini. Hugo de Lacy Dominus Midiæ cellam fecit Prioratus Lanthoniæ juxta Gloceſtriam in Anglia, circa annum 1180, Celebris ibi olim memoria S. Cianani (vulgò Kenani) qui obiit anno 489, vel 488, ad quem An. ſic Annales Ulton. *Quies S. Cianani, cui S. Patricius Euangelium largitus eſt.*

Kenliſæ, vulgò *Kells*, antiquitùs, *Cenanus*, ſeu *Kenanus*, M.B. Mariæ. S. Columba fundavit ibi inſigne olim Monaſterium, circa an. 550. Locum donavit Dermitius filius Cerballi rex Hiberniæ. Reſtauravit

poſteà Celſacus Abbas Jonæ ſive Hu inſulæ anno 806. Qua de re, vide Annales Ultonienſes, ad ann. 806 & 813. Opidum Aquæ nigræ al. Manæ fluvio adſidet, non obſcuræ olim famæ, inter alia, S. Cuthberti natalibus nobilitatum.

Juxta Kenliſam, P. ſeu H. S. Johannis Baptiſtæ. Ordinis Cruciferorum, ex fundatione Walteri de Lacy Midiæ Domini.

Kilmainan-beg, juxta Nobir. Pr. Hanc Præceptoriam dictus Walterus de Lacy Dominus Midiæ, regnante Richardo Primo, Equitibus Hoſpitalariis conceſſit. *Kilmainan-beg* ſignificat Eccleſiam ſive cellam parvam Maignani.

Kilmainan-wood, Pr. Ord. Militum Hoſpitalariorum.

Liſmullen, M. *C. S. Trinitatis.* Avicia de la Corner ſoror Richardi de la Corner Epiſcopi Midenſis Monialibus Ord. S. Auguſtini fundavit circa annum 1240. Huic cœnobio Richardus ille conceſſit manneria de Dunſink & Bally-godman.

Navanæ, M. B. Mariæ. Ord. Canonicorum Auguſtinianorum, ſub exitum Seculi 12, à Jocelino Nangle, aliàs de Angulo fundatum vel reſtauratum. Inter Abbates eminuit Johannes

Bole,

Bole, qui menſe Junio 1457 conſecratus eſt Archiepiſcopus Armachanus. Sedet ad confluentes Aquæ nigræ & Boini.

Odder, M.C.S. Brigidæ.

Poſſeſſiones confirmavit Cœleſtinus 3 anno 1195. Huic cœnobio annexæ ſunt poſteà cellulæ aliquot Monialium in Midia.

Scrinæ, F C.

Franciſcus de Feipo loci Dominus, regnante Edwardo 3, conventum ibi poſuit fratribus Ord. Eremitarum S. Auguſtini.

Slanæ, ad Boinum flu. F C.

Chriſtophorus Flemingus Baro de Slane & Elizabetha Stukleia uxor ejus fratribus tertii Ord. S. Franciſci fundârunt anno 1512, in loco *Hermitorii S.* Erci, ut ex chartâ fundationis intelligimus. Chriſtophorus ille anno ſequenti (obiter adnoto) ab Henrico 8, *S*ummus Hiberniæ Quæſtor conſtitutus eſt.

Midia Occidentalis.

Loca & Tituli Dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Molingaræ, P.B. Mariæ.	Ord. Canonicorum Regularium. Radulphus Parvus aliàs *Petit* Epiſcopus Midenſis fundavit circa annum 1227. Hic Prioratus olim vulgò nomine *Domus Dei de Molingare* innotuit.
Molingaræ, F.C.	Conventus fratrum Ord. Prædicatorum introductus eſt anno 1237. Poſteà annis 1278, 1292, 1308 & 1310, Capitula illius ordinis ibi ſunt habita.
Ardnecran, FC.	Ord. B. Mariæ de monte Carmel.
In ea parte Athlonæ quæ agri cenſetur Weſtmidenſis, F C.	Conventus fratrum Ord. Minorum ibi collocatus dicitur à quodam è familia Dillonorum. Albertus patriâ Colonienſis Archiepiſcopus Armachanus Eccleſiam eorum conſecravit anno 1242. Sedet ad ſiniſtram ripam Shenani fluvii

Hoc

Ballymore *Logh-ſeudy, al.Plary, M.B. Mariæ.*

Hoc cœnobium in antiquo codice Statutorum &c. Ordinis Ciſtertienſis in Hibernia, inter illius ordinis cœnobia numeratur. Atqui Ordinis fuit (ut puto) Gilbertini ſive *de Sempringham* in quo Canonici fuerunt Ordinis Præmonſtratenſis, & Moniales Ord. Ciſtertienſis, ſeparatis tamen ædificiis utrique gregi aſſignatis. Lacæos Fundatores agnoſcit.

Fouræ, al. Favoriæ, P.SS. Taurini & Fechini.

Hîc S. Fechinus cœnobium inſtituit Canonicorum Regularium, cui ipſe præfuit Abbas, uſque ad annum 665, quo mortem obiit. Anno verò 1218, Walterus de Lacy Dominus Midiæ Cellam fecit cœnobii S. Taurini Ebroici (vulgò dicti *Evereux*) in Normannia, unde monachis Benedictinis replevit. An demùm 27 Henrici VI, Parlamentariâ authoritate, abrogatum eſt jus Abbatis S. Taurini Ebroicenſis, & data eſt monachis Fourenſibus poteſtas ſuum deinceps Priorem eligendi. Hic locus (ſicut *Kiriath-ſepher* apud Judæos) olim *etiam* Hibernicè ap-

pellabatur *Balle-leabair*, id eſt, *Vrbs Librorum.*

Kilbegain, *al.* de Flumine Dei, *M.* — Fundatum anno 1200 & Monachis Ciſtertienſibus impletum è cœnobio Mellifontis.

Kilkenny-weſt, *P.* ſeu *H. S. Joh. Bap.* — Ord. Cruciferorum, ni fallor.

Kilmachael, *F C.* — F F. Tertii Ord. S. Franciſci.

Multifernan, *F C.* — Fundatur à Gulielmo Delamaro, ſub Henrico 3. vid. Luc. Waddingi Tom. 1. Annalium Minorum, ubi etiam Conventus tranſlatus dicitur à patribus Conventualibus, ad obſervantiæ regularis profeſſores, anno 1460.

Triſternagh, *P. B. Mariæ.* — Dominus Galfridus de Conſtantin fundavit ordini Canonicorum Auguſtinianorum, & dotavit, circa annum, 1200, ut ex Regeſto loci intelligimus.

Longford.

Longford.

Loca & Tituli dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Longfordæ, *FC.*	In hoc cœnobio Dominicanornm ſepultus eſt anno 1424 Cornelius O-Ferrall Epiſcopus Ardachadenſis, vir ob liberalitatem erga pauperes celebratus, neſcio an fundator Domus.
Balline-ſagard, *F C.*	F F. Tertii Ord. S. Franciſci.
Derg, *P. S. Petri.*	Ord. Canonicorum Auguſtinianorum. Sunt qui fundatum aſſerunt (quàm verè neſcio) á Gormgallo O-Quin, regnante Johanne. In hoc cœnobio ſepultus eſt Brendanus *Magodaig* Epiſcopus Ardachadenſis, anno 1255.
Granard, *al. Lerba juxta Granard*, *M. B. Mariæ.*	Richardus Tuit Miles loci Dominus fundavit circa annum 1210, & Ciſtercienſibus Monachis implevit, è cœnobio B. Mariæ juxta Dublin. Is anno ſequente Athlonæ *turre cadente* obrutus periit.
Inis-more, in lacu Gawna, P.	S. Columba ibi fundavit cœnobiolum Canonicis

Regularibus, ſub medium ſeculi quinti.

Inis-bo-find, in Shenani flu. lacu *Lough-Rie* dicto, M.

In hac Inſula amnica, S. Riochus Abbas S. Patricii è Darerca ſorore nepos Canonicis cœnobium fundavit. Sunt & duæ Iuſulæ ejuſdem nominis mari circumfluæ, altera in agro Maionenſi, in qua diù poſteà vixit S. Colmannus Epiſcopus aliquando Lindisfarnenſis, altera in Tirconallia.

Inis-Cloghran, in eodem lacu, M.

S. Diarmitius Abbas fuit & fundator cœnobii Canonicorum ibidem, in primis ſurgentis Eccleſiæ Hibernicæ temporibus.

Inſula omnium Sanctorum, al. Inſula ſacra, *in dicto lacu, P.*

S. Kiaranus cœnobium Canonicorum Regularium condidit in inſula quadam lacus Rienſis dicta *Inis-Aingen*, aliàs *Oilean Aingin.* Aut me fallo, aut idem eſt cum eo de quo nunc loquimur. Sed de hac re quærant alii.

Shrewl, ad Enium flu. M. B. Mariæ.

Chronographi Ord. Ciſtertienſis Monaſterium de Benedictione Dei fundatum tradunt anno 1150, vel 1152. Fortè idem cum eo de quo loquimur: Sed de hac re quærant etiam alii.

Comita-

Comitatus Louth, antiquitùs Pars Urielis, ſive Ergalliæ.

Loca & Tituli dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Droghedæ, ſive Pontanæ, FC.	Ibi Lucas de Nettervil Archiepiſcopus Armachanus cœnobium Ord. Prædicatorum fundavit an. 1224. In hoc cœnobio ſepultus eſt anno 1270, Patricius O-Scanlain ejuſdem Eccleſiæ Armachanæ Archiepiſcopus.
Droghedæ, FC.	Conventus Ord. Minorum Pontanæ initium ſumpſit circa annum 1240, juxta ripam borealem flu. Boini.
Droghedæ, FC.	Conventus fratrum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini introductus eſt, ſub Edwardo Primo.
Juxta Droghedam, P. ſive H. S. Mariæ, de Urſo.	Urſus de *Suamel* poſuit extra portam occidentalem, circa annum Dom. 1206, *ad ſuſtentationem Hoſpitalitatis miſerorum & infirmorum languentium*, &c. Quandò poſteà introducti fuerint fratres Cruciferi, ſub regula S. Auguſtini, non reperi.

reperi. Primus loci Præfectus, à fundatore dicebatur Cuſtos, non Prior.

Juxta Droghedam, P. S. Laurentii. Ord. (ni fallor) Cruciferorum. Prætor & Opidani Pontanæ fundârunt, ut ex *Inquiſitione Scaccarii* intelligimus.

Juxta Droghedam, FC. B. Mariæ. Conventus Carmelitarum Pontanæ initium ſumpſit, Edwardo primo regnante, ex largitione Opidanorum,

Juxta Droghedam, P. ſive H. S. Johannis Baptiſtæ. Ord. Cruciferorum. Walterus de Lacy, ſi non Fundator, ſaltem primarius fuit Benefactor, ſub Johanne Rege.

Admonendus eſt Lector Droghedam partim in agro Louthenſi poſitam eſſe, partim in Midenſi, neutrius tamen cenſendam, quòd Comitatus ſit diſtinctus & per ſe incorporatus, item omnia dicta cœnobia ſita eſſe in ea parte urbis (ultra pontem) quæ olim ad Louthenſem comitatum ſpectabat, exceptis Hoſpitali S. Johannis Baptiſtæ & cœnobio fratrum B. Mariæ de Monte Carmel, quæ (cis Pontem) ad Midiam olim ſpectabant. Opidum nomen habet à ponte & vado: Pontem enim *Droched*, vadum *Ah* nuncupant Hiberni.

Atherdeæ, al. de Atrio Dei, *P. S. Johannis Baptiſtæ.* Ord. Cruciferorum, ſub regula S. Auguſtini, Rogerus Pipard loci Dominus poſuit, circa annum 1207.

Atherdeæ, F C. B. Mariæ. Ordinis Carmelitarum. Radulphus Pipard conſtruxit

ſtruxit

ſtruxit regnante Edwardo Primo.

Carlingfordiæ, F. C. Ordinis Prædicatorum. Comites Ultoniæ Patroni fuerunt.

Dundalkæ, F C. Ad Ortum Opidi, cœnobium erat fratrum Minorum, à Domino Johanne de Verdon, ſub Henrico 3, extructum Feneſtra ejus orientalis, ob opus eximium, per univerſam Hiberniam, magno olim habebatur in pretio.

Juxta Dundalkam. P.S. Leonardi. Ordinis Cruciferorum, ſub regula S. Auguſtini. Bertramus de Verdon loci dominus fundavit ſub exitũ Henrici II. Opidũ Richardi filii Radulphi Armachani Archiepiſcopi natalibus illuſtratũ, qui inde dictus eſt vulgò S. Richardus *de Dundalk.*

Kilſaran, Pr. Primùm ſedes fuit Militum Templariorum, ex largitione Matildæ de Lacy, poſteà ſub Edwardo 2, Præceptoria Equitum Hoſpitalariorum.

Louthæ, P. B. Mariæ. Monaſteriũ Louthæ, (antiquitùs Lughæ) à S. Moctæo primo ibi Epiſcopo, vivente S. Patricio, conſtructum tradit Scriptor vitæ ejus, à Johanne Colgano editus, è Codice Salmanticenſi,

cenſi, anno 1645. Quàm diù illud cœnobium duraverit non reperi. Cæterùm Donatus O-Caroll Rex Ergalliæ & Edanus O Kelly Epiſcopus Clochorenſis novum fundârunt cœnobium Canonicorum Regulariũ Louthæ, anno 1148, in quo ipſe Edanus ſepultus eſt anno 1182, cùm ſedi Clochorenſi præfuiſſet annos circiter 42.

Knock juxta Loutham al. M. de Monte Apoſtolorum *SS. Petri & Pauli.*

Hoc cœnobium Canonicis Auguſtinianis fundavit jam dictus Donatus O-Caroll. Poſſeſſionibus deinde dotavit Edanus O-Kelly, de quo ſuprà, quas ſibi contulerat Donatus, ut è Regeſto Clochorenſi liquet. Locus olim appellabatur *Knock-na-ſengan*, i.e. Collis formicarum.

Mellifons, filia Claræ vallis, M. B. Mariæ.

Mellifons inſigne olim Monaſterium Ordinis Ciſtertienſis (è quo educta ſunt plurima ejuſdem Ordinis cœnobia, per univerſam Hiberniam) fundatur à Donato O-Caroll regulo Ergalliæ ſive Urielis, anno 1142. Monachis illud implevit Divus Bernardus, è cœnobio ſuo Claræ vallenſi in Gallia,

lia, Abbate illis præpoſito Chriſtiano O-Conarchy, poſteà Liſmorenſi Epiſcopo. In Eccleſia ibidem, plura fuerunt ſepulchra Epiſcoporum & aliorum, memoranda tamen inprimis videntur illa Donati Conditoris, necnon Thomæ O-Conner & Lucæ Nettervil Eccleſiæ Armachanæ Archiepiſcoporum. Situm loci valdè aſſimilem ferunt Claræ vallenſi.

Termon-Fechan, MC.B. Mariæ. Ord. S. Auguſtini. Cœleſtinus 3 poſſeſſiones hujus cœnobii Monialium confirmavit 4 Calend. Martii 1195. Sed quàm diù anteà erectum fuerit, non reperi.

PROVIN-

PROVINCIA ULTONIÆ.

ARMACH.

Loca & Tituli dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Armachæ, M.SS. Petri & Pauli.	S. Patricius primus dicitur fundator, ſecundus Imarus O-Hedagain Præceptor Malachiæ O Morgair poſteà Archiepiſcopi Armachani. Canonici hujus Cœnobii Ordinis fuerunt S. Auguſtini.
Armachæ, FC.	Patricius O-Scanlain (ex ordine Prædicatorum) Archiepiſcopus Armachanus Minoritis cœnobium extruxit ibidem anno 1263 vel 1264.
Armachæ, MC.	Hîc porrò duo extructa fuerunt cœnobiola Monialium, alterum dictum Templum Brigidæ, alterum *Temple-na-ferta*, ſive Templum miraculorum, in quo S. Lupita S. Patricii ſoror ſepulta eſt. De primo Conditore non poſſum aliquid pro certo affirmare. Jocelinus in

in vit. S. Patricii cap. 165, fundata innuit à *S*.Patricio. Ad hanc rem vid. porrò vit. S. Patricii, quam ex codice, MS. cœnobii Alnenſis, edidit Johannes Colganus.

Kilſleve, al. Kilſleve-cuilin, MC. Darerca, quæ & Moninne Monialibus conſtruxit, ubi ipſa Abbatiſſa præfuit, & deceſſit 6 Julii anno 518.

Down.

Loca & Tituli dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Duni, vulgò Down, Hibernicè *Dundalethglas, P. & Eccleſia cathedralis S. Patricii.*	Johannes de *Curcy* Ultoniæ expugnator, ſecularibus Canonicis expulſis, Monachis Benedictinis implevit ex cœnobio S. Werburgæ Ceſtriæ, anno 1183, è quibus Gulielmus de Etleſhall factus eſt primus Prior loci: Et ſub eodem tempore, Curcæi ſuaſu, Eccleſia ea cathedralis, quanquam anteâ S. Trinitatis nomini conſecrata, in honorem S. Patricii dicata eſt. Priori & Monachis ibidem paulò poſteà Malachias ejus nominis

minis tertius EpiſcopusDunenſis multa prædia contulit, reſervato ſibi *Cuſtodis & Abbatis titulo*, *ſicut fit* (uti verba ſunt Chartæ) *in Eccleſia Wintonienſi*, *vel Coventrenſi*. *Retenta* etiam *ad honorem & reverentiam Epiſcopatus ſui*, *medietate oblationum in his quinque feſtis anni & non ampliùs*, *ſc. in Natali Domini*, *in Purificatione S. Mariæ*, *in feſto S. Patricii*, *in Paſcha & Pentecoſte*.

Duni, P. S. Johannis Baptiſtæ Anglicorum. Ord. Cruciferorum, ſub regula S. Auguſtini. Jam dictus Johannes de Curci fundavit.

Duni, P. S. Johannis Baptiſtæ Hibernicorum. Malachias O-Morgair Epiſcopus Dunenſis Canonicis Auguſtinianis poſuit anno 1138.

Duni, M. C. Ord. Ciſtertienſis.

Duni, F. C. Hugo de Lacy comes Ultoniæ fundavit conventum Ord. Minorum circa annum 1240. Is dignitatem eam Comitis à Johanne Rege (obiter adnoto) obtinuit anno 1209, cum ceremonia cincturæ gladii, ut ex Archivis turris Londinenſis liquet.

Prioratus

Prioratus niger S. Andreæ, in territorio de Ardes.

Dictus Hugo de Lacy cellam fecit cœnobii de Lonley (diœceſis Cenomanenſis) in Gallia, circa annum 1218, monachíſque replevit Benedictinis. Sed primus hujus cœnobii fundator fuit Johannes Curcæus, qui in charta fundationis, Monaſterium appellat *S. Andreæ de Stokes.* Is prædiis etiam ditavit, *decem* nimirum *carucatis terræ, cum omnibus pertinentiis ſuis, in terra del Art, ſc. in terra Mac Colloqua. &c.* Hoc cœnobium annexum fuit poſteà Archiepiſcopatui Armachano, ſub Edwardo 3 Rege Angliæ, Richardo filio Radulphi Archiepiſcopo illius ſedis ſolvente Abbati & conventui Lonleyenſi 200 *libras ſterlingorum*, pro confirmatione. Non deſunt tamen qui Archiepiſcopatui non plenè annexum aſſerunt, ante tempora Richardi 2, dùm Johan. Colton eſſet Archiepiſcopus.

Pr. S. Joh. Bapt. in dicto territorio de Ardes.

Fundatur Militibus Hoſpitalariis, à jam dicto Hugone de Lacy.

Ardicniſe, FC.

Ordinis Minorum.

P *Bangor,*

Bangor, al. Vallis Angelorum, M.

S. Congallus anno 555 cœnobium ibi inſtituit Canonicis regularibus, cui ipſe præfuit Abbas. Hoc (Danicâ poſteà dilaceratum rabie) Malachias O Morgair, ante infulas ſuſceptas, reſtauravit anno 1120. Nomen habet à pulchro choro. Situm eſt in territorio quod olim appellabatur (ut in vita S. Congalli legimus) *Altitudo Ultorum, juxta mare Orientale*, nunc vulgò **The Ardes.**

Comerer, al. Comber, M. B. Mariæ.

Fundatum anno 1199, & monachis repletum Ciſtertienſibus, è cœnobio de Alba Landa.

Holy-wood, al. de S. boſco, *F C.*

F F. Tertii Ord. S. Franciſci.

Inis, M. B. Mariæ.

Johannes de Curcy fundavit anno 1188, aliis 1180, prædiis cœnobii de Carig ordinis Turonenſis (à ſe diruti) ditavit, & Monachis Ciſtertienſibus replevit ex cœnobio Furneſſenſi, apud Lancaſtrienſes in Anglia. Inis verò (ut ſemel adnotem) Britannis & Hibernis Inſulam ſignificat.

Leigh, al. de Jugo Dei, *vulgò* **Grey Abbey**, M. B. Mariæ.

Africa uxor Johannis de Curcy & filia Godredi Regis Manniæ poſuit 8 Kalend. Septembris an. 1193, ac

ac monachis implevit Ciſtertienſibus, ex cœnobio de *Holmcultrain* in Cumbria. In hoc cœnobio ipſa Africa ſepulta eſt, ut è Chronico Manniæ conſtat.

Movilla, al. Maigevile, M.S. Finiani.

S. Finianus Abbas Canonicis Auguſtinianis poſuit circa annū Dom. 550. Hunc eundem fuiſſe cum Fridiano Epiſcopo Lucenſi in Italia, aſſerit Johannes Colganus, vir doctus & induſtrius, in Actis Sanctorum Hiberniæ, ad 18 Martii.

Neddrum, P. ſeu C.

Johannes de Curcy monachis Benedictinis fundavit an. 1183, & cellam fecit cœnobii S. Begæ in Cumbria. Sed non diurnavit, neque cauſam reperi.

Newry, al. de Viridi ligno, *M. B. Mariæ, & S. Patricii.*

Mauritius Mac-Loghlin rex Hiberniæ fundavit Monachis Ciſtertienſibus, ut ex charta fundationis intelligimus. Chronographi Ordinis Ciſtertienſis fundatum aſſerunt anno 1153, quinquennio ſc. poſt obitum Malachiæ Epiſcopi Dunenſis, quem aliqui malè fundatorem ſtatuunt. Dotationem confirmavit Hugo de Lacy comes Ultoniæ, anno 1237.

Newton, *F C.*

Conventus Ord. Prædicatorum introductus eſt anno 1244 & Capitula ejuſdem ordinis ibi habita ſunt annis 1298, & 1312. Sedet in territorio *de Ardes*, prope litus maris.

Saballum, *vulgò* Saul, M. S. Patricii.

Sanctus Patricius conſtruxit hoc cœnobium Canonicis regularibus, eique præfecit Abbatem S. Dunnium: Eccleſiam verò adjecit, (juxta Jocelinum Furneſſenſem) contra morem receptum, non ab Occidente in Orientem, ſed à Septentrione in Auſtrum protenſam. Malachias O-Morgair Epiſcopus Dunenſis reſtauravit. Situm habet in ea parte hujus agri, quæ Lecalia appellatur.

Antrim,

Antrim, antiquitùs Ændrum.

Loca & Tituli dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Carrigfergus, al. Knockfergus, FC.	Hugo de Lacy comes Ultoniæ cœnobium hîc poſuit Minoritis circa annum 1232, in cujus Eccleſia ipſe ſepultus eſt 1242. Introducti ſunt fratres Minores de Obſervantia anno 1497.
Good-born, al. Wood-born, P. S. Crucis.	Ord. Canonicorum Præmonſtratenſium. Hoc cœnobium filia fuit Monaſterii de Driebourc in Scotia, à Scotis ut videtur extructum. Alanum de Galwia, Duncanum de Carrig & Biſettos è Scotia nobiles, terras in hoc tractu, Henrici 3 regis beneficio accepiſſe liquet. Prioratus non multùm abeſt à *Carrig-fergus*, ſive Rupe Ferguſii.
Inver, FC.	Ibi, necnon apud Bunamargy, Maſſerin & Limbeg, extructa ſunt cœnobiola fratribus 3 Ordinis S. Franciſci de pœnitentia, Seculo 15.

Kells, al. Diſert, P. B. Mariæ. Muckmor, P.B: Mariæ & S.Colmanelli.	Ord. Canonicorum regularium S. Auguſtini. S. Colmanellus al. Colmanus Ella Canonicis regularibus fundavit circa annum Dom. 580. Prædiis, poſt adventum Anglorum, ditârunt Gulielmus Mataland, Stephanus de Sandall, Robertus de Sandall & Gilbertus de Croft, ut ex Regeſtulo (quod habeo) loci conſtat. De hoc cœnobio & S. Colmanello fundatore, vid. Prophetiam S. Patricii, apud Jocelinum Furneſſenſem, cap. 96.

London-derry.

Loca & Tituli dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Deriæ, al. Londonderry, antiquitùs Dairecalgac, M.S.Columbæ.	S. Columba Canonicis Regularibus fundavit anno 545. Hoc cœnobium olim vulgò appellabatur *Cella nigra*, & *Locus* erat *filialis* Monaſterii SS. Petri & Pauli de *Armach*, ut è Regeſto Johannis *Bole* aliquandò Archiepiſcopi Armachani liquet.

Deriæ,

Deriæ, *F C.* Sedes fratribus Prædicatoribus aſſignata eſt anno 1274, ex parte aquilonari Urbis.

Deriæ, *M C.* Regeſtum *Honoris* Richmondiæ cœnobium *de Dere in Hibernia*, ord. Ciſtertienſis fundatũ docet 6 Kalend. Martii 1218. Aut idem fuit cum cœnobio hoc Monialium, aut cum cœnobio Moycoſcanenſi, de quo poſteà.

Juxta Colranam, *F C.* Sedem ibi primò fixerunt Dominicani an. 1274, ad Bannium flu. unde in antiquo cœnobiorum illius Ordinis Catalogo, appellatur Conventus de *Bannin.*

Dungevin, *P.* Paulum *O-Murey* Priorem cœnobii Canonicorum Regularium de Dungevin obiiſſe anno 1215, produnt Annales Ultonienſes. Sed quàm diù ante erectum fuerit nondùm comperi.

Moycoſcain, *al.* de Claro fonte, M. *B. Mariæ.* Catalogus antiquus cœnobiorum Ciſtertienſiũ Hiberniæ cœnobium *Clarifontis* fundatum aſſerit anno 1218. Regeſtum *Honoris* Richmondiæ ann. habet 1223.

Donagall.

Loca & Tituli dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Dunagallæ, FC.	Ord. Minorum de Obſervantiâ. Odo cognomento *Rufus* O-Donell fundare cœpit an. 1473. Hic conventus ob bibliothecā inſtructiſſimam olim celebris erat.
Aſhro. al. Eſarua, al. de Samario, M. B. M*ariæ.*	Hoc cœnobium fundatum eſt & Monachis Ciſtertienſibus repletum anno 1179, aliis, 1184, à Roderico O-Cananan Tirconalliæ Dynaſta, qui à Flachertaco ſucceſſore occiſus eſt 1188. Sunt qui fundatum aſſerunt à dicto Flachertacho. Sedet non procul ab Oſtio Erni flu. quem Ptolemæus *Ravium* vocat, Giraldus Cambrenſis, *Samarium.*
Kilmacrenan, FC.	Ordini Minorum ibi extructum eſt cœnobiolum ab O-Donello, eidemque ordini conſtructi ſunt etiam Conventus de Bellaghan & Balli-mac-ſuine juxta *Doe* caſtrum, è quibus poſtremus Mac Suineum

neum fundatorem agnoſcit.

Magheri-beg. i.e. Planities parva, FC.

O-Donnellus extruxit ibi cœnobium fratribus tertii Ordinis S. Franciſci; cui ordini extructa ſunt etiam cœnobiola apud Calebeg, Kil-O-Donel & Fanegarah.

Rathmullian, *FC. B. Mariæ.*

Cœnobiolum ibi erectum eſt Ordini fratrum B. Mariæ de Monte Carmel, à *Mac-Suineo Fanagh.*

Tir-Oen.

Loca & Tituli dedicationum,	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Clochoræ, M. B. Mariæ.	Ord. Canonicorum Regularium S. Auguſtini. S. Macartinus Epiſcopus Clochorenſis cœnobium ibi juſſu S. Patricii conſtruxit, *in platea* (nempe) *ante regalem ſedem Ergallienſem*, ut intelligimus ex Regeſto Patricii Culin, ordinis Eremitarum S. Auguſtini Epiſcopi Clochorenſis, ſub Henrico 8.
Dunganon, FC.	Ad Auſtrũ villæ de Dunganon, cœnobiolum fratribus tertii Ordinis *S.* Franciſci

ciſci conſtruxit Conus O-Neal, regnante Henrico 7. Cui ordini extructi ſunt etiam, variis temporibus, in eodem comitatu, Conventus de Ballineſagart, Corock, Gervagh-Kerin, Puble & Omey.

Fermanagh.

Loca & Tituli dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Dam-Inis, ſive Inſula Bovium, *vulgò Deveniſh, P.B.Mariæ.*	S. Laſerianus, qui & Molaſſe, Abbas & fundator cœnobii de Dam-Inis in lacu Erneo, obiit ibidem anno 571, Septembris 12. Propriam eum condidiſſe regulam ferunt, cônſtat tamen ſucceſſores ejus tandem normam ſuſcepiſſe S. Auguſtini. In Interpolationibus Annalium Ultonienſium, ad annum 1130, ita legimus, *Hoc anno fundatur Monaſterium de Dam-Inu.* Intelligit Author vel hujus cœnobii reſtaurationem, vel fundationem alterius Prioratus, in eadem Inſula,

ſula, qui fuit *Colideorum*, ſive Presbyterorum ſecularium; de quo ordine, ſuprà diximus, cap. 17.

Liſgavail, vulgò Lisgool, M. B. Mariæ. Ord. Canonicorum Regularium. Fundatur (ut in ſupradictis Interpolationibus legimus) anno 1106. Sedet ad dictum lacum Erneum.

Liſgavail, F C. Fundatur anno 1530, Ord. S. Franciſci.

Inſula S. Dabeoci, al. Avogi, in lacu rubro, vulgò Logh-derg, aliis Logh-gerg. P. Hoc cœnobium Canonicorum Auguſtinianorum in Regeſto Johannis *Bole* quondam Archiepiſcopi Armachani appellatur *Locus filialis Monaſterii Apoſtolorum Petri & Pauli Armachæ.* S. Dabeocum fundâſſe ferunt Seculo 5, vivente S. Patricio. Alii S. Patricium fundatorem volunt. Prior loci olim appellabatur Prior Purgatorii S. Patricii; Sed antrum ipſum, vulgò *Purgatorium* dictum, cujus inventio à quibuſdam ad Patricium Abbatem, qui floruit anno 850, ab aliis, ad S. Patricium refertur, in alia ſitum eſt inſula ejuſdem lacus, in qua plerumque unus duntaxat vel alius Canonicus cœnobii S. Dabeoci manſit, ad uſum Eccleſiæ & peregrinantium. De hoc antro, mira fidem ſuperantia narrantur. Dirutum fuiſſe, utpotè ſuppoſititium, ipſo die S. Patricii, anno Dom. 1497, Alexandri 6 Papæ authoritate, à *Gardiano* domus fratrum Minorum de Donegall & aliis, prodit ad eum annum, qui tum vixit, author Annalium Ultonienſium. Attamen reſtauratum

tum poſteà, & peregrinationibus denuò frequentatum conſtat. Sunt qui ridiculè ſomniant Uliſſem primùm hunc effodiſſe ſpecum, cùm Inferos affaretur. Uliſſem verò (quod obiter notare liceat) ab Homero vel hiſtoricè dictum vel poëticè fictum, Hiberniam, unam è Britannicis inſulis, vel ſaltem Britanniam ipſam adiiſſe, facilè inducor perſuaderi. Hoc innuit Circe (apud Homerum) dùm Uliſſem, in profectione ad Inferos, doceret, quis ventus ſecundus, quis curſus per Oceanum tenendus. Atque hûc ſpectare videtur Claudianus, in Rufinum, lib. 1,

Eſt locus extremum pandit quà Gallia litus,
Oceani prætentus aquis, quò fertur Uliſſes
Sanguine libato populum moviſſe ſilentum.
Illic Umbrarum tenui ſtridore volantum
Flebilis auditur queſtus, Simulacra coloni
Pallida, defunctaſque vident migrare figuras.
Hinc Dea proſiluit, Phœbique egreſſa ſerenos
Infecit radios, ululatuque æthera rupit
Terrifico, ſenſit ferale Britannia murmur,
Et Senonum quatit arva fragor, revolutaq; Tethys
Subſtitit, & Rhenus projecta torpuit unda.

Quibus tetraſtichon adjicimus, ex Johannis Garlandii lib. 3, de Triumphis Eccleſiæ, ubi de Johanne Rege Angliæ loquens, ita canit,

Evertit

Evertit nemora variis Hibernica bellis,
Ad Stygis introitus Patriciique lacus.
Purgant (ut dicunt) hîc Purgatoria vivos,
Si ſint conſtanti pectora fixa fide.

Liber MS. extat in Bibliotheca Cottoniana. Sed ne nimìs excurrat oratio, pro coronide habe Iconiſmum Inſulæ Purgatorii (ut vocant) S. Patricii, cum adjunctis Annotationibus quibuſdam.

Notandum


Regles
Lectus vel Circu-
lus S. Brigidæ
Caverna Purgatorij
Lectus vel Circulus
S. Katharinæ,
Lectus vel Circulus
S. Brendani
Lectus vel
Circulus S. Columbæ
Lectus vel Circulus.
S.S. Abogi et Molaiſ:i
Lacus
Derg
Lectus vel Circu-
lus S. Patricij
Inſulæ Purgatorij
S. PATRICII
Deſcriptio,
Sepulchra ex acer-
vis lapidum.

Notandum circulos ſuprà memoratos vulgò dictos lectos, muris lapideis vix tres pedes altis cinctos, loca fuiſſe pœnis & pœnitentiis peregrinantium attributa. Ad Antrum ipſum quod attinet, è ſaxo vivo conſtructum eſt, ſaxíſque latis obtectum cum terra ſuperimpoſita gramine veſtita. Clauſo oſtio, lucem aliquam præbet unica feneſtella, in angulo recurvitatis. Continet in longitudine intra muros 16 pedes & dimidium, in latitudine plerúmque duos, & pollicem unum vel alterum. Atque ut ſpecus eſt exigua, ita etiam & Inſula, quæ (uti ſuprà diximus Cap. X) vix continet tres quartas partes unius acræ Hibernicæ. Eccleſiam hujus Inſulæ olim *Regles* vocatam tradunt Hiſtoria Jorvallenſis, Henricus de Knighton & alii. An verò à reliquiis ibi olim aſſervatis ita dicta fuerit, vel quòd à Canonicis regularibus occupata, velim ut alii paulò diligentiùs ſecum perpendant.

Monachan.

Loca & Tituli dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Monachan, FC.	Felimus Mahonides Ordini Minorum conventum poſuit anno 1462.
Cluain-eois, vulgò Clunes, M. SS. Petri & Pauli.	Ord. Canonicorum S. Auguſtini: S. Tigernacus Epiſcopus & fundator cœnobii obiit anno 550 Aprilis 5.

Cavan.

Loca & Tituli Dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Cavan, F C.	Gelaſius *Rufus* O Rely fratribus Minoribus conſtruxit ibi conventum anno 1300. Hunc locum Johannes Clynnus *Breſiniam* appellat. Conventus tranſiit ad fratres Minores de Obſervantia, anno 1502.
Drumlahan, P. B. Mariæ.	Ord. Canonicorum Auguſtinianorum. Fundatur vel ſaltem reſtauratur à S. Edano, vulgò dicto Maidoco Archiepiſcopo Fernenſi, circa finem Seculi 6. Subjiciebatur tandem cœnobio B. Mariæ *de Kenlis* in Midia.
In Inſula S. Trinitatis de Loughoughter, M. S. Trinitatis.	Clarus Mac-Mailin aliquandò Archidiaconus Elphinenſis cœnobium ibi conſtruxit ordini Canonicorum Præmonſtratenſium, anno Dom. 1249, quod Carolus O-Rely dotavit. Vel hoc cœnobium, vel cœnobium B. Mariæ de Ballimore, (de quo ſuprà dixi in

in Midia occidentali) idem eſt cum eo quod Johannes *Le Paige*, in Bibliotheca Ordinis Præmonſtratenſis, edita Pariſiis anno 1633, Monaſterium *Ballimenualenſe* in Provincia Armachana appellat.

PROVINCIA MOMONIÆ.

WATERFORD.

Loca & Tituli dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
JuxtaWaterfordiam, P.S. Catharinæ.	Prædiis ditavit Elias filius Normanni. Innocentius III confirmavit poſſeſſiones anno 1210. Canonici hujus cœnobii Ordinis fuerunt Victorienſis. Oſtmanni fundatores exiſtimantur.
JuxtaWaterfordiam, P.S. Johannis Euangeliſtæ.	JohannesComes Moretoniæ poſteà RexAngliæ fundavit, Monachis Benedictinis replevit, & cellam fecit Cœnobii SS. Petri & Pauli Bathoniæ in Anglia. Hoc cœnobium in Chartis ſuis ille *Domum* appellat *Eleemoſynæ ſuæ*. Inter Benefactores primarios

Waterfordiæ, FC. numeratur Petrus de Fonte.

Fratres Prædicatores introducti ſunt anno 1226, & novennio poſteà cœnobium iis à Civibus fundari cœptum.

Waterfordiæ, FC. *Ord. Minorum.* Hugo Purcellus eques fundavit circa annum Dom. 1240, & in Eccleſia ejuſdem Conventus ſepultus eſt. Vid. plura in Lucæ Waddingi Tomo 1 Annalium Minorum.

Carrig Parva, FC. Jacobus I Comes Ormoniæ Minoritis poſuit anno 1336. *Primus ibi fratrum ingreſſus fuit in feſto Apoſtolorum Petri & Pauli*, uti Johan. Clynnus habet, qui primus fuit loci *Gardianus*, ſive Cuſtos.

Dungarvanæ, FC. Ord. Eremitarum S. Auguſtini. Hic conventus olim Patronos agnoſcebat Comites Deſmoniæ.

Kilbarry, *Killure*, *Crooke*, Pr. Sedes primùm Equitum Templariorum, poſteà Hoſpitalariorum.

Molanna, *al.* Inſula S. Molanſidi, M. Hoc cœnobium Canonicorum Regularium *Dar-inis* olim dictum, S. Molanſidus primus ibidem Abbas fundavit, Seculo 6. Præfuit ibi poſteà S. Fachnanus, cognomento *Mongach* i. Crinitus,

Crinitus, *quia cum cæſarie natus* Conſule Johannis Colgani Acta Sanctorum Hiberniæ, ad 13 Martii. In hoc cœnobio ſepultus dicitur ReimundusCraſſus(ſive *le Gros*) vir magni nominis, ſub Henrico 2, qui in expugnanda Hibernia operam navavit egregiam.

Mothil, M. SS. Coani & Brogani.

Cœnobium Mothilenſe originem ſuam debet S. Brogano, cui (ni fallor) ſucceſſit in præfectura cœnobii, S. Coanus vel Cuanus, Seculo Chriſti 6. Sunt qui dicunt (quâ authoritate neſcio) hoc cœnobium tandem ordinis fuiſſe Ciſtertienſis: Mihi arridet eorum opinio qui ordinis fuïſſe Auguſtiniani aſſerunt, uſque ad ipſum tempus ſuppreſſionis, ſub Hen.8.

Cork.

Loca & Tituli dedicationum.	Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.
Juxta Corcagiam, M.S.Barri, al. Finbarri.	Cormacus rex Momoniæ aliis Deſmoniæ conſtrúxit Canonicis regularibus Ord. S.Auguſtini, circa annum 1134, in honorem S. Johannis Baptiſtæ. Eſtque (ni fallor) Monaſterium illud Ibracenſe, à Cormaco Rege extructum, de quo loquitur S. Bernardus in vita Malachiæ. Poſſeſſionibus ditavit (qui Cormaco ſucceſſit) filius ejus Dermitius, circa ann. 1173. Hoc cœnobium, à multis annis, antiquitato priori nomine, Monaſterium de Antro S. Finbarri & vulgò **Gille-Abbey** dicitur, à Gil-Æda nimirùm magni ibi nominis Abbate, & poſteà Epiſcopo Corcagienſi, qui obiit anno Dom. 1173.
Juxta Corcagiam, FC.	Sedem hîc fixerunt fratres Dominicani anno 1229, ex dono Dom. Philippi Barrii. Statua ænea effigiē ejus equitantis

equitantis præferens, in gratitudinis teſtimonium, penſilis olim aſſervabatur in Eccleſia ibidem.

Juxta Corcagiam, FC. Ord. Minorum. Dom. Philippus Prindergaſt fundavit, circa annum 1240. Sunt qui fundationem aſcribunt Mauritio Prindergaſt, ſed perperam.

Juxta Corcagiam, FC. Conventus Ord. Eremitarum S. Auguſtini introductus eſt regnante Edwardo primo.

Juxta Corcagiam, P. S. Johannis Euangeliſtæ. Johannes Dominus Hiberniæ, & comes Moretoniæ Monachis Benedictinis poſuit, & Cellam fecit cœnobii SS. Petri & Pauli Bathoniæ in Anglia,

Ballibeg, juxta Butavant, P. S. Thomæ. Hoc cœnobium Gulielmus de Barry Canonicis poſuit Auguſtinianis. David filius ejus poſſeſſionibus auxit anno 1237.

Balle-mac Edan, MC. aliis FC.

Bantre, FC. Dermitius Sulivanus Minoritis cœnobium ibi ædificavit circa annum 1460, juxta litus maris.

Butavant, Clynno, Botoniæ, FC. Hoc cœnobium Ord. Minorum fundavit David Barrius loci Dominus ſub Edwardo Primo, ibique in

in chori medio tumulatus eſt. Opidum olim appellabatur *Kilnemallagh*.

Caſtle-lehan, al. Caſtle-lyon. FC. — Minoritis cœnobium ibi conſtruxit Johannes Barrius, anno 1307.

Chore, al. de Choro S. Benedicti, M. B. Mariæ. — Fundatum anno Dom. 1180, & Monachis repletum Ciſtertienſibus ex cœnobio de Nenay, aliàs Magio, apud Limericenſes.

Fermoy, al. de Caſtro Dei, *M.* B. *Mariæ.* — Fundatum an. Dom. 1170, Monachiſque Ciſtertienſibus primò impletum è cœnobio Surienii, poſteà verò novâ Monachorum coloniâ, ex cœnobio Furneſſenſi, apud Lancaſtrienſes in Anglia. Situm habet ad *Avenmore* flu.

Villa pontis Fermoiæ, al. Ballindroghed, P. B. Mariæ. — Alexander filius Hugonis regnante Johanne fundavit, & prædiis ditavit, ut ex Charta fundationis liquet. Canonicis is replevit ex cœnobio S. Thomæ juxta Dublin.

Glanore, *FC.* — Ord. Prædicatorum. Fundatur à familia de Rupe.

Inisbircan, *FC.* — Inſula eſt maris (in ſinu Baltimorenſi) duobus milliaribus à litore diſtans, in qua Florentius O-Driſcoll cœnobiolum Fratribus Minoribus de Obſervantia poſuit 1460. Sunt qui à Der-

nitio

nitio O-Driſcoll fundatum aſſerunt anno 1470. Hæc ora (obiter adnoto) copioſâ halecularum (quas **Pilchards** vocant) piſcaturâ admodùm celebris eſt, unde in Hiſpaniam exportantur.

Kilcre, *FC.* Cormacus filius Thaddæi mac Carty conventum Ord. Minorum fundavit an. 1478, aliis 1465, ac in Eccleſia ibidem ipſe tumulatus eſt 1494.

Kinſalæ, *FC. B. Mariæ.* Robertus filius Richardi Balrain cœnobium Carmelitis ibi poſuit, regnante Edwardo 3.

Maur, al. de Fonte vivo. *M. B. Mariæ.* Fundatum ann. Dom. 1172, & Monachis Ciſtercienſibus repletum ex cœnobio Baltinglaſſenſi. Dermitium Cormaci filium (de quo ſuprà fit mentio) fundatorem ferunt. Chryſoſtomus Henriques cœnobium *de Re in Hibernia*, inter cœnobia Ciſtercienſia enumerat. *Inch-Rie* opinor intelligit, quæ poſteà cella fuit cœnobii Maurenſis.

Morn, *al. Mora*, *al. Balline-mony*, *Pr. S. Johannis Baptiſtæ.* Ord. Militum Hoſpitalariorum. Alexand. de Sancta Helena vel fundator fuit vel primarius Benefactor, regnante Johanne.

Roſs, al. Roſs-Carbry, P. Ord. Canonicorum Auguſtinianorum. S. Fachnanus (de quo ſuprà diximus) primus fuit Abbas & fundator cœnobii ibidem, ſub finem Seculi 6. Locus antiquitùs appellabatur *Roſs-ailithri*, & magno florebat honore, ob antiquam ibi Muſarum Sedem. Ad Auſtrum, Mare Vergivium propinquum cernitur.

Temolagi, FC. Fundatur Minoritis à Dom. Gulielmo Barrio, ſub Edwardo ſecundo, vel, ut alii habent, à Cartæis. Conventum à Cregana hûc tranſlatum ferunt. Bibliothecam loci, Campanile, Dormitorium & Noſocomium conſtruxit Edmundus Curſæus Epiſcopus Roſſenſis, qui obiit 10 Martii 1518, & in Eccleſia hujus cœnobii ſepultus eſt.

Traction, al. de Albo tractu, *M. B. Mariæ.* Fundatum anno Dom. 1224, & Monachis Ciſtertienſibus repletum ex cœnobio de Alba Landa, apud Maridunenſes in Wallia. Poſſeſſiones confirmavit Edwardus III.

Juxta Youghallam, FC. Mauritius filius Geraldi Minoritis cœnobium ad auſtrum Opidi extruxit, circa annum Dom. 1231. Obiit is 8 Maii

8 Maii 1257, habitu fratris Minoris ſuſcepto,& inEccleſiâ ejuſdem cœnobii tumulatus eſt. Is primus dicitur qui hunc ordinem in Hiberniam duxit.

Juxta Youghallam, FC.	Sedē hîc fixerunt Fratres Prædicatores ann.1268,vel, ſecūdùmClynnū,5 Calend. Auguſti 1271.Thomā filium Mauritii fundatorē ferunt.

Limerick.

Loca & Tituli dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Limerici, P. B. Mariæ & S. Edwardi regis.	Simon Minor civis Limericenſis Canonicis, ni fallor, Auguſtinianis poſuit, regnante Johanne. Hujus loci Prior primam habuit vocem in electione annua Prætoris Limericenſis.
Limerici, FC.	Donatus cognomento *Carbrac* O-BrienFratribusOrd. Prædicatorum fundavit anno 1227. In Eccleſia ibidem ipſe tumulo conditus eſt an. 1241, cum ſtatuâ ejus ſuperimpoſitâ.
Limerici, FC.	*Ord.Minorum.* Fundatur à quodam è familia de Burgo,

go, regnante Henrico 3. Hîc ſepultus eſt anno 1287, Dom. Thomas de Clare è Comitum Gloverniæ ſtirpe. Item filius ejus Richardus, anno 1318.

Limerici, MC. S. Petri. Donaldus O-Brien rex Limericenſis, ſub adventùm Anglorum, conſtruxit Monialibus nigri ordinis S. Auguſtini.

Any, Pr. S. Johannis Baptiſtæ. Galfridus de Mariſcis fundavit, regnante Johanne, Militibus Hoſpitalariis. Æneas O-Hernan ultimus hujus loci Præceptor, ab Henrico 8 deſignatus eſt Epiſcopus Imelacenſis, anno 1543.

Any, FC. *Ord. Eremitarum S. Auguſtini.* Fundatur ſub Edwardo 2, à Johanne filio Roberti & aliis.

Athdaræ, al. Adaræ, M. S. Trinitatis. Hoc cœnobium conſtructum eſt fratribus Ordinis ſanctæ Trinitatis de redemptione captivorum, pro fide Chriſtiana, à Paganis incarceratorum, regnante Edwardo Primo. Sedet ad Magium flu.

Athdaræ, FC. Johannes filius Thomæ primus comes Kildarenſis, ſub Edwardo ſecundo, fundavit, cœnobiū ibidem ord. Eremitarum S. Auguſtini.

Athdaræ,

Athdaræ, FC.	Thomas Comes Kildarenſis & Johan uxor ejus, anno 1464, regnante Edwardo 4, excitârunt conventum ord. Minorum de Obſervantia, ad ortum villæ.
Asketinæ, F.C.	Jacobus comes Deſmoniæ Minoritis conſtruxit an. 1420, (ad Delum flu.) prope Caſtrum ſuum de *Asketin*.
Ballinebraher, FC.	Ord. S. Franciſci.
Ballinegall, FC.	Ord. Prædicatorum, ex fundatione (uti ferunt) familiæ *de Rupe*.
Inisſcatte, *al.* *Iniscathaig*, *Inſula Shenani flu.* *P.S.Senani.*	Sanctus Senanus Epiſcopus cœnobium ibi conſtruxit Canonicis Regularibus, ſub finem Seculi 5. In eadem Inſula erat etiam olim Sedes Epiſcopalis, quæ poſt adventum Anglorum cathedræ Limericenſi unita eſt, ut ſuprà diximus, cap. 16. Spectabat nuper hæc Inſula ad Tuemoniam, ſive agrum Clarenſem, ſed nunc pars cenſetur Limerici.
Killociæ, *al.Kilmallock*, FC.	Sedem ibi fixerunt fratres Prædicatores, an.Dom. 1291.
Kilſhane, FC.	Ord. Minorum, vel, ut alii, tertii ord. S. Franciſci.

Monaſter-

Monaſter-ne-Gallioch, M.C. S. Catharinæ.	Hoc cœnobium conſtructum eſt Monialibus ordinis S. Auguſtini juxta lacum dictum Loughgir.
N*enay,al.deMagio,M.B.Mariæ.*	Fundatum anno 1148, aliis 1151, (ab O-Brieno ut putatur) ad Magium flu. & Monachis repletum Ciſtertienſibus ex cœnobio Mellifontis. Poſſeſſiones confirmavit Johannes rex Angliæ. Huic cœnobio annexa eſt Cella Fealenſis, ad Fealum flu. in hujus & Kerrienſis agri collimitio.
Rathkele,P.B. Mariæ.	Ord. Canonicorum Aroacenſium.
Woney, al.Wetheny, M. B.Mariæ.	Theobaldus Walter Hiberniæ Pincerna fundavit, paulò ante exitum Seculi XII, & monachis Ciſtertienſibus implevit ex cœnobio Saviniacenſi in Gallia. Regeſtum *Honoris* Richmondiæ in Bibliotheca Cottoniana (ſub Fauſtina,B.7.) fundatum vult 11.Kalend. April. 1205.

Tipperary.

Tipperary.

Loca & Tituli Dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Juxta Caſſeliam, M.B. Mariæ.	Hoc cœnobium **Hore Abbey** vulgò dictum Ciſtertienſibus poſuit David Mac-Carwill Archiepiſcopus Caſſelienſis, an. 1272, & Benedictinorum prædiis, quos è cœnobio *de Rupe Caſſel* (ſito prope Eccleſiam cathedralem S. Patricii Caſſeliæ) expulerat, ditavit. Ptocotrophium porrò, quod David le Latimer Miles leproſis Caſſeliæ conſtruxerat, eidem cœnobio conjunxit.
Caſſeliæ, FC.	David Mac-Kelly Archiepiſcopus Caſſelienſis fundavit Conventum ord. Prædicatorum anno 1243, Johannes Cantwell Archiepiſcopus itidem Caſſelienſis, ſub Henrico 6, reſtauravit.
Caſſeliæ, FC.	Cœnobium Ord. Minorum Caſſeliæ vulgò appellatur *Hacketi cœnobium*, utpotè à Dom. Gulielmo Hacketo fundatum, regnante Henrico 3.

Ardſinan,

Ardfinan, FC.	Ord. S. Franciſci.
Athaſſel, P.S. Edmundi Regis & Martyris.	Prioratum (circa annum 1200) Canonicis Auguſtinianis extruxit Gulielmus de Burgo, è cujus poſteris ibi ſepulti ſunt Walterus de Burgo comes Ultoniæ & Walteri filius Richardus, vulgò dictus *Comes Rufus*. Hic, anno 1326, ille, 1271. Johannes rex confirmavit poſſeſſiones 20 Aprilis 1205. Inter Priores clarus fuit Hubertus de Burgo, qui Epiſcopus evaſit Limericenſis anno 1223.
Cahir, al. Cahirdunesk, P.B. Mariæ.	Galfridus de Canivil fundavit Canonicis Auguſtinianis, regnante Johanne.
Carrigæ, P. ſeu H. S. Johannis Euangeliſtæ.	Gulielmus de Cantelo & Dyoniſia uxor ejus filia Thomæ filii Antonii fundârunt Canonicis. Subjecta eſt poſteà hæc domus Hoſpitali S. Thomæ *de Acon* Londini, ut ex Regeſto dicti Hoſpitalis, in Bibliotheca Cottoniana, ſub effigie Tiberii, C.V. intelligimus.
Clonaul, Pr.	Primùm Sedes Militum Templariorum, poſteà Hoſpitalariorum.
Clonmellæ, FC.	Sedem ibi fixerunt Minoritæ anno 1269. Sunt qui Othonem de Grandiſono hujus conventus fundatorem

datorem aſſerunt, Alii qui fundationem aſcribunt O-pidanis, & alii, qui Geraldinis.

M.S.Crucis, ad Surium flu. filia Magii.

Hoc cœnobium, in S. Crucis honorem, Monachis Ciſtertienſibus, poſuit Donaldus O-Brien rex Limericenſis, circa annum 1169, vel ut alii habent, 1181. Poſſeſſiones confirmavit Johannes Dominus Hiberniæ & comes Moretoniæ, poſteà rex Angliæ. Hoc cœnobium ſubjectum eſt poſteà in Capitulo generali, per Abbatem Clarevallenſem, cœnobio Furneſſenſi in Anglia.

Fetherdæ, FC.

Walterus Mulcot fundavit ibi conventum Ord. Eremitarum S. Auguſtini, aſſenſu Mauritii Mac-Carwill Archiepiſcopi Caſſelienſis, an. 1306.

Galbally, FC.

Ord. Minorum, O-Brien fundavit, in hujus & Limericenſis agri collimitio.

Inchinemeo, al. Inſula Viventium. *P.S.Hilarii, aliis, B. Mariæ.*

Prior & conventus loci ſedem tandẽ fixerunt Corballiæ, quæ non longè diſtat à dicta Inſula Viventium. Fuiſſe olim in ea Inſula, *capellam cui pauci Cœlibes, quos Cœlicolas vel Colideos vocant devotè deſerviebant,*

viebant, tradit Giraldus Cambr. Topograph. Hiberniæ diſtinct. 2, cap. 4. Sed poſteà ſedes fuit Canonicorum Regularium.

Inisſlamnaght, al. de Surio, Filia Magii, M. B. Mariæ.

Liber Statutorum ordinis Ciſtertienſium Hiberniæ Monaſterium de Surio fundatum aſſerit anno 1159, cui aſtipulatur antiquus cœnobiorum illius ordinis Catalogus. Sunt tamen qui diù poſteà Monachis Ciſtertienſibus erectum volunt à Donaldo O-Brien rege Limericenſi, ac ab eo & Malachia O-Felan Deſiæ Dynaſta prædiis ditatum. Atqui probabilius videtur Monachos Surienſes, ab alia neſcio qua ſede eidem Surio fluvio appoſita, hûc migrâſſe, quàm ſedem hîc primò fixiſſe: Nam in vitâ S. Malachiæ à Divo Bernardo (qui obiit anno 1153) deſcriptâ, Monaſterii Surienſis fit mentio. Hoc cœnobium novâ Monachorum coloniâ, è cœnobio Furneſſenſi, in Lancaſtriâ, repletum eſt anno 1249.

Kilcoul, al. *de Arvi-campo, filia Jeripontis, M. B. Mariæ.*

Exemplar chartæ Henrici 3, qua confirmavit poſſeſſiones hujus cœnobii, Donaldum O-Brien Monachis Ciſter-

Ciſtertiēſibus fundâſſe prodit. Donaldum illum fortaſſe intelligit, de quo ſuprà fit mentio, & quem obiiſſe anno 1194 produnt Annales Hibernici. Contrà autem, jam dictus liber Statutorum Ord. Ciſtertienſis hoc cœnobium fundatum tradit anno 1200, ſexennio ſcil. poſt mortem Donaldi, & Regeſtum *Honorii* Richmondiæ ann. habet 1209. De hac re, quid judicem neſcio. Fortè quis ſuſpicetur Donaldum, pro Donato ejus filio, qui floruit annis 1200 & 1209, tranſcriptoris incuriâ irrepſiſſe.

Kilcumin, P. ſeu C. SS. Philippi & Jacobi, & S. Cumini.

Philippus de Wigornia Benedictinis fundavit & Cellam fecit Monaſterii Glaſtonienſis in Anglia. Sed prædiis à vicinis ſpoliatis non diurnavit.

Killinenallah, FC.

Conventus Ord. Minorum introductus eſt regnante Henrico 6.

Lurchoæ, al. Lothræ, P. S. Ruadani.

Ord. Canonicorum Auguſtinianorū. S. Ruadanus primus Abbas & fundator loci obiit ibidē an. 584. Sunt qui aſſerunt manū ejus Cantuariæ, in Eccleſia cathedrali, theca argentea deaurata aſſervatā fuiſſe, uſq; ad tēpora Hen. 8.

Lurchoæ, FC. Walterus deBurgo comes Ultoniæ fratribus Prædicatoribus cœnobium ibi inſtituit anno 1269.

Moylagh, MC. S.Brigidæ. Moniales nigræ ordinis S. Auguſtini.

Nenaghæ, FC. *Ord. Minorum.* Fundatur regnante Henrico 3, à Kenedæis, vel (ut alii putant) à Pincernis. Capitulum Provinciale ibi habitum eſt anno 1344.

Juxta Nenagham, P. ſeu H. S. Johannis Baptiſtæ. Theobaldus Walter Hiberniæ Pincerna fundavit & dotavit, circa annum 1200, ad ſuſtentationem Canonicorum (Auguſtinianorum) & Infirmorum *ibidem Deo ſervientium.* Hoc cœnobium à nomine S. Johannis cui dicatum vulgò appellatur *Teach-eon* i. Domus Johannis.

Roſcreæ, FC. Bibiana vidua Mælronii O-Caroll cœnobium ibidem fratribus Minoribus inſtituit.

Thome, P.S. Donani, aliis, B. Mariæ. Cella erat Prioratus Canonicorum S.Hilarii de Inſula Viventium, ubi S. Donanus ut Patronus olim colebatur; fortè loci fundator.

Tipperariæ, F.C. Conventus Ord. Eremitarum S. Auguſtini introductus eſt regnante Henrico 3.

Thurles,

Thurles, FC.	Ibi cœnobium erat fratrum Ord. B. Mariæ de Monte Carmel. quod à Pincernarum ſive Butlerorum familia extructum ferunt.

Kerry.

Loca & Tituli dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Aghamore, P.	Ord. (ut fertur) Canonicorum Auguſtinianorum.
Ardfertæ, al. Ardartæ, FC.	Fitz-Mauritii Majores Baronis Kerriæ fundârunt ibi conventum Ord. Minorum. Hi originem ſuam ad Reimundum *Craſſum* referunt, de quo ſuprà fit mentio.
Balli-ne-ſcelig, al. de Monte *S. Michaëlis.*	*Ord. Canonicorum Auguſtinianorum.* In una è Scelegis Inſulis (quæ hinc aliquot milliaribus diſtant) antiquum erat cœnobium S. Michaëli Archangelo dicatum, cujus meminit Giraldus Cambrenſis, Topograph. Hibern. diſtinct. 2. cap. 30. De primo Conditore, non habeo quod dicam. Flanum *Mac Cellach*, Abbatem *S*celichenſem obiiſſe

885. docent Annales cœnob i Inisfallenſis. Cœnobium verò tranſlatum eſt poſteà ad locum in Continente commodiorem, prope ſtationem de *Balli-ne-ſcelig*.

Inisfallen, al. Inis-fathlen, in lacu Lean *P.* S. Finianus cognomento leproſus fundavit poſt medium Seculi 6. De eo vid. Johan. Colgani Acta Sanctorum Hiberniæ, ad 16 Martii. Inſula ipſa arbutis abundat. Fructus arboris ab incolis vulgò **the Cane Apple**, i. pomum Cadomenſe dicitur, ſed *Vnedo Latinè, quòd unum tantùm eſſe expediat, noxio & inutili ejus eſu.* Sic Had. Junius.

Irrialagh, juxta lacum Lean, *FC. S. Trinitatis.* Donaldus filius Thaddæi Mac-Carty Minoritis fundavit anno 1440 & reſtauravit 1468, ipſo nimirùm anno quo mortem obiit.

Killagha, al. de Bellò loco, *P. B. Mariæ.* Ord. Canonicorum Regularium. Galfridus de Mariſcis ſub Johanne rege fundavit. Sedet prope Mangium flu.

Liſlaghtin, FC. Johannes O-Conner fundavit ibidem anno 1478 conventum Ord. Minorum de Obſervantia. Locus nomen habet à S. Lactino Abbate, qui deceſſit anno Dom. 622.

Odorney, al. Kirieleyſon, *filia Magii, M.*

Hoc cœnobium Ordinis Ciſtertienſis initium ſumpſit anno 1154. Hîc ſepultus eſt anno 1186, Chriſtianus illuſtris ille Epiſcopus Liſmorenſis, qui hûc ſe contulit, cùm terrena averſatus, aliquot ante obitum annos, epiſcopatu ſe abdicâſſet.

Rath-toy, M. SS. Petri & Pauli.

Primò Hoſpitale fuit S. Johanni Baptiſtæ dicatum, à *Fratre Gulielmo* conſtructum, & à Meilero filio Meileri confirmatum, regnante Johanne, poſteà in Monaſterium Canonicorum Regularium Ord. Aroacenſis converſum.

Traleiæ, FC.

Johannes filius Thomæ (Geraldinus) fundavit ibi conventum Ord. Prædicatorum anno Dom. 1243. In Eccleſia hujus conventûs ipſe & Mauritius filius (à Mac-Cartæo occiſi) ſepulti ſunt anno 1261.

Clare, olim Tuemonia.

Loca & Tituli dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Clare, al. Kilmony, al. de Forgio, M. SS. Petri & Pauli.	Donaldus O-Brien rex Limericenſis conſtruxit ibi cœnobium Canonicis Auguſtinianis, ad Forgium flu. unde quandoque dictum Monaſterium *de Forgio.*
Corcumro, al. de Petra fertili, *M. B. Mariæ.*	Donaldus antedictus fundavit Monachis Ciſtertienſibus anno 1194, vel, ſecundùm alios, filius ejus Donatus *Carbrac* anno 1200. Filia fuit Monaſterii Surienſis. Hoc cœnobium ſubjectum eſt poſteà cœnobio Furneſſenſi apud Lancaſtrienſes in Anglia. Huic etiam Monaſterio annexa eſt cella de Kilſonna al. Kilſane.
Inis, al. Iniſ-Cluanruada, FC.	Donatus *Carbrac* O-Brien, circa annum 1240, Minoritis, magnâ, elegantiâ, excitavit, ad Forgium flu.
Inis-catte, P. S. Senani.	De hujus cœnobii Origine, vid. quæ ſuprà dicta ſunt in Limerico.

Inis-

Inis-neganangh, i. Inſula Canonicorum, P.	Ord. Canonicorum Auguſtinianorum. Donaldus O-Brien rex Limericenſis vel fundator fuit vel reſtaurator cœnobii ibidem. Inſula ipſa Shenaño flu. jam in immenſum aucto circumfunditur.
Kil-Oen, MC. *S. Johannis Baptiſtæ.*	Idem Donaldus, cœnobium ibi conſtruxit Monialibus Ord. S. Auguſtini.
Quinchy, FC.	Hunc conventum Ord. Minorum fundavit Maconus *Mac-Nemarra*, anno 1433.

PROVINCIA CONATIÆ

GALVVAY.

Loca & Tituli dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Juxta Galviam, FC.	Gulielmus de Burgo Minoritis fundavit anno Dom. 1296, in Inſula S. Stephani, extra muros urbis. In Eccleſia hujus conventus, ſub uno eodémque marmore, humati jacent duo Archiepiſcopi Tuamenſes, Mauritius de Portu, (cujus nomen

ob eruditionem celebre eſt) ejuſque ſucceſſor Thomas Lalæus, uterque ejuſdem ordinis.

Juxta Galviam, FC.

Ord. Prædicatorum, filia Conventus Athenrienſis. Locum conceſſiſſe dicuntur Canonici ordinis Præmonſtratenſis Tuamæ.

Juxta Galviam, FC.

Conventus Ord. Eremitarum S. Auguſtini Galviæ initium ſumpſit ex largitione Opidanorum. Hunc locum conventum *Calvienſem* perperàm appellat Nicolaus Cruſenius, in Monaſtico Auguſtiniano edito 1623. Sed de cæteris hujus Provinciæ cœnobiis Auguſtinianis, craſſiùs plerúmque errat, uti poſteà patebit, quando de Conventu Ardnarienſi agemus.

Aghrim, vel Eachraim, P.S. Catharinæ.

De vetuſtate hujus cœnobii, nihil certi quod dicam occurrit. Sunt qui à Butlerorum familia fundatum aſſerunt: At quàm verè neſcio. Hîc Canonici fuerunt Auguſtiniani.

Aran, al. Arna-næmh, i. Aran Sanctorum, M.

Hæc inſula, quæ jacet in Oceano inter extremos Conatiæ & Momoniæ fines, olim ad Momoniam ſpectabat; Sed hodiè vulgò pars cenſetur agri Galvienſis. Hîc S. Endeus

Abbas

Abbas circa an. Dom. 480, Monaſterium Canonicorum Regulariũ conſtruxit, Ænguſa Natfraici filio rege Momoniæ Inſulam concedente.

Athenriæ, FC. Milerus de Bermingham loci dominus cœnobium ibi fundavit fratribus Prædicatoribus anno Dom. 1241. Obiit is in Momonia, non procul à Caſſelia, unde corpus Athenriam deportatum, ibi in Eccleſia dictorum fratrum tumulatum eſt. In eadem Eccleſia plura ſunt etiam ſepulchra Epiſcoporum Duacenſium & aliorum, Sed memorandum imprimis illud Gulielmi Berminghami Archiepiſcopi Tuamenſis filii dicti Mileri, parieti inditum, ab aquilonali parte ſummi altaris.

Ballinehinch, FC. Fundatur ibi à Flaghartæis cœnobium ordinis (ni fallor) Carmelitani.

Clare, al. Clare-yndowl, FC. Johannes de Cogan magnis expenſis Minoritis extruxit, circa annum Dom. 1290, ad 4 à Galvia lapidem.

Clonfertæ, ad Shenanum flu. M. B. Mariæ de Portu puro. S. Brendanus Abbas Finlogæ filius poſuit anno 558. In hoc & in aliis à ſe fundatis cœnobiis, tribus Monachorum millibus præfuiſſe dicitur,

dicitur, qui manuum ſuarum laboribus, victum ſibi comparabant. Propriam is condidit regulam, quanquàm ſucceſſores ejus demùm normam ſuſceperint S. Auguſtini.

Clonkeen-Kerril, FC. S. Trinitatis. Thomas O-Kelley Epiſcopus Clonfertenſis (poſteà Archiepiſcopus Tuamenſis) Eccleſiam parochialem ibidem conceſſit fratribus tertii ordinis S. Franciſci de pœnitentia, ad rogatum Davidis & Johannis Mulkerrill illius ordinis Profeſſorum, circa annum 1435. Eugenius 4 confirmavit donationem anno 1441. Huic ordini conſtructa ſunt etiam poſteà cœnobia apud Co.levernoge, Templemoyle-Killtullagh & Beagh.

Clontuoskirt, P. Ord. Canonicorum Auguſtinianorum. *Boadanum de Cloantuaiſcert* obiiſſe anno 808 (qui nobis 809) produnt Annales Ultonienſes. Hujus cœnobii is Abbas fuit (opinor) & Conditor.

Crevabane, FC. Ordinis Carmelitarum, ni fallor.

Dunmore, FC. Ordinis Eremitarum S. Auguſtini. Fundatur à Berminghamis Athenriæ Dominis.

Enaghduna,

Enaghdunæ, al. Enaghcoin, MC. B. Mariæ. S. Brendanum Monialibus ibi cœnobium inſtituiſſe liquet, iiſque Abbatiſſam præfuiſſe ſororem ſuam Brigam. Monialibus ordinis Aroacenſis Eccleſiam ibidem, *cum villa de Kelgel*, confirmavit Cœleſtinus III, 4 Calend. Martii anno 1195. Sedet prope lacum *Curb*.

Enaghdunæ, M. B. Mariæ de Portu patrum. Hoc cœnobium forte idem eſt cum eo Ord. Præmonſtratenſis, quod Johannes *le Paige* appellat Monaſterium *Kilvainenaſenſe filiam Tuamenſis, Enechtunenſis diœceſis*. Sed à quo erectum non reperi.

Kaltragh-ne-Pallice, FC. Ord. Fratrum B. Mariæ de monte Carmel.

Kilbought, FC. Fundatur à familia Walæorum. Sunt qui fratres tertii ordinis S. Franciſci ibi ſedem fixiſſe aſſerunt.

Kilconnell, FC. Gulielmus Kellæus Minoritis conſtruxit an. 1414.

Kilcarbain, FC. B. Mariæ. Thomas de Burgo Epiſcopus Clonfertenſis (Capituli ſui aſſenſu) conceſſit fratribus tertii ordinis S. Dominici capellam B. Mariæ de Kilcarbain, ad rogatum Johannis fitz Rery & confratrum dicti ordinis. Eugenius 4 confirmavit 4 Idus Martii 1444.

Kilcreunatæ,

Kilcreunata, al. de Caſta ſilva, MC.

Carolus O-Conner, à manu rubra, vulgò *Crovderg* cognominatus Monialibus S. Benedicti inſtituit, circa annum 1200. Huic cœnobio annexæ ſunt poſteà cellæ de Inchmean & Ardcarn, hæc in agro Roſcomanenſi ſita, illa, in Maionenſi.

Kil-mac-duac, al, de Petra Duacenſi M.

Ord. Canonicorum Regularium. Sunt qui originem aſcribunt S. Colmano filio Duaci primo Epiſcopo Duacenſi, Seculo 6, Alii, qui Mauritio cuidam ejuſdem ſedis Epiſcopo. Situm habet prope lacum qui menſibus æſtivis pleráſque aquas ſuas exorbet, hybernis verò, evomit. Harum ideoque voragines itinerantibus periculoſæ ſunt, dùm compendia in æſtate ſectantur.

Kinalekin, Pr. S. Johannis Baptiſtæ.

Ord. Militum Hoſpitalariorum.

Kinalekin, FC.

Ord. Minorum.

Knoc-moy, al. de Colle Victoriæ, *filia Buellii, M. B. Mariæ.*

Supradictus Carolus *Crovderg* fundavit Monachis Ciſtertienſibus anno 1189, aliis 1190, in victoriæ memoriam, quæ eo loci feliciter ei ceſſit. Obiit is 5 Calend. Junii anno 1224, in hoc cœnobio tumulatus, habitu

Ciſterti-

Ciſtertienſis Monachi priùs ſuſcepto. Huic cœnobio annexa eſt poſteà cella de Cleary, in inſula Maris ejuſdem nominis, apud Maionenſes.

Ad Lough-reogh, FC. B. Mariæ. Richardus de Burgo comes Ultoniæ Carmelitis poſuit circa annum 1300.

Milick, FC. Ord. Minorum. Fundatur ab O-Maddeno, ad ripam Shenani flu. quo hybernis menſibus circumfunditur.

Monaſter-O-Gormogan, al. de Via nova, *M.B.Mariæ.* Hoc cœnobium Canonicis Auguſtinianis fundavit quidam è familia O-Gormoganorum.

Portumnæ, FC. Cœnobium Dominicanis ibi conſtruxit O-Maddenus, ad Shenanum fluvium.

Roſſerelly, FC. Cœnobium ibidem quidam ex familia Gannardorum conſtruxit anno 1498. Ord. Minorum de Obſervantia.

Slewſhancogh, FC. Ord. Minorum.

Tea-Saſſon, juxta Athenriam, FC. Cœnobiolũ fratribus tertii Ordinis S. Franciſci de pœnitentia ibi extructum eſt, circa tempus Henrici 7. *Tea-Saſſon* i.e. Domus Saxonum (ita Hiberni Anglos vocant). Britannicam ſapit originem, *Tuy* Britannis domum

domum ſignificat, ſic Menevia illis, Tuy Dewi, i. Domus Devi, ſive Davidis dicitur, à S. Davide ſc. qui ſedem Archiepiſcopalem, ab Iſca Legionis, illùc tranſtulerat.

Tuamæ, M.S. Trinitatis.

Aubertus Miræus in Chronico ordinis Præmonſtratenſis cœnobium S. Trinitatis diœceſis Tuamenſis filiam appellat Steinfeldiæ in Podolia, & perperàm poſteà factam aſſerit *Eccleſiam Cathedralem*. Johannes *le Paige* in Bibliotheca ejuſdem ordinis, filiam vocat ipſius cœnobii Præmonſtratenſis. Chriſtianus O-Lachnan Abbas loci naufragio periit, in mari Hibernico, anno 1251. Cœnobium erectum videtur ſub exitum Johannis Regis, vel ſub initium Henrici 3.

Tuamæ P. ſeu H. S. Johannis Baptiſtæ.

Tirdelvacus O-Coner rex Hiberniæ poſuit circa annom 1140. De ordine, nihil traditum reperi.

Mayo,

Mayo.

Loca & Tituli Dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Mayo, al. Magio, M. S. Colmani.	S. Colmanus Epiſcopus Lindisfarnenſis, abdicato Epiſcopatu, in Hiberniam rediit anno 665, ubi in Monaſterio Magionenſi, à ſe conſtructo, Anglos (inter quos fuit S. Geraldus) collocavit, unde locus olim dicebatur *Magio-na-Saſſon*, id eſt, *Magio* Saxonum. Canonici hujus cœnobii Ordinis fuerunt Auguſtiniani.
Annagh, C.	Walterus filius Thomæ de Burgo fundavit cellam quandam ibidem, ſed cujus fuerit ordinis non certò conſtat. Sunt qui putent ordinis fuiſſe S. Franciſci, alii qui ord. Canonicorum regularium S. Auguſtini & cellam fuiſſe cœnobii de Cong. His ego aſſentior.
Ballinrobæ, FC.	Ord. Eremitarum S. Aug. Meminit conventus de *Roba* Regeſtum cœnobii Prædicatorum Athenriæ, ad annum

num 1337, Sed à quo vel quando fundatus fuerit, non traditur. Ejuſdem ordinis fuerunt conventus de Belahaunes & Borriſcarra, De quibus nihil prætereà comperi, niſi quòd fama tenet quendam è familia de Angulo fuiſſe fundatorem cœnobii de Belahaunes.

Ballinſmale, FC. B. Mariæ. Cœnobium Ordinis Carmelitarum fundatum à familia Prendergaſtorum.

Ballintobber, al. de Fonte S. Patricii, M.S. Trinitatis. Carolus O-Coner cognomento *Crouderg* fundavit & dotavit, ac Canonicis Regularibus Ord. S. Auguſtini implevit, quibus Abbatem præfecit Brictium Imakin, anno 1216. Hujus cœnobii proles fuit & cella Prioratus de Croſs, de quo ita Regeſtum Ballintobberenſe, *Notandum quod Abbas de Fonte creari Priorem facit in filiali Eccleſia quæ Croſs dicitur in cantreda de Irris: Ad cujus creationem, dicta filialis Eccleſia, poſt receptum Roſetum, tenetur Matrici Eccleſiæ de Fonte, ad ipſius fabricam, ad 20 ſolidos & 12 denarios, & anno quovis poſteà, ad 3 uncias.*

Boghmoynen, FC. Tertii ordinis S. Franciſci.

Boriſoole, FC. Cœnobiolum ordinis Prædicatorum

dicatorum fundatum à Pincernarum ſive Butlerorum familia.

Cong, *M. B. Mariæ.* Hoc cœnobium Canonicis Auguſtinianis poſuit Donaldus Ædi ſive Hugonis filius, Amirachi nepos rex Hiberniæ, anno 624, prope *Curbum* lacum. Ibi S. Fechinus aliquandiù Abbas præfuiſſe dicitur.

Croſs, *al.* de Cruce, *C. B. Mariæ.* De hâc Cellâ, vid. quæ ſuprà dicta ſunt, ad Monaſterium de Balllintobber.

Moyen, *FC.* Nehemias O-Donachou Ord. Minorum de Obſervantia hoc cœnobium ſuo ordini inſtituit anno 1460; cujus ordinis is fuit poſteà Vicarius Provincialis in Hibernia. Sedet ad Moyum fl. Adamnano, Modam, Girald. Cambrenſi, Moadum.

Murisk, *FC.* Ord. Eremitarum S. Auguſtini fundatur ad radicem montis vulgò dicti *Cruach-Patric* (Jocelino *Cruachanaigle*) à familiâ (ut ferunt) O-Maliorum. *Cruc* Britannis collem vel montem ſignificat, ut è Nennio liquet, & idem denotat hîc *Cruac*.

Orlare, *FC.* Ibi conditũ ferunt à quodam è familiâ de Angulo

aliàs *Nangle* Conventum ord. Prædicatorum.

Rathbran, prope Mare, FC. Sedem hîc primò fixerunt fratres Prædicatores anno 1274, ut è Chronico illius ordinis liquet. Sunt qui cœnobium conditum aſſerunt à familia de Exonia.

Roſſerick, FC. Tertii ord. S. Franciſci.

Strade, juxta Athlethan, FC. Jordanus de Exonia Athlethanæ Dominus, vel (ut alii habent) Jordani filius, ad rogatum Baſiliæ uxoris ſuæ filiæ Domini Mileri de Bermingham locum dedit fratribus Prædicatoribus, in quo anteà habitabant fratres Minores, ut ex Regeſto domus fratrum Prædicatorum Athenriæ intelligimus. Dominicanos hîc ſedem primò fixiſſe anno 1252, docet Chronicon illius Ordinis. Ex Anglica hac familia de Exonia (obiter annoto) quæ magni olim fuit nominis in hoc tractu, multi nunc, Hibernico more, *Mac-Jordan*, id eſt, Jordani filii appellantur.

Roſcoman.

Roſcoman.

Loca & Tituli dedicationum.	Fundatores, Ordines & alia Antiquitates.
Roſs-comani, vulgò Roſcoman, *M.S. Comani.*	Ut Monaſterium Canonicorum Regularium ſic ipſum Opidū nomen & originem debet S. Comano, qui claruit anno Chriſti 550. Edwardus Primus Rex Angliæ terram *de Rathbrenin* cum Priore & conventu S. Comani permutavit, pro *Liſnenerny*, &c. anno 1282.
Roſcomani, FC.	Felimus al. Fedlimidus O-Conner conſtruxit ibi cœnobium fratribus Ord. Prædicatorum anno 1253, & in Eccleſia ejuſdem conventus ſepultus eſt 1265. Huic cœnobio cellulæ quædam ejuſdem ordinis annexæ fuerunt. Sunt qui aſſerunt Fratres Minores ſedem etiam Roſcomani fixiſſe anno 1269 Opidum (obiter adnoto) Caſtro firmavit Robertus de Ufford Hiberniæ Juſtitiarius, expenſis Henrici 3 Regis Angliæ.

S 2 Athlonæ,

Athlonæ, P. S. Petri.

In ea parte Athlonæ quæ agri cenſetur Roſcomanenſis, Monaſterium erat S. Petro, aliis, SS. Petro & Benedicto dicatum, quod in *Tabula Procurationum & Noxalium* Eccleſiæ Elphinenſis, appellatur Monaſterium *de Innocentia*, Ordinis fuit vel Benedictini, vel Ciſtertienſis, puto quidem poſterioris. In Monachorum fundo extructum eſt Caſtrum Athlonæ, ſub Johanne Rege, Ideóque contulit iis Rex *decimas expenſarum Caſtri*, anno 1214, ut ex Archivis Turris Londinenſis conſtat.

Bealaneny, F C.

Ord. Minorum.

Boyl, ad Buellium flu. Filia Mellifontis, *M. B. Mariæ.*

Ordinis Ciſtertienſis. Habitatio prima Monachis Buellienſibus aſſignata eſt Grellechdinæ anno 1148, 16 Auguſti, ubi primus præfuit Abbas Petrus O-Morda, qui paulò poſteà Epiſcopus evaſit Clonfertenſis, & tandem in Shenano flu. ſubmerſus eſt 6 Cal. Januarii 1171. Edanus O-Maccain Abbas ſecundus Dromconaidam, conventum tranſtulit, & ſucceſſor ejus Mauritius O Dubhai, cùm biennnio tantùm Dromconaidæ

naidæ præfuiſſet, Monachos primùm Buinfiniam, deinde poſt duos annos & ſex menſes, Buellium tranſtulit, anno, ſecundùm Annales Conatienſes, 1161, ſecundùm alios perperàm, 1151, ac ibidem mortem obiit anno Dom. 1174. E ſucceſſoribus ejus, non pauci ad Epiſcopatus aſſumpti ſunt. Sed inſtituti non eſt mei hîc enumerare.

Clonraban, FC. Fundatum ferunt fratribus tertii ordinis S. Franciſci, ab *O-Conner Roe*, ſive Ruſo, circa tempus Henrici 7.

Clonſhanvill, FC. Conditum ferunt fratribus Dominicanis, à *Mac-Dermot Roe*, ſive Ruſo.

Clontuoskirt, al. Clontuoskirtnatin, M. Hoc cœnobium Canonicorum Auguſtinianorũ fundavit S. Faithlecus. Sedet non procul à Shenano flumine, in Baronia de Ballintobber.

Dorban, P. Canonici Auguſtiniani ibi primò collocati deducti ſunt ex cœnobio Roſcomanenſi, O-Connoris locum concedentibus.

Elphinæ, FC. S. Patricii. Cornelius Epiſcopus Elphinenſis Eccleſiã parochialem S. Patricii ibidem Fratribus Minoribus conceſſit, ante annum Dom. 1450.

Inchemacnerin P. Hæc Inſula ſita eſt in lacu dicto *Loughke*, à quo Buellius flu. excipitur. In ea fundatum eſt olim cœnobium Canonicorum Regularium, fortè idem cum eo quod ſcriptor vitæ S. Columbæ appellat *Eas-macneirc, ad Buellii fluminis oſtium*, ubi dictus Columba Monaſterium extruxit, cui Dachonnam aliàs Mochannam abbatem præfecit. Sed de hac re quærant alii. Hoc cœnobium unico milliari diſtat à cœnobio Buellienſi.

Inchmore, in lacu Rienſi, P. Ord. Canonicorum Auguſtinianorum. Fortè S. Liberius filius Loſſeni, cujus memoria ibi celebris, fundator fuit.

Kilmore, P. B. Mariæ. Conus O-Flanagan fundator fuit & primus Prior anno Dom. 1232. Præfuit ibidem uſque ad an. 1249, quo obiit 7 Kalend. Maias. Hic Prioratus Canonicorum ord. S. Auguſtini ſitum habet prope Shenanum fluvium.

Kilaraght, MC. Hoc cœnobium Monialium idem eſt (ni fallor) cum eo quod S. Patricius conſtruxiſſe & S. Athractæ virgini donâſſe fertur.

Knock-

Knockvicar, FC.

Randon, al. Teaeon, vulgò S. Johns, *P.S. Johannis Baptiſtæ.* Ordinis Militum Hoſpitaliariorũ, aliis, Cruciferorum. Fundatur regnante Johanne, ejuſque uti creditur juſſu, Philippus de Angulo magnus fuit Benefactor, ſub Henrico 3. Sedet ad lacum Rienſem, in Baronia de Athlone. Ibi olim Opidum erat cum Caſtro munito, nunc cadaver duntaxat viſitur, adeò verum eſt illud Rutilii,

Non indignemur mortalia corpora ſolvi,
Cernimus exemplis Oppida poſſe mori.

Towemona, FC.

In Inſula S. Trinitatis de Loughkea, M. S. Trinitatis. Cœnobium ibi inſtituit Canonicis ordinis Præmonſtratenſis (vulgò dictis Canonicis albis) Clarus Mac-Mailin Archidiaconus Elphinenſis, circa annum 1215. Obiit is ſabbatho Dominici Pentecoſtes 1251, & in Eccleſia illius cœnobii ſepultus eſt, ut ex Annalibus Conatienſibus intelligimus.

Tuilsk, FC. Hoc cœnobium ord. Prædicatorum à Dowellorum familia fundatum fertur. Sunt verò qui ab O-Connoris poſitum aſſerunt.

Sligo.

Loca & Tituli dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Sligoæ, FC.	Mauritius filius Geraldi conſtruxit ibi cœnobium ordini Prædicatorum, an. 1252. Villam porrò Caſtro firmavit.
Akeras, al. Kilmaltin, P.	Ordinis Canonicorum Auguſtinianorum, neſcio an idem cum cœnobio *de Echrois*, cujus Abbas fuit & Fundator S. *Molaiſſe*.
Ardnariæ, FC.	Hic conventus ordinis Eremitarum S. Auguſtini ſitus eſt in hujus & Maionenſis agri collimitio. Nomina cœnobiorum hujus ordinis in Provincia Conatiæ, mirè diſtorquet Nicolaus Cruſenius, in Monaſtico Auguſtiniano: Nam hunc locum appellat conventum *Arnacenſem*, pro Conventu Bealahauneſenſi, habet *Beluſamenſem*, pro Ballinrobenſi, *Valla-auronenſem*, pro Benadenſi, *Benefadienſem*, pro Borriſcarrenſi, *Burgeſquerenſem*, pro Donmo-

Donmorenſi, *Dominenſem*, pro Galvienſi, *Calvienſem*, & pro Muriskenſi, *Moraſquerenſem*.

Balli-Aſſadara, al. Aſladara, *M. S. Fechini.* — S. Fechinus fundavit Seculo Chriſti VII, Canonicis Auguſtinianis. Ibi nonnunquàm, ſed plerúmque Fouræ præfuit Abbas, ubi & è vitâ migravit 20 Januarii anno 665.

Juxta Ballimot, FC. — Ibi, necnon apud *Court*, extructa ferunt cœnobiola fratribus tertii ordinis S. Franciſci, Prius, à familia *de Mac-Donogh*, Poſterius, à familia *de O-Hara*.

Ballindown, FC. — Ord. Prædicatorum, fundatur à familia de *Mac-Donogh*.

Benada, FC. — Ord. Eremitarum S. Auguſtini.

Kilamoy, al. Athmoy, & Kilras, C. S. Trinitatis. — Has cellas cœnobii S. Trinitatis de *Loughkea* extruxit Canonicis Præmonſtratenſibus, Clarus Mac-Mailin Archidiaconus Elphinenſis (de quo ſuprà diximus) circa an. 1233.

Knockmore, FC.

Teach-Temple, i. Domus Templi, *Pr.* — Templarii milites hîc ſedem fixerunt, regnante Henrico 3, Sed eorũ ordine ſuppreſſo, ſub Edwardo 2, facta

ſta eſt Præceptoria Equitum Hieroſolymitanorum.

Letrim.

Loca & Tituli dedicationum.	*Fundatores, Ordines & aliæ Antiquitates.*
Cruleagh, al. Balli-ruark, FC.	Margareta uxor Eugenii Ruarki poſuit anno 1509, Ordini Minorum de Obſervantia.
Moyhil, al. Moethel, P. B. Mariæ.	S. Manchenus Abbas fundavit Seculo Chriſti ſeptimo. Idem fuit opinor cum Manchino Abbate *de Menedrocaid*, cujus obitus ab Hiſtoricis Hibernicis ad annum refertur 651, vel 652. Canonici ejus cœnobii ordinis fuerunt S. Auguſtini.

Corollarii loco, adjecimus hîc Catalogum Abbatum & Priorum, qui ante tempus Suppreſſionis Cœnobiorum, ſub Henrico 8, (quandò ſummoniti) loca ſuffragiaque habuerunt inter Proceres, in Comitiis Parlamentariis. Ad fixum verò eorum numerum quod attinet, longè minorem fuiſſe, ex Archivis liquet.

Abbates

Abbates: Mellifontis. S. Thomæ juxta Dublin. B. Mariæ juxta Dublin. Baltinglaſſæ. Jeripontis. Tinternæ. Douskæ. Tractonæ. Donbrodiæ. Magii, al. Nenai. Wetheniæ. Roſglaſſæ, al. M. S. Evini. Bectiffæ. Rathtoæ.

Priores: S. Johannis Hieroſolymitani. S. Trinitatis Dublin. S. Petri novæ villæ juxta Trim. Conallæ. Kenliſæ, in Oſſoria. S. Patricii de Duno. Omniũ Sanctorum Dublinii. S. Edmundi Athaſſel. Killaghæ. B. Mariæ Lovidiæ, al. Louthæ.

Hactenùs de Cœnobiis Hiberniæ. Jamque ut caput hoc claudamus, notandum nos conſultò hic prætermiſiſſe, (ut quæ extra callem) Collegia Presbyterorum ſecularium, Cantarias, Noſocomia leproſorum, necnon Ptocotrophia pauperum & infirmorum, quibus non præfuerunt Priores, ex ordine aliquo monaſtico.

CAP.

CAP. XXVII.

De Coloniis ex Anglia & Wallia in Hiberniam emiſſis, tempore Henrici II, Deque terris iis conceſſis.

HIberniâ Anglici juris factâ & declaratâ, Rex Henricus II, Provincias ibi & Regiones peramplas diſtribuit, inter eos qui in ea ſubjuganda, fortiter ſe geſſerant. Agmen ducit Richardus cognomento Strong-bow,quòd arcu intenſo uteretur, Giraldo Cambrenſi, Comes Strigulliæ dictus, aliis, Penbrochiæ; Sed in chartâ quâ conceſſit Viviano *de Curſun* & hæredibus *terram de Ratheny* (prope Dublinium) *ſicut eam Gilcolmus priùs habuit*, nominatur tantùm *Comes Richardus filius Comitis Giſleberti*, ſine ulla alia adjectione. Is, ex pacto cum Dermitio rege Lageniæ, in cujus auxilium, Hiberniam copiis aggreſſus eſt anno 1170, Evam Regis filiam & hæredem uxorem duxit. Nuptiis celebratis, Comes ejuſque uxor, (ut ſuprà diximus Cap. 24,) Dermitii hæredes publicè Waterfordiæ fuerunt declarati. Non diù poſteà, quamprimùm ſcil. Henrico Regi Comitis ſucceſſus innotuit, metuens ille quonam hæc res tandẽ evaderet, omnes ſubditos ſuos, ex Hibernia, ad diem ſtatutum, edicto revocavit, cæteroſque prohibuit, nè commeatum aut milites in Hiberniam exportarent. Comes, de edicto certior factus, re popularibus communicatâ, eorum conſilio, Reimundum cum literis officii plenis, ad Regem, tùm in Aquitania agentem, miſit,

miſit, quibus quicquid in Hibernia habuit, Regi ſe paratum reſignare profeſſus eſt. Anno ſequenti, dùm victorias ſuas proſequeretur, Wexfordiæ obviam factus eſt Hervæo de Monte-Mariſco, tum nuper ab Henrico Rege, ad eum miſſo, cum mandato, ut ſine ulla cunctatione, in Angliã ad Regem proficiſceretur. Comes, hoc nuncio accepto, quantâ potuit celeritate, navem conſcendit, & in Angliam trajiciens, ad Regem profectus eſt, tunc Newnhamæ agentem, in comitatu Gloceſtrenſi, cum exercitu, quem ad expeditionem Hibernicam paraverat. Ibi poſtquàm omni ſubmiſſione, quicquid vel uxoris jure, vel bello partum habuit, Regi per chartam tranſcripſiſſet, in gratiam receptus, totam Lageniam ab eo, beneficiario jure tenendam recepit, Civitate Dublinii & Cantredis adjacentibus, cum villis maritimis & caſtellis quibuſdam exceptis. Exemplar chartæ ab Henrico 2 ei conceſſæ, (quod ſciam) non extat, Sed apographum confirmationis chartæ à Johanne Rege conceſſæ Gulielmo Mareſchallo comiti Penbrochiæ, qui Iſabellam filiam & hæredem Comitis Richardi duxerat, habetur in Rot. chart. ann. 9 Johannis, penes cuſtodem Archivorum Arcis Londinenſis.

Videamus jam Diſtributionem, à Comite Richardo factam, præter ampliſſimas eas poſſeſſiones quas ſibi ſuiſque hæredibus reſervavit. Eamque hîc apponemus ex Mauritio Regano, qui tum vixit, & de rebus ſui temporis Hiſtoriam conſcripſit, unà cum additis nonnullis ex Archivis & authoribus fide dignis, *Dedit Comes* (ſic Reganus) *Reimundo le Gros* (ſive Craſſo qui Baſileam ſororem comitis duxerat)

duxerat) *Fothert, Odrone & Glaſcarig, Hervæo de Monte-Mariſco, Obarthy, Mauritio de Prendergaſt, Fernegenelan, quæ poſteà conceſſa eſt Mauritio filio Godeberti, Sed quomodò obtinuerit* (ait Reganus) *neſcio, Meilero filio Henrici, dedit Carbriam,* (Baroniam eam ſcil. quæ hodiè pars eſt agri Kildarenſis) *Mauritio filio Geraldi, Naaſam O-Felin, à Mackelano antè occupatam, & Wicklo.* Mauritio eo non diù poſteà Wexfordiæ defuncto, Johannes tunc Dominus Hiberniæ & Comes Moretoniæ Gulielmo filio dicti Mauritii confirmavit *Cantredum terræ, quem Mackelanus tenuit, illum ſcil. in quo villa de Naas ſita eſt, quem Comes Richardus dedit Mauritio patri ipſius Willielmi.* Ita charta. Habetur in Rotulo Communium placitorum an. 10 Henrici 6, in turri Berminghamianâ Dublinii. Pergit Reganus, *Waltero de Ridelesford dedit terras de Omorthy, Johanni de Clahul, Mareſchalciam Lageniæ, & terras inter Aghavoam & Lechlinam, Roberto de Bermingham, Ofaly, & Adamo de Hereford, largas poſſeſſiones.* Quæ fuerint illæ poſſeſſiones, docet Regeſtum antiquum cœnobii S. Thomæ Dublinii, ubi de Comite & Herefordio ſequentia traduntur, *Poſteà Lageniâ perquiſitâ, erat quidam Juvenis cum eo,* (Comite ſc.) *quem multùm dilexit, & dedit eidem, pro ſervitio ſuo, terras & tenementa ſubſcripta,* viz. *Tenementum de Saltu Salmonis* (unde Baronia de Salt in agro Kildarenſi nomen accepit) *Cloncoury, Kille, Houterard & Tenementum de Donning, cum omnibus ſuis pertinentiis. Idem verò Adamus perpendens, quod non potuit ſolus dicta tenementa tenere & defendere, miſit ad partes Angliæ, & fecit venire ad ſe duos fratres ſuos ſeniores,* viz.

viz. *Johannem & Richardum de Hereford, qui venientes ad ipſum, dedit Johanni fratri ſuo Tenementum de Kille, Kildroth, Clonſhanbow & Mainay, cum omnibus pertinentiis, ſcil. Okey. Item dedit alteri fratri ſuo Richardo, Donning in Otyny, cum omnibus ſuis pertinentiis. Idem in manu ſua retinuit Saltum Salmonis, cum omnibus pertinentiis ſuis, ſcil. Cloncoury, Owe-terard, Caſtrum munitum, cum cæteris.* Sic Re-geſtum. Vidi prætereà chartam dicti Comitis, quâ conceſſit huic Adamo *dimidiam villam de Achebo, & totum Cantredum terræ in quo villa ſedet,* &c. *Miloni filio Davidis* (ſic iterum Re-ganus) *uni è præcipuis amicis, dedit Overk in Oſſoria, Thomæ le Fleming, Arde, Gilberto de Borard, Ofelmith, Cuidam equiti dicto Reinan-do dedit* 15 *feoda militum mari contigua, & cuidam Roberto* (filio Richardi) *qui poſteà occi-ſus eſt in Conatia,* Norragh. Hactenùs de Lage-nia, tempore Henrici 2.

In Midiam jam ventum eſt, quam jam di-ctus Henricus his verbis conceſſit Hugoni de Lacy, *Henricus Dei gratiâ Rex Angliæ & Dux Normanniæ & Aquitaniæ, & Comes Andegaviæ, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Juſtitiariis & omnibus Miniſtris & fidelibus ſuis, Francis, Anglis & Hibernienſibus totius terræ ſuæ, Salutem. Sciatis me dediſſe & conceſſiſſe, & præſenti chartâ meâ confirmâſſe Hugoni de Lacy, pro ſervitio ſuo, terram de Midia, cum omnibus pertinentiis ſuis, per ſerviti-um quinquaginta Militum, ſibi & hæredibus ſuis, tenendam & habendam de me & hæredibus meis, ſicut Murchardus Hu-Melachlin eam tenuit, vel aliquis alius ante illum, vel poſteà. Et de in-cremento dono illi omnia feoda, quæ præbuit vel*

præbebit

præbebit circa Duveliniam, dùm Balivus meus eſt, ad faciendum mihi ſervitium, apud Civitatem meam Duveliniæ. Quare volo & firmiter præcipio, ut ipſe Hugo & hæredes ſui poſt eum prædictam terram habeant, & teneant omnes libertates, & liberas conſuetudines quas ibi habeo vel habere poſſum, per prænominatum ſervitium, à me & hæredibus meis, benè & in pace, liberè, & quietè & honorificè, in boſco & plano, in pratis & paſcuis, in aquis & molendinis, in vivariis & ſtagnis, & piſcationibus & venationibus, in viis & ſemitis, & portubus maris, & in omnibus aliis locis & aliis rebus ad eam pertinentibus, cum omnibus libertatibus, quas ibi habeo, vel illi darè poſſum, & hac mea charta confirmare. Teſte Comite Richardo filio Gilberti, Willielmo de Braoſa,&c. *Apud Weisford.* Hanc donationem confirmavit Rex Johannes Waltero de Lacy Hugonis illius filio, Februarii 4, Anno regni nono, per ſervitium ſuprà memoratum, *& præterea feoda ſua in Fingal, in valle Dublin, per ſervitium ſeptem Militum, jure hæreditario in perpetuum*, ut è Rot.Chart. ejuſdem anni, inter Archiva turris Londinenſis liquet.

Sequitur jam Diſtributio ab Hugone Lacæo facta, non dico integra, nam in hoc deſudent alii, ſed ut à jam dicto Regano tradita reperitur, cum interjectis nonnullis, ex chartis ipſius Hugonis, & authoribus probatis, *Dedit is* (ait Reganus) *Hugoni Tirrell, intimo ſuo amico Caſtle-Knock, & Willielmo Petit, Caſtle-breck.* Vidi ego chartam antiquam, quâ Lacæus conceſſit huic *Willielmo* Petit, inter alia, Matherithirnan, cum omnibus pertinentiis ſuis, exceptis lacu & villa quæ dicitur Diſſert, &c. *Viro ſtrenuo Meilero filio Henrici* (ſic iterum Rega-

Reganus) *dedit Magherneran, terras de Rathkenin & Cantredum de Athinorker, Gilberto de Angulo aliàs Nangle, totam Magherigallen, Jocelino filio Gilberti de Angulo, Navan & terras de Ardbraccan, Richardo de Tuit, amplas poſſeſſiones, Roberto de Lacy, Rathwer, Richardo de la Chappelle multas terras, Galfrido de Conſtantin, Kilbisky & Rathmarthy.* Atqui in charta Walteri Lacæi, Hugonis filii, pleniùs, *Feoda 5 Militũ in Theof de Kilbixi, cum caſtello, & Feoda 15 Militũ in terra de Conemake* (i. Conmacne) *proxima prædicto caſtro, ultra aquam de Ethni, per ſervitiũ 4 Militũ.* Iterùm Reganus, *Adamo de Feipo, Gilberto de Nugent, Willielmo de Miſſet Hugoni de Hoſe, largas dedit poſſeſſiones.* Speciatim dedit dicto Adamo de Feipo, *Skrine, & præterea feodum unius Militis circa Duveliniam, ſc. Clontorht, & Santreff*, ut ex apographo chartæ ejus, in Regeſto cœnobii B. Mariæ Virginis juxta Dublin, liquet. Item dedit Gilberto de Nugent, D*elvin*, *quam in tempore Hibernicorum tenuerunt O-Finellans, cum omnibus pertinentiis & villis quæ infra prædictam Delvin continentur, excepta quadam villa Abbatis Fouræ, nomine Torrechelaſh, pro Servitio 5 Militum.* Ita verba chartæ Lacæi, quam integram vidi, cum impreſſione Equitis armati in ſigillo, chartæ affixo. Miſſeto dedit etiam terram de *Luin*, & Hoſæo, aliàs Huſſæo, *totam terram del Dies, quam Schaclinus tenuit.* Pergit Reganus, *Adamo Dullard dedit terras de Dullenvarthy, Cuidam Thomæ dedit Cramly, Timlath-began, ad ortum hybernum à Kenliſa, Lathrakalim, & Sendevonath, & Richardo Flandrenſi, ſive le Fleming dedit Crandon; pro 20 feodis Militum.* In hac Midiæ & partis Fin-

galliæ Diſtributione, nihil dictum de terris quas Lacæus ſibi ſuiſque hæredibus reſervavit, quæ ſanè ampliſſimæ fuerunt.

De Momonia jam loquendum: Atque hîc primò ſe nobis offert Charta Henrici 2, quâ conceſſit Roberto filio Stephani & Miloni de Cogan Regnum de Cork (quod Deſmoniam etiam olim complectabatur) Civitate Corcagia & Oſtmannorum Cantredo exceptis. Sed en tibi ipſiſſima Chartæ verba, *Henricus Dei gratia Rex Angliæ & Dux Normanniæ & Aquitaniæ & Comes Andegaviæ, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Comitibus, Baronibus, Juſtitiariis & omnibus miniſtris & fidelibus ſuis Francis, & Anglis, & Hibernienſibus, Salutem. Sciatis me conceſſiſſe & præſenti chartâ meâ confirmâſſe Roberto filio Stephani & Miloni de Cogan, cuſtodiam civitatis meæ de Cork, cum Cantredo quod erat Hoſtmannorum ejuſdem civitatis, quod retineo in manu mea. Ac habenda & tenenda ea ſimul, quamdiù mihi placuerit, & benè mihi ſervient: Prætereà dono iis & concedo, & præſenti charta confirmo totum Regnum de Cork, exceptis dicta Civitate & Cantredo prænominato, quæ in manu mea retineo, ipſis & hæredibus ſuis, tenenda de me & Johanne filio meo & hæredibus noſtris, per rectas diviſas, versùs Cap. S. Brendani, ſuper maritima, & versùs Limericum & alias partes, & uſque aquam proximam de Liſmore, quæ fluit inter Liſmore & Cork, & deſcendit in mare, per ſervitium 60 Militum, inde mihi & Johanni filio meo & hæredibus noſtris faciendum, A præfato Roberto & hæredibus ſuis ſervitium 30 militum faciendum, & à præfato Milone & hæredibus ſuis, 30. Quare volo & firmiter præcipio quòd prænominati*

minati Robertus & Milo cuſtodiam ſupradictæ Civitatis & Cantredi prædicti habeant & teneant, ſicut ſuprà dictum eſt. Et quòd iidem & hæredes eorum poſt ipſos, totum regnum prædictum, exceptis ſupradicta civitate & præfato Cantredo, quæ in manu mea retineo, habeant & teneant, de me & Johanne filio meo, & hæredibus noſtris, per rectas diviſas, ſicut ſuprà determinatum eſt, benè & in pace, liberè & quietè, integrè, plenariè, & honorificè in boſco & plano, in pratis & paſcuis, in aquis & molendinis, in vivariis & ſtagnis & piſcariis, in viis & ſemitis, & in omnibus aliis locis & aliis rebus ad illud pertinentibus, cum omnibus libertatibus & liberis conſuetudinibus ſuis: Ita quod à prædicto flumine, quod fluit inter Liſmore & Cork, remaneat in manu mea, tota terra uſque ad Waterford, cum ipſa Civitate de Liſmore, ad cuſtodiam de Waterford. Teſtibus Johanne Norwicenſi, Adamo de Sancto Aſapho, & Auguſtino Waterford. Epiſcopis, Richardo de Lucy, Willielmo filio Aldelmi Dapifero, Hugone de Lacy, Hugone de Burid, Rogero filio Remſye, Mauritio de Prendergaſt, Roberto Dene, Roberto filio Elioderi, Galfrido Poër, Hervæo de Monte-Mariſco. Apud Oxoniam. Hæc charta conceſſa videtur anno Dom. 1177, Tunc enim (ſecundùm Hovedenum, in Henrico 2) *venit Rex* **Oxenford**, *& in generali Concilio ibidem celebrato, conſtituit Johannem filium Regem in Hibernia, conceſſione & confirmatione Alexandri Summi Pontificis.* Veruntamen, Johannes ille deinceps, in omnibus chartis ſuis, tam tempore patris, quàm fratris Richardi Primi, confectis, dictus eſt Dominus (non autem Rex) Hiberniæ & Comes Moretoniæ. Biennio poſteà,

inter Stephanidem & Coganum facta eſt Diviſio ſeptem Cantredorum, quam ita denotat Giraldus Cambrenſis, lib. 2, de Expugnatione Hiberniæ, cap. 18, *Pacificatis itaque continuò tam Dermitio Deſmoniæ, quàm aliis quoque partis illius præpotentibus viris, Stephanides & Milo VII Cantredos urbi propinquiores, quos majori in pace tunc poſſidebant, inter ſe diviſerunt: Stephanidi tribus, ab Oriente, Miloni verò quatuor, ab Occidente, ſorte venientibus, Illi paucioribus, quia potiores erant Cantredi, huic pluribus, quia deteriores, in diviſione conſtitutis. Urbis exiſtente cuſtodiâ communi, & aliorum Cantredorum 24 qui reſtabant, tributo, cùm obvenerint, inter ipſos æqualiter dividendo.* De terris quas Stephanides & Coganus conceſſerunt aliis, admodùm pauca traduntur à dicto Giraldo Cambrenſi, illius ævi Scriptore, Cogani interitu, qui anno accidit 1184, (non 1189, ut aliqui volunt) opus impediente. Atqui lucem aliquam præbent Chartæ Confirmationum Johannis Regis, quas Regni ſui anno IX conceſſit. Tunc enim confirmavit *Willielmo de Barry donationem quam Robertus filius Stephani fecit Philippo de Barry,* (ejus è ſorore nepoti) *patri ejuſdem Willielmi, cujus hæres ipſe fuit, de tribus Cantredis, in terra ſua de Corcaia, ſcil. Olethan, cum omnibus pertinentiis ſuis, & aliis duobus, ſcil. Muſcherie-Dunegan & Cantredo de Killede, per ſervitium decem Militum, ſicut charta prædicti Roberti, quam inde habebat teſtabatur.* Ita Charta confirmationis. Item conceſſit *Adæ de Rupe Cantredum de Roſſelihir, cum omnibus pertinentiis ſuis, Salvo dominico Epiſcopi ejuſdem loci; per ſervitium quinque militum.* Item *Richardo de Cogan,*

Cantre-

Cantredum cum pertinentiis ſuis, qui vocatur Muſcrie-O-Millane, per ſervitium quinque militum, cum pertinentiis, inter portum de Cork & portum de Inſovenach, & feoda 25 militum, quæ alibi præcepit ei aſſideri, per conſilium Meileri filii Henrici Juſtitiarii Hiberniæ & Johannis Mareſchalli; per ſervitium 4 Militum, Salvis Regi & hæredibus ſuis prædictis portubus & dominicis ſuis. Item *Roberto filio Martini, in Cantredo de Inſovenach, feoda 20 militum, & alibi* 20 *feoda militum, quæ ei per conſilium Meileri filii Henrici Juſtitiarii Hiberniæ & Johannis Mareſchalli & Philippi de Prindergaſt, præcepit ei aſſideri, per ſervitium 4 militum, pro omni ſervitio,* Denique *Henrico filio Philippi & Mauritio filio Philippi fratribus, unum Cantredum terræ, in quo Dunalahoth ſita eſt, per ſervitium 5 Militum.* Huc uſque de Regno Corcagiæ. Sequitur Regnum Limerici, ſive Momoniæ Borealis, quod regnum Henricus II conceſſit Philippo de Breuſa, aliàs Braos, exceptis Civitate Limerici & Oſtmannorum Cantredo. Atqui in Charta confirmationis, à Johanne rege conceſſa Gulielmo de Braos Philippi nepoti, dedit ei Rex tantùm *Honorem de Limerick; Retentis in dominico noſtro* (ſunt verba chartæ) *civitate de Limerick, & donationibus Epiſcopatuum & Abbatiarum, & retentis in manu noſtra Cantredo Oſtmannorum & S. Inſula.* Inter alios viros primarios, qui ſedes etiam ibi fixerunt, numerantur Hâmo de Valois, Philippus de Wigornia, Theobaldus Walter, Gulielmus filius Aldelmi, & Thomas filius Mauritii. Ad Waterfordiam quod attinet, quæ pars etiam eſt Momoniæ, aſſerit Benedictus Abbas, qui tum vixit, & Henrici ſe-

cundi Hiſtoriam deſcripſit, Regem *dediſſe Roberto Puher* (aliàs le Poër) *in cuſtodia, civitatem Waterford, cum tota circumjacente Provincia.* His porrò adjicere viſum ex eodem Benedicto, Servitia Wexfordiæ, Waterfordiæ & Dublinio, ab ipſo Rege, aſſignata. *Tradidit autem Dom. Rex* (ait ille) *Willielmo filio Aldelmi Dapifero ſuo civitatem Wexfordiæ, in cuſtodia, cum omnibus pertinentiis ſuis, & ſtatuit ut ſubſcripta in poſterum pertinerent ad ſervitium Wexfordiæ, Arkelow cum pertinentiis ſuis, ad ſervitium Wexfordiæ; Glaſcarrig cum pertinentiis ſuis, ad ſervitium ejuſdem, Terra Gilberti de Biſrobard* (al. Borard) *ad ſervitium ejuſdem, Fernregwinal, cum pertinentiis ſuis, ad ſervitium ejuſdem, Fernes cum pertinentiis ſuis, ad ſervitium ejuſdem, Tota terra Hervæi, inter Wexford & aquam de Waterford, ad ſervitium ejuſdem, ſervitium Reimundi de Druna ad ſervitium ejuſdem, ſervitium de Fordonelan ad ſervitium ejuſdem, Servitium Vthmorthi & Leghlin, ad ſervitium ejuſdem, tenementum de Machtalo, cum pertinentiis ſuis, ad ſervitium ejuſdem, Leis, terra Galfridi de Coſtentin, cum pertinentiis ſuis, ad ſervitium ejuſdem. Tradidit autem ibidem Dom. Rex Roberto le Poër in cuſtodiam Civitatem Waterfordiæ, cum omnibus pertinentiis, & ſtatuit ut hæc ſubſcripta in poſterum pertinerent ad ſervitium Waterfordiæ, Tota terra quæ eſt inter Waterfordiam & aquam quæ eſt ultra Liſmoram, ad ſervitium ejuſdem, tota terra de Oſſoria cum pertinentiis ſuis ad ſervitium ejuſdem. Tradiditque ibidem Dom. Rex Hugoni de Laſcy civitatem Duveliniæ in cuſtodia, cum omnibus pertinentiis ſuis, & ſtatuit ut hæc ſubſcripta in poſterum pertinerent ad ſervitium Duveli-*

Duvelinię, tota terra de O-Felana, cum pertinentiis ſuis, ad ſervitium ejuſdem, tota terra de Offalia, cum pertinentiis ſuis, ad ſervitium ejuſdem, Kildara cum pertinentiis ſuis, ad ſervitium ejuſdem, Wichelou, cum pertinentiis ſuis, ad ſervitium ejuſdem, Servitium de Mida, ad ſervitium ejuſdem, ſervitium 4 militum quod Robertus Poër debet de Caſtello ſuo de Dunavet, ad ſervitium ejuſdem. Poſtquàm autem Dom. Rex apud Oxenford, in prædicto modo, terras Hibernię & earum ſervitia diviſiſſet, fecit omnes quibus cuſtodias commiſerat, homines ſuos & Johannis filii ſui devenire, & jurare iis legeantias & fidelitates, de terris Hibernię. Hactenùs Benedictus Abbas, qui porrò (nè quid lectorem celemus) aſſerit Henricum 2, ſub eodem tempore; *dediſſe Heberto* (fortè Huberto) *filio Heberti & Willielmo fratri Comitis Reginaldi, & Joëllano de la Pummai nepoti eorum, regnum de Limeric, pro ſervitio 60 militum, Tenendum de ipſo & Johanne filio ſuo, excepta civitate de Limeric, cum uno Cantredo, quæ Dom. Rex retinuit in manu ſua, ad opus ſuum & hæredum ſuorum.* Ut ut fuerit, conſtare videtur eos in Hiberniam non profectos, ad regnum illud Limericenſe ſubjugandum. De donatione verò facta Philippo de Breuſa, de qua ſuprà fit mentio, Vid. Roger. Hoveden. in Henrico 2, Et de confirmatione Regis Johannis conceſſa Gulielmo de Braos Philippi nepoti, vid. Rot. Chart. an. 2 Johannis in arce Londinenſi.

Ad Conatiam quod attinet; de incurſione in eam facta à Milone de Cogan, anno 1178, & de alia, decennio poſteà, à Johanne de Curcy, in Annalibus Hibernicis fit mentio:

Sed de Colonia aliqua Anglica ibidem fixa, tempore Henrici 2, nihil traditum reperi.

Ultonia jam adeunda, quam primus aggreſſus eſt Johannes Curcæus, al. de Curcy, anno 1177, Ulidiam Hibernicè *Ullagh* (ubi hodiè comitatus Dunenſis) is brevi poſteà, à Rogero Poër, Almarico de S. Laurentio, Adamo Camerario & aliis adjutus, debellavit, deinde anno 1182, *Dalriatam*, cujus pars eſt Routa, territorium hodiè in agro Antrimenſi; Unde (ni fallor) exierunt olim Dalreudini illi, de quibus Beda mentionem facit, *qui duce Reuda, de Hibernia egreſſi, vel amicitiâ vel ferro, inter Pictos, ſedes, quas hactenùs* (ait ille) *habent vindicârunt.* Curcæi habitatio primaria erat Duni, in Lecalia, ubi anno 1183, ex Eccleſia Cathedrali, ſeculares Canonicos expulit, quorum vice, introduxit monachos Benedictinos, è Cœnobio S. Werburgæ Ceſtriæ deſumptos. Vita ejus, quam è Latino Anglicè reddidit Georgius Doudallus Archiepiſcopus Armachanus, ſub Henrico 8, MS. extat. Curcæi tempore, Anglicæ gentis plurimi, ſedes ſuas in Ultonia fixerunt, inter quos fuerunt Savagii, Whiti, Ridelli, Mandevilli, Jordani, Stantoni, Logani, Sandalli, Poëri, Camerarii, Stokæi, Paſſelevi, Ruſſelli, Audlæi, Coplandi & Martelli. Ultoniæ porrò pars erat Ergallia, ſive Uriel, quæ antiquitùs complectabatur totam eam regionem quæ poſteà diviſa eſt in agros Louthenſem, Monaghanenſem & Armachanum. Sub exitum Henrici 2, filius ejus Johannes tùm Hiberniæ dictus Dominus & Comes Moretoniæ, dedit Bertramo de Verdun, Hiberniæ Seneſchallo (qui in Paleſtinâ poſteà

ſteà obiit anno 1192) *quatuor Cantredas terræ in Uriele prædicta, & dimidium Cantredæ terræ in Luva* (al. Loutha) *illud ſcil. quod eſt versùs mare, pro Servitio* 20 *Militum.* Hujus generis ſunt alia non pauca, ex Archivis plerúmque petenda, quæ aliorum penitiori indagini relinquimus. Mitto hîc varias Johannis Curcæi expeditiones & incurſiones in alias Ultoniæ partes, necnon prælia inter eum & Hibernos commiſſa, ut quæ ad hunc locum non pertinent. Satis erit hîc indicare, ob Ulidiam debellatam, & ſedes quas ille & commilitones in eâ potiſſimùm fixerant, à Jocelino monacho Furneſſenſi (qui tum vixit) in *Prologo* ad vitam Sancti Patricii, appellatum *Ulidiæ Principem.*

CAP.

CAP. XXVIII.

De Inſulis minoribus quæ per Mare Hibernicum ſparguntur.

DE Mari Hibernico ſuprà diximus, Cap. III & XXIII. De Commoditatibus quas præſtat, Cap. VII. Locus jam poſtulare videtur, ut de Inſulis mari Hibernico circumfluis, aliquid adjungam, & adjungam ſanè, idque primò ex Veteribus generatim. Hiberniam *habere Inſulas inſignes VI*, tradit Marcianus Heracleota, in Periplo ſuo, ſed nomina non aſcribit. Habe etiam fabuloſam Demetrii Grammatici narrationem de Inſulis Britanniæ adjacentibus, è Plutarchi libro de Oraculorum Defectu; *Demetrius narravit Inſulas circa Britanniam eſſe multas hinc inde ſparſas, (quales ex eo Sporades Græcis dicuntur) eaſque deſertas, quarum nonnullæ geniorum & heroum dicantur. Se quoque mittente Imperatore, cognoſcendi ac perluſtrandi gratiâ, profectum in eam quæ deſertis proxima, à paucis tenebatur incolis, ſed quos omnes Britanni ſacros inviolabileſque haberent: Statim verò poſt illius adventum, magnam in aëre confuſionem extitiſſe, & portenta multa ventóſque in procellas erupiſſe & ignitos vortices in terram delatos fuiſſe, ſub horum finem Inſulares dixiſſe aliquem eorum qui præſtantioris humanâ ſunt naturæ, eſſe deſiiſſe:* Et addit paulò pòſt, *ibi quandam eſſe Inſulam, in quâ Saturnus captivus detineatur à Briareo, dormiens, (hoc enim vinculum adverſus eum fuiſſe* excogi-

excogitatum) & *adeſſe Saturno multos genios, comites ipſius ac famulos.* Ita Plutarchus. Neque deſunt qui, ex Orpheo, Jaſonem, cum Argonautis, in Hiberniam vel appuliſſe, vel ſaltem litora Hibernica legiſſe colligunt, unde Hadrianus Junius ita Hiberniam loquentem inducit,

Illa ego ſum Graiis olim glacialis Ierne
Dicta, & Jaſoniæ puppis benè cognita nautis.

Hûc uſque generatim. Quæ ad rem habent Plinius, Ptolemæus & alii nonnulli tàm è veterum quàm mediorum temporum Scriptoribus, ſuis poſteà patebunt locis.

Jam verò ut meliore ordine in inſtituto curſu progrediar, è ſinu *Carigferguſii* ſolvam, & inde litora legens, Inſulas orientales primùm inviſam, poſteà auſtrales, deinde occidentales, ac demùm aquilonales. In hac navigatione, ſe nobis primùm oſtendunt *Coplandæ*, duæ Inſulæ, ita fortaſsè dictæ à Coplandorum familia, quæ in vicina Ulidia olim florebat. Tum *Berry* Inſula, à qua ſi oram legamus uſque ad litus agri Dublinienſis, nullæ apparent inſulæ memoratu dignæ: Nam inſulas quæ ſunt in lacu *Cone* & unam vel alteram exiguam inſulam, intra oſtium portus Carlingfordienſis, uti & ſcopulos hinc inde per mare ſparſos, conſultò prætermiſi, ut quæ ad rem, de qua nunc agimus, non pertinent. In agri Dublinienſis litore eſt *Holm-Patrick*, ſive Inſula S. Patricii, quæ ita denominata eſt in memoriam S. Patricii, qui ibi appulit anno CCCCXXXII, & inde in continentem trajecit, ad Hiberniam Chriſtianæ religi-

onis radiis illuminandam. Huic proximæ ſunt *Skerres*, Inſulæ ſcopuloſæ. Eodem inde litore *Lambey* eminet, quæ à Plinio (ni fallor) *Limnus*, & à Ptolemæo *Limni* appellatur. Proxima huic eſt inſula exigua dicta **Irelands eye**, i. *Oculus Hiberniæ*, ubi (ut notavit Johannes Alanus Archiepiſcopus Dublinienſis, ſub Henrico VIII, in Regeſto ſuo nigro) *S. Neſſanus* olim *inſiſtebat crebris orationibus, jejuniis & vigiliis*. Tribus hinc miliaribus, ad auſtrũ, abeſt *Dalkey*, in Chartis nonnullis Hydrographicis, *Inſula S. Benedicti* vocata, à qua, ut oram legimus, poſtquàm loca ea vadoſa à nautis dicta **The North, Middle & South grounds**, prætervecti ſumus, Inſula *Beg-eri* i. ſi interpreteris, *Parva Hibernia* conſpicitur, ad agrũ Wexfordienſem ſpectans, fortaſsè eadem quæ à Plinio, *Edros*, à Ptolemæo, *Edri* dicitur, olim S. Ibari Scholâ celebris, qui ibi (ut in vita ejus legimus) *celebre condidit cœnobium, & ſacras literas aliáſque artes optimas docuit maximam multitudinem Hibernorum & aliorum*. Huic proximæ ſunt duæ *Saltes* Inſulæ, quæ ejuſdem comitatus cenſentur partes.

Ab his, uſque ad *Capel* inſulam modicam, quæ 3 vel 4 milliaribus à portu Youghallenſi abeſt, nullæ memoratu dignæ ſunt Inſulæ: Poſt eam verò, in eodem litore **Cotton-Iland**, *Leſteren, Lacallan, Cray & Loughin*, cum aliis minoris notæ conſpiciuntur. Magis ad occaſum in alto eminet *Clera* Inſula, nautis **Cape Clere**, cui maximum fuit decus S. Kiaranus ſenior Epiſcopus Saigerenſis, qui hîc (ut refert vitæ ejus ſcriptor) natus eſt & educatus. Interius in Sinu Baltimorenſi confertiſſimæ jacent inſulæ, inter quas ſunt *Iniſtirkan* aliàs

Inisſhirkan,

Inisſhirkan, *Augbra*, *Inſula longa*, Inſula dicta **the Horſe**, *ſive Equus*, *& interiùs in ſinu Bantrienſi*, **Whiddy**.

In alto tùm comparent tres Inſulæ *Dorſes*, quarum maxima appellatur, **The Cow**, i. *Vacca*; Secunda, **The Bull**, ſive *Taurus*, tertia, **The Calf**, ſive *Vitulus*. Sub oſtium deinde Kilmari, vel Kinmari fluvii, ſunt Inſulæ quædam exiguæ, ſed inprimis memorandæ ſunt margaritæ, quas in hoc fluvio & in ora vicina conchæ pariunt. Hoc obiter. In alto eminent tres *Scelegæ*, Inſulæ ſcopuloſæ, in quarum una erat olim cœnobium S. Michaëli Archangelo dicatum, quod poſteà (uti ſuprà diximus Cap. XXVI) ad Continentem tranſlatum eſt. His proxima eſt *Valentia* aliàs *Dariry* Inſula, quæ per aliquot milliaria Kerriæ litori objecta jacet, tenui freto à continente diviſa. Magis ad Arctum ſunt *Blaskes* Inſulæ, cum ſcopulis adjacentibus. Neque prætermittenda eſt *Iniſ-catte* ſive *Iniſ-cathaig* (licèt intra oſtium Shenani flu.) olim Sedes Epiſcopalis, ubi S. Senanus præfuit Epiſcopus. Nomen Inſulæ Scholiaſtes Æneæ filii *Oengobhan*, à *Cathaic beſtia* fera deduxit, *quæ ibi*, *& in Regionibus vicinis* (ut ille habet) *multos occidebat*. Proximæ melioris notæ ſunt tres *Aranæ* Inſulæ, ſcilicet *Iniſ-ier*, *Iniſ-mane & Aran-more*, quæ nunc ad agrum Galvienſem ſpectant, olim verò ad Momoniam pertinebant. Harum præcipua eſt, *Aran-More*, id eſt, *Aran-Magna*, dicta etiam *Arn-na-næmh*, ſive Aran Sanctorum, ob ſanctos ibi ſepultos. De hac Inſula & S. Enna, aliàs Endeo, primo ibidem Abbate, ita Scriptor vitæ S. Albei, *Cùm S. Albeus reverteretur de Caſſell*, *occurrit ei Enna Abbas dicens:*

Revertere mecum ad Regem (Ænguſam) *& quære mihi ab eo illam Inſulam,* i. e. *Arn, ut in nomine Domini faciam ibi Monaſterium. Tunc reverſus Sanctus Albeus ad Regem ſalutavit eum dicens: Illam Inſulam poſitam in Oceano maris, da nobis ut ædificemus ibi Monaſterium. Rex ait non vidi nec audivi qualis & quanta ſit illa Inſula, & ideo nemini illam dabo, ut priùs ſciam quomodò ſit. Tunc virtus divina fecit Regem videre totam eam inſulam per longa ſpatia terrarum, & ſçivit qualis & quanta fuit. Tradidit autem Rex Sanctis Inſulam Arn, & ſub S. Albeo, S. Enna conſtruxit ibi egregium Monaſterium, & ſub uno nomine nominatur etiam Inſula,* i. *Arn.* Et *magna eſt illa inſula, & eſt terra Sanctorum, quia nemo ſcit numerum ſanctorum, qui ſepulti ſunt ibi, niſi ſolus Deus.* Hæc ille: cui aſtipulatur Scriptor vitæ S. Endei, qui aſſerit etiam Dariniam Endei ſororem Ænguſæ Regis fuiſſe uxorem. Sed audi porrò fabuloſam relationem de hac Inſula, ex Giraldi Cambrenſis Topograph. Hiberniæ Diſtinct. II, Cap. VII, *Eſt Inſula quædam in occidentali Conactiæ* *ſolo *poſita cui nomen Aren, à S. Brendano, ut aiunt, conſecrata. In hac, hominum corpora nec humantur nec putreſcunt, ſed ſub dio poſita & expoſita, permanent incorrupta. Hîc homines avos, atavos & tritavos longamque ſtirpis ſuæ retrò ſeriem, mirando conſpiciunt & cognoſcunt. Eſt & aliud ibi notabile, quia cùm per totam Hiberniam copioſè nimis mures abundant, hæc tamen inſula mure caret: Mus enim non naſcitur hîc, nec vivit invectus,* &c. Neſcio an hîc operæ pretium ſit memorare incolas nonnullos qui fide digni videri volunt, affirmare ſe, ex his Inſulis,

* Salo meliùs.

Inſulis, faſcinatam Inſulam quam *O-Braſil* vocant interdum ſudo cœlo proſpexiſſe. In hujus Inſulæ ſcrutinio, nonnulli nuper oleũ & operã perdiderunt. At ſitum confidentiùs deſignant Chartæ quædam hydrographicæ. De perdita hac Inſula, ſive Inſula Brendani, vide, ſi placet, quæ habet Ortelius, in Theſauro ſuo Geographico. Prætereo hîc fabellam de Inſula quadam maris Hibernici *quam fantaſticam vocant, inſtabili primò, tandem per ignem ſtabili facta,* Talium cupidus petat jam dicti Giraldi Cambrenſis Topogr. Hib. Diſtinct. II. Cap. XII. Ad rem redeo. Inter *Aranas* & continentem, non paucæ jacent inſulæ exiguæ. Magis verò ad Arctum, (inter alias minoris notæ) jacent *Ardillan, Ilanemraher, Iniſharke, Inſula Cuniculorum & Inis-bo-find,* id eſt, *Inſula vaccæ albæ,* in quam ingentes maſſæ ambræ, (nos **Ambergreeſe** dicimus) aliquoties ſunt ejectæ. Hîc S. Colmanus Lindisfarnenſis Epiſcopus cœnobium olim conſtruxit. Sic enim Beda, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ lib. 4, cap. 4, *Intereà Colmanus, qui de Scotia erat Epiſcopus, relinquens Britanniam tulit ſecum omnes quos in Lindisfarnenſi Inſula congregaverat Scotos: Sed & de gente Anglorum viros circiter triginta, qui utrique monachicæ converſationis erant ſtudiis imbuti. Et relictis in Eccleſia ſua aliquot fratribus; primò venit ad Inſulam Hu, unde erat ad prædicandum verbum Dei, Anglorum genti deſtinatus. Deinde ſeceſſit ad inſulam quandam parvam, quæ ad occidentalem plagam ab Hibernia procul ſecreta, ſermone Scotico Inis-bo-find, id eſt, Inſula vitulæ albæ nuncupatur. In hanc ergò perveniens conſtruxit Monaſterium & Monachos inibi, quos de utraque natione collectos adduxerat, collocavit,* &c.

&c. *Navigatio Colmani ad Inſulam vaccæ albæ*, in Annalibus Tigernaci, (qui floruit Seculo XI) ad annum refertur DCLXXVI. Ibi Colmannus ille naturæ ceſſit novennio poſteà, die 8. Auguſti. Eodem inde litore eminent *Iniſturk* & *Clerey*, in qua erat olim Cella cœnobii Knockmoyenſis. Inter has & continentem (in ſinu Boriſolenſi) confertiſſimæ jacent Inſulæ exiguæ. Tum utraque Akil, major & minor, cum noto nautis ſcopulo magis ad occaſum, dicto **the Black Rock**, Deinde *Iniskea* & *Davilan*.

Inſulæ Ultoniæ jam inviſendæ, atq; illæ primùm quæ partes cenſentur Tirconalliæ, ſive ut nunc loquimur, agri Donegallenſis. Atque hîc, poſt inſulas quaſdam perexiguas, quæ oſtijs Erni flu. & portuum Donegalliæ & Calebegæ præjacent, in alto comparent Inſulæ dictæ *Aranæ Aquilonales*, ad Aranarum ſuprà memoratarum differentiam, prope quas ſunt Scopuli à nautis vocati **The Staggs**, ſive Cervi. Tum *Cladagh* conſpicitur, & magis ad orientem *Torre*, ad 8 milliare à continente, Terra ſatis fertilis. *Iniſ-oën* verò, (ſive Inſula Eugenii) licèt Inſula dicta, reverà Peninſula eſt, & Iſthmo, Continenti Hiberniæ annectitur. Huic maximum eſt Ornamentum *London-derry* Civitas, antiquitùs *Deria* & *Dair-calgaic*. Proximæ ſunt *Glaſſedy & Strabul, al. Inis-ſtrabul*, Inſulæ ſcopuloſæ ad quas Phocæ ſe conferunt, ut dormiant & fœtum edant. Tùm *Skerres*, deinde *Raghlin*, quæ pars eſt agri Antrimenſis & una leuca à continente abeſt, Plinio *Ricnea*, Ptolemæo *Ricina*, Antonino *Riduna*. Cæterùm Hiſtorici Hibernici *Recarn*, & *Recrain* vocant. *Segenium Abbatem Jæ Eccleſiam de*

Recarn fundâſſe anno DCXXXIV, vel DCXXXV, prodit Tigernacus; & in Annalibus Ultonienſibus ad an. DCCXCIV, (qui nobis eſt DCCXCV) fit mentio *Combuſtionis & vaſtationis Recrain per Gentes.* Danos hîc intelligi docet Caradocus Lhancarvanenſis, in Cambriæ Chronico: Nam *Dani circa hæc tempora* (ut ille habet) *maximam Hiberniæ partem populati, Recrein quoque vaſtârunt.* Johannes Rex Angliæ donavit hanc Inſulam (inter alia) *Alano de Galway*, ut ex Archivis conſtat. Inter eam & continentem jacent exiguæ nonnullæ Inſulæ, & magis ad Auſtrum, comparent novem Inſulæ ſcopuloſæ dictæ **The nine Maids**, non procul à peninſula *Magie.* His proximæ ſunt Inſulæ Coplandicæ, à quibus exorſi ſumus, & cum quibus finem huic Capiti imponemus.

V CAP.

CAP. XXIX.

Diatriba de Baſilicis, ſive Eccleſiis Cathedralibus Hiberniæ, in qua Origines earum & aliæ Antiquitates aperiuntur.

In Provincia Armachana.

Loca & Tituli dedicationum.	*Origines & aliæ Antiquitates.*

Armachæ, Eccleſia S. Patricii. TEmplum erexit cathedrámque ibi fixit S. Patricius Hibernorum Apoſtolus, anno Domini 445, vel ſecundùm Annales Ultonienſes, 444, ad quem annum, in iiſdem Annalibus ita annotatum invenimus, *Ardmacha fundata eſt. Ab Urbe condita, uſque ad hanc civitatem fundatam,* 1194 anni ſunt. Locum (prope Calin flu.) à ſalicibus quibus conſitus fuerat, *Druim-Sailec* primùm dictum conceſſit Dairus quidam, vir divitiis affluens, & inter ſuos magni nominis. Ab editiori verò ſitu, poſteà factum eſt nomen Armacha ſive Ardmacha, id eſt, *Editus Campus.* De Sede à S. Patricio hîc collocatâ, ita Jocelinus Monachus Furneſſenſis, in vita ejuſdem Patricii, cap. 165, *Cathedram Archiepiſcopalem in eadem urbe collocavit* (S. Patricius) *& ut Sedes illa totius Hiberniæ eſſet Primaria, Metropolis*

&

& Magiſtra, animo ſtatuit. De antiqua hujus Sedis dignitate, nihil prætereà dicam, niſi quod ampliſſima habebat olim privilegia, ad Eccleſiaſticæ libertatis firmamentum indulta. Sed redeamus ad propoſitum. Eccleſia hæc cathedralis, ſicut ſæpè devaſtata fuit & incendio deformata, ita iterùm atque iterùm reſtaurata & amplificata ab Archiepiſcopis Armachanis: Sed præcipuè à Patricio Scanlaino, circa annum Salutis 1262, tum nuper à ſede Rapotenſi Armacham tranſlato. Proximus ejus ſucceſſor Fr. Nicolaus *Moliſſæ* filius, præter libros, veſtimenta Eccleſiaſtica pretioſa & alia quæ Eccleſiæ ſuæ Armachanæ dederat, annuam etiam 20 marcarum penſionem ejuſdem Eccleſiæ fabricæ, ex Mannerio ſuo de *Termon-Feichan* pendendam contulit. Sedi prætereà ſuæ appropriari curavit Mannerium de *Dromyskin.* Obiit 10 Maii 1303, vir ob facundiam & prudentiam celebris, cùm Eccleſiam Armachanam rexiſſet annos 31.

Clonardæ E. S. Finiani.

In Midia multæ erant olim Sedes Epiſcopales, Clonardenſis nempè, Damleagenſis, Kenliſenſis, Trimmenſis, Ardbracanenſis, Don-ſhaghlinenſis & Slanenſis, præter alias minoris notæ: quæ omnes, exceptis Damleagenſi & Kenliſenſi ſive Cenanuſenſi, coaluerunt, iiſque communis Sedes Clonardæ conſtituta eſt, ante annum Dom. 1152, quo facta eſt Diviſio Epiſcopatuum Hiberniæ, à Johanne Paparone Presbytero Cardinale tituli S. Laurentii in Damaſo, Eugenii III tunc apud Hibernos Legato, in Synodo inchoata pridie Nonas Martii, vel in cœnobio Mellifontis, vel,

ut aliis placet, Kenliſæ. Cæterùm duæ illæ Sedes (Damleagenſis nempè & Kenliſenſis) eandem poſteà aleam ſubierunt. De his compendio ſigillatim: Ac primò de Clonarda.

Clonardæ primus præfuit Epiſcopus S. Finianus, ſive Finanus, Philoſophus & Theologus inſignis. Is nobili ortus proſapiâ, ſed pietate nobilior, apud S. Davidem Meneveníem in Cambria Epiſcopum aliquandiù commoratus eſt, eique ob egregias animi dotes valdè charus fuit. In patriam reverſus, factuſque Epiſcopus, ſedem ſuam Clonardæ in Midia, prope Boinum fluvium, collocavit, ubi porrò Gymnaſium inſtituit, quod illius curâ & laboribus, multos progenuit viros ſanctitate & doctrinâ celebres: inter quos fuerunt uterque Kiaranus, uterque Brendanus, uterque Columba (nempè Columba-*cille* & Columba filius Crimthani) Laſerianus filius Nathfraci, Cainecus, Movæus & Ruadanus. Et ſicut Schola S. Finiani fuit *quaſi quoddam totius Sapientiæ Sacrarium*, ut loquitur vitæ ejus Deſcriptor, ita & ipſe Finianus *Sapientis* cognomen adeptus eſt. Obiit is Decembris 12, anno Salutis 552, & in Eccleſia ſua ſepultus eſt. Epiſcoporum hujus diœceſeos, qui Clonardæ ſederunt poſtremus fuit Simon de Rupeforti al. *Rochfort*, Anglus, qui ſicut prædeceſſor ejus Eugenius, ultimis conſecrationis ſuæ annis, ſtylo à Midiâ regione ampliſſimâ, mutuato, Epiſcopus Midenſis dictus eſt; quo titulo omnes etiam deinceps ſucceſſores conſtanter uſi ſunt. Non tamen hîc prætermittendum Idumanum unum è prædeceſſoribus Eugenii, diù ante eum Midiæ Epiſcopum fuiſſe dictum, & eo uſum ſtylo, inter

teſtes

teſtes Epiſtolæ Waterfordienſiū ad Anſelmum Archiepiſcopū Cantuarienſem, in gratiam Malchi electi Waterfordienſis, an. 1096 conſcriptæ. Sed ad Simonem redeamus. Is circa annum Chriſti 1206, Clonardâ relictâ, cathedrã ſuam Epiſcopalẽ ad Cœnobiū SS. Petri & Pauli Apoſtolorū novæ villæ juxta Trimmã tranſtulit, quod tum nuper Canonicis Auguſtinianis condiderat. Conſtat porrò Henricū VIII regẽ (qui Monachos ubique exturbavit) Eccleſiam cœnobii B. Mariæ de *Ballemore* juxta *Logh-ſeudy* apud Weſt-Midenſes, in Cathedralẽ hujus diœceſeos convertiſſe. Sed quàm diù ita duraverit, neſcio.

Damleagæ, ſive ut hodiè, Dulekæ, Sedes Epiſcopalis primùm conſtituta eſt à S. Kenano, aliàs Cianano, cui ipſe præfuit Epiſcopus primis Eccleſiæ Hibernicæ ſurgentis temporibus. S. Kenanū *Eccleſiã ibi conſtruxiſſe lapideam*, *& inde Damleag nomen accepiſſe* refert Officiū ejus, cujus exemplar, è codice MS. Bibliothecæ publicæ Cantabrigienſis tranſcriptum, impertivit mihi amiciſſimus M. Gulielmus Morus. *Eccleſiarum etenim anteà* (ſic idem Officium) *de virgis & tabulis Structuræ fiebant in Hibernia.* Nec facilè quidem reperiemus aliam ſtructuram, è ſaxo, ab Hibernis factam, ante tempus S. Malachiæ Archiepiſcopi Armachani, S. Bernardi æqualis & dilecti, licèt in morte paulò prioris. Sed de veterum Hibernorum Ædificiis, vide, ſi placet, quæ ſuprà diximus cap. 22. Sanctus hic Kenanus regio Momonienſium ortus ſanguine, & ad tempus in Gallia, ſub S. Martino Epiſcopo Turonenſi educatus obiit 24 die Novembris anno 489 vel 488.

Sequitur *Cenanus*, poſteà contractiùs Kenlis, & deinde (ſicut hodiè vulgò) *Kells*, antiquitùs

inter inſigniores Hiberniæ urbes numerata, ſed poſterioribus temporibus poſtquàm nimirũ in opidulum decrevit, dicta ob ſitum & munimentum *Clavis earum partium Midiæ*. Memoranda porrò hoc nomine, quòd S. Columba, qui & *Columb-cille, compoſito* (inquit Beda) *à Cella & Columba nomine*, cœnobium inſigne ibi fundavit, circa annum Dom. 550, locum concedente Dermitio filio Cervalli rege Hiberniæ. Sedem etiam Epiſcopalem ibi poſteà erectam fuiſſe liquet, ſed quandò primùm conſtituta fuerit, ignoratur. Hoc tamen conſtat eum Seculo XIII, cathedræ Midenſi fuiſſe conjunctam. Kenliſæ huic magnum olim decus fuit S. Cuthbertus Lindisfarnenſis Epiſcopus (obiter adnoto) qui hîc in lucem editus eſt, uti vitæ ejus Deſcriptor demonſtrat *ex Hiſtoriis Hibernienſium*. Liber habetur in Bibliotheca Cottoniana, ſub effigie Vitellii, D. XIV. 8. Non deſunt tamen qui natum eum in loco dicto *Kilmacudrick*, ad quartum à Dublinio lapidem, contendant.

Ad cæteras quod attinet, ſatis erit vel verbo memorare Eccleſias Trimmenſem & Donſhaghlinenſem à S. Patricii nepotibus erectas fuiſſe, hanc à S. Secundino, al. Sechnallo, illam à S. Lumano: Deinde Slanenſem à S. Erco, qui obiit anno 513, & Ard-bracanenſem à S. Ultano, qui anno deceſſit 657. Hique omnes ut fundatores, ita primi fuerunt harum Eccleſiarum Epiſcopi. Atque hæc de Sedibus hiſce, unitis tandem & conjunctis Epiſcopatui Midenſi compendio dicta ſufficiant.

Duni,

Duni, Eccleſ. S. Patricii. Sanctus Cailanus S. Macniſii Epiſcopi Connerenſis æqualis, ſed in Epiſcopatu poſterior, ex Nendrumenſi Abbate, factus eſt Dunenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſub exitum ſeculi poſt Chriſtū natum quinti. Eccleſiam hanc refecit S. Malachias Morgairus, Epiſcopus primùm Connerenſis, dein Armachanus Archiepiſcopus, ac demùm Archiepiſcopatu abdicato, Antiſtes Dunenſis, anno 1137. Tum poſt annos circiter 40, Malachias tertius ejuſdem nominis Epiſcopus Dunenſis, à Johanne Curcæo Ultoniæ dicto expugnatore adjutus, auxit eam & ornavit. Johannes ille præterea, Canonicis ſecularibus expulſis, eorum loco, Monachos Benedictinos, è cœnobio S. Werburgæ Ceſtriæ, ſubſtituit anno 1183. Et ſub eodem tempore, ejuſdē Curcæi ſuaſu, Eccleſia ea Cathedralis, quanquàm anteà S. Trinitatis nomini conſecrata, in S. Patricii honorem dicata eſt. Non paucos autem crediđiſſe Iliadem malorū Curcœum inde ſibi poſteà attraxiſſe, author eſt Chriſtophorus Pembrigius, in Annalibus ſuis. Utcunque, maximam olim claritatem loco proculdubiò conciliavit S. Patricii ſepultura, cui etiam corpora SS. Columbæ & Brigidæ poſteà tranſlata fuerunt. Poſtremus hujus Sedis Epiſcopus, ante realem (ut loquimur) unionem Eccleſiarum Dunenſis & Connerenſis, fuit Johannes *Sely*, monachus Benedictinus. Eo verò exauthorato anno 1441, Johannes Epiſcopus Connerenſis unionem utriúſque ſedis, ab Eugenio IV Pontifice obtinuit. Et jam inde unus idemque Epiſcopus Dunenſis & Connerenſis appellatur. Locus, antiquiori nomine *Aras-Cealtair* prorsùs deperdito, Du-

num dictus eſt, unde & regioni nomen. Dunum autem priſcis Gallis, Britannis & Saxonibus, collem vel ſitum acclivem denotabat: Atque hinc Lugdunum & Juliodunum in Gallia, Dunelmum, Camalodunum, Sorbiodunum & ſimilia in Anglia manârunt: neque aliam habebat ſignificationem apud Hibernos. Nam hæc ſedes in Regeſto cenſuum Cameralium Centii Camerarii appellatur *Dun-da-leghlas*, quam vocem Hiberni interpretantur *Collem binorum mediorum catenæ*: Et Jocelinus, cap. 38, *à catenis confractis*, Dunum nomen ſortitũ fuiſſe aſſerit. Sic porrò à collino ſitu in Hibernia, nomina deducunt *Dun-amaus*, *Dun-keran*, *Dungannon & Dun-garvan*. Exempla alia ſatis obvia ſunt: ſed in re tam nota, hæc ſufficiant.

Conneræ, E. *S. Mac-niſii.* Ængus Macniſius primus fuit hujus Eccleſiæ Epiſcopus & fundator. Is cognomentũ à matre, more inſolito, trahens, vulgò S. *Mac-Niſæ* vel Mac-niſius, ſine aliqua alia additione, dictus eſt. Patris autẽ nomen *Fobrec* fuit, ut tàm è Tigernaci Annalibus, quàm ex antiquo Ænguſiani Martyrologii Scholiaſte, ad diẽ 3. Septẽbris, intelligimus. E vivis hic ceſſit *ſenex venerabilis*, 3 Septẽbris, an. Dom. 507, vel ſecundũ alios, 514. Hujus Eccleſiæ Benefactor dicitur Iſaacus de Novo caſtro ad Tinã, Epiſcopus creatus Connerenſis an. 1245, ubi præfuit annos 12. Quid autem contulerit traditũ non reperi. Celebritatẽ hujus loci maximã aliqui adſcribunt S. Malachiæ ſuprà memorato, qui hîc præfuit ad tempus Epiſcopus, & cujus vitam deſcripſit S. Bernardus Abbas Claravallenſis celeberrimus; è quo plura petas.

Clocho-

Clochoræ, E. S. Maccartini. Hanc Eccleſiã fundavit S. Patricius eamq; poſteà contulit dilecto ſuo diſcipulo,& in verbi Dei prædicatione adjutori indefeſſo, S. Maccartino, Jocelino,Kerteno,è nobili Aradenſium proſapiâ orto,ſed moribus nobiliori. Sedit ibi Maccartinus uſq; ad an.Dom.506,quo placidè ex hac vita ſenex migravit,IX Calend. Aprilis,vel ut alii habent,VI Octobris,& inEccleſiæ ſuæ cœmeterio ſepultus eſt. Poſt aliquot deinde ſecula,an. nempe 1041,hæc Eccleſia de novo ædificata eſt, & S. Maccartini memoriæ dicata. Circa annũ verò 1295, eam reſtauravit Matthæus *Mac-Cataſaid* Epiſcopus Clochorenſis. Is capellã porrò condidit ſupra ſepulchrũ S.Maccartini,& cœmeterium muro circumdedit. Anno demùm pòſt centeſimo, Aprilis 28, dum Arthurus *Mac-Camæil* loci Epiſcopus capellã Maccartini de novo erigi curaret,Eccleſia ipſa cathedralis, & duæ capellæ, & Monaſteriũ B. Mariæ,necnonCuriaEpiſcopi unà cum 32 aliis ædificiis, &c. incendio conflagrârunt. Ad Eccleſiæ & Curiæ ſuæ ſtructurã, Arthurus hic omni ſtudio poſteà incubuit.Deceſſit autem admodùm ſenex,dieS.Laurẽtii 1432,cùm hanc Eccleſiam rexiſſet annos 42.Extant Ordinationes ejus(obiter adnoto)an.1395 & 1430 editæ. Clochora (ad Launum flu. ſita) nomen habet à Lapide aureo, quo Ethniciſmi temporibus, Dæmon reſponſa præſtigialia, quaſi Apollinis Pythii oracula, dare ſolebat; ut è Regeſto Clochorenſi intelligimus. Inter hujus loci Epiſcopos ſecundùm Macartinum maximè celebratur Chriſtianus O-Morgair,frater unicus S. Malachiæ Armachani. Eum S. Bernardus in vita Malachiæ *virum bonum* appellat

num dictus eſt, unde & regioni nomen. Dunum autem priſcis Gallis, Britannis & Saxonibus, collem vel ſitum acclivem denotabat: Atque hinc Lugdunum & Juliodunum in Gallia, Dunelmum, Camalodunum, Sorbiodunum & ſimilia in Anglia manârunt: neque aliam habebat ſignificationem apud Hibernos. Nam hæc ſedes in Regeſto cenſuum Cameralium Centii Camerarii appellatur *Dun-da-leghlas*, quam vocem Hiberni interpretantur *Collem binorum mediorum catenæ*: Et Jocelinus, cap. 38, *à catenis confractis*, Dunum nomen ſortitū fuiſſe aſſerit. Sic porrò à collino ſitu in Hibernia, nomina deducunt *Dun-amaus*, *Dun-keran*, *Dun-gannon* & *Dun-garvan*. Exempla alia ſatis obvia ſunt: ſed in re tam nota, hæc ſufficiant.

Conneræ, E. S. Mac-niſii. Ængus Macniſius primus fuit hujus Eccleſiæ Epiſcopus & fundator. Is cognomentū à matre, more inſolito, trahens, vulgò S. *Mac-Niſæ* vel Mac-niſius, ſine aliqua alia additione, dictus eſt. Patris autē nomen *Fobrec* fuit, ut tàm è Tigernaci Annalibus, quàm ex antiquo Ænguſiani Martyrologii Scholiaſte, ad diē 3. Septēbris, intelligimus. E vivis hic ceſſit *ſenex venerabilis*, 3 Septēbris, an. Dom. 507, vel ſecundū alios, 514. Hujus Eccleſiæ Benefactor dicitur Iſaacus de Novo caſtro ad Tinā, Epiſcopus creatus Connerenſis an. 1245, ubi præfuit annos 12. Quid autem contulerit traditū non reperi. Celebritatē hujus loci maximā aliqui adſcribunt S. Malachiæ ſuprà memorato, qui hîc præfuit ad tempus Epiſcopus, & cujus vitam deſcripſit S. Bernardus Abbas Claravallenſis celeberrimus; è quo plura petas.

Clochoræ, E. S. Maccartini. Hanc Eccleſiã fundavit S. Patricius eamq; poſteà contulit dilecto ſuo diſcipulo,& in verbi Dei prædicatione adjutori indefeſſo, S.Maccartino, Jocelino,Kerteno,è nobili Aradenſium proſapiâ orto,ſed moribus nobiliori. Sedit ibi Maccartinus uſq; ad an.Dom.506,quo placidè ex hac vita ſenex migravit,IX Calend. Aprilis,vel ut alii habent,VI Octobris,& inEccleſiæ ſuæ cœmeterio ſepultus eſt. Poſt aliquot deinde ſecula,an. nempe 1041,hæc Eccleſia de novo ædificata eſt, & S. Maccartini memoriæ dicata. Circa annũ verò 1295, eam reſtauravit Matthæus *Mac-Cataſaid* Epiſcopus Clochorenſis. Is capellã porrò condidit ſupra ſepulchrũ S.Maccartini,& cœmeterium muro circumdedit. Anno demùm pòſt centeſimo, Aprilis 28, dum Arthurus *Mac-Camæil* loci Epiſcopus capellã Maccartini de novo erigi curaret,Eccleſia ipſa cathedralis, & duæ capellæ, & Monaſteriũ B.Mariæ,necnonCuriaEpiſcopi unà cum 32 aliis ædificiis, &c. incendio conflagrârunt. Ad Eccleſiæ & Curiæ ſuæ ſtructurã,Arthurus hic omni ſtudio poſteà incubuit.Deceſſit autem admodùm ſenex,dieS.Laurẽtii 1432,cùm hanc Eccleſiam rexiſſet annos 42.Extant Ordinationes ejus(obiter adnoto)an.1395 & 1430 editæ. Clochora (ad Launum flu. ſita) nomen habet à Lapide aureo, quo Ethniciſmi temporibus, Dæmon reſponſa præſtigialia, quaſi Apollinis Pythii oracula, dare ſolebat; ut è Regeſto Clochorenſi intelligimus. Inter hujus loci Epiſcopos ſecundùm Macartinum maximè celebratur Chriſtianus O-Morgair,frater unicus S. Malachiæ Armachani. Eum S. Bernardus in vita Malachiæ *virum bonum* appellat

pellat, *plenum gratiæ & virtutis Germano quidem ſuo ſecundum in celebri opinione, ſed, vitæ ſanctimonia, & juſtitiæ zelo fortè non imparem.* Obiit 1139, & Armachæ in cœnobio SS. Petri & Pauli ſepultus eſt.

Ardachæ, E. *S. Meli.* Eccleſia cathedralis Ardachadenſis meritò inter antiquiſſimas totius Hiberniæ numerata, à S. Melo Britanno, primo loci Epiſcopo fundata eſt. Fuit is S. Patricii è Darerca ſorore nepos, & ab ipſo S. Patricio (cujus etiam diſcipulus fuit) Epiſcopus conſecratus. Hunc *ex proprio labore manuum, more Pauli*, victum ſibi comparâſſe aſſerit Jocelinus, in vita S. Patricii, cap. 102. Obiit S. Melus anno ſalutis 488, Februarii die 6, quadriennio ante avunculum, & in Eccleſia ſua Ardachadenſi ſepultus eſt. Ardachæ nominis ratio ab editiori ſitu deducitur. Atque hujus nominis libentiùs hîc memini, quia *Ard* generali vocabulo loca editiora Hibernicè vocantur.

Raphoæ, E. *S. Eunani.* Cœnobium ibi loci fundavit S. Columba-*cille*, vir regio ſanguine, ad virtutem & literas natus: anteà quidem Crimthanus dictus; Columbæ verò nomen ſecundùm Adamnanum, (qui vitam ejus deſcripſit) *ob innocentiam*, ſecundùm veterem Ænguſiani Martyrologii Scholiaſten, eodem ſenſu, *ob ſimplicitatem* candidam obtinuit, alluſione fortaſsè factâ ad præceptum Servatoris noſtri, (Matth. X.) *Eſtote ergò prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Hanc ſtructuram reſtauravit poſteà jam dictus Adamnanus, celebris ille

cœnobii

cœnobii Hyenſis Abbas, cujus magno cum honore meminit Beda venerabilis, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ gentis Anglorum lib. 5, cap. 16, ubi *virum bonum* appellat, *& ſapientem, & ſcientiâ Scripturarum nobiliſſimè inſtructum.* Hujus cœnobii templum in Eccleſiam cathedralem erexit (ut videtur) S. Eunanus, qui primus exiſtimatur hujus ſedis Antiſtes. Quo tempore autem vixerit nullâ potui indagine invenire. Oſtendebatur Raphoæ, ſive (ut olim) Rathbothæ, non ita pridem lectus ejus. Ibi porrò turris erat, ſive pyramis, ut aliqui vocant, colli impoſita, in qua Epiſcopi Rapotenſes Muſæum olim habebant. Hujus Eccleſiæ Benefactor fuit egregius Patricius *Magonail* Epiſcopus Rapotenſis, circa annum Dom. 1360, qui porrò ædes Epiſcopales, in tribus Manneriis ad ſedem ſuam pertinentibus, conſtruxit. Locus nomen habet partim ab Hibernico *Rath*, quod ſepimentum militare denotat. Sed in reſidui nominis rationem inquirant alii.

Deria, E. S. Columbæ, De cœnobio à ſupradicto S.Columba Deriæ extructo, anno 545, jam antè egimus. Cæterùm, Eccleſia cathedralis Derenſis opus eſt multò recentioris temporis. Nam illius Diœceſeos Epiſcopus Ardſrathæ ad Dergum flu. primum cathedram habuit conſtitutam, ubi primus præfuit Epiſcopus S. Eugenius, quem aliqui S. Patricii diſcipulum, & ab eo Epiſcopum conſecratum tradunt: Alii verò S S. Canici & Congalli æqualem faciunt. Tempora certè parùm cohærent: niſi fortè S. Eugenio (inter Macrobios illius ſeculi) iſtam tantam longævi-

pellat, *plenum gratiæ & virtutis Germano quidem ſuo ſecundum in celebri opinione, ſed, vitæ ſanctimonia, & juſtitiæ zelo fortè non imparem.* Obiit 1139, & Armachæ in cœnobio SS. Petri & Pauli ſepultus eſt.

Ardachæ, E. *S. Meli.* Eccleſia cathedralis Ardachadenſis meritò inter antiquiſſimas totius Hiberniæ numerata, à S. Melo Britanno, primo loci Epiſcopo fundata eſt. Fuit is S. Patricii è Darerca ſorore nepos, & ab ipſo S. Patricio (cujus etiam diſcipulus fuit) Epiſcopus conſecratus. Hunc *ex proprio labore manuum, more Pauli*, victum ſibi comparâſſe aſſerit Jocelinus, in vita S. Patricii, cap. 102. Obiit S. Melus anno ſalutis 488, Februarii die 6, quadriennio ante avunculum, & in Eccleſia ſua Ardachadenſi ſepultus eſt. Ardachæ nominis ratio ab editiori ſitu deducitur. Atque hujus nominis libentiùs hîc memini, quia *Ard* generali vocabulo loca editiora Hibernicè vocantur.

Raphoæ, E. *S. Eunani.* Cœnobium ibi loci fundavit S. Columba-*cille*, vir regio ſanguine, ad virtutem & literas natus: anteà quidem Crimthanus dictus; Columbæ verò nomen ſecundùm Adamnanum, (qui vitam ejus deſcripſit) *ob innocentiam*, ſecundùm veterem Ænguſiani Martyrologii Scholiaſten, eodem ſenſu, *ob ſimplicitatem* candidam obtinuit, alluſione fortaſsè factâ ad præceptum Servatoris noſtri, (Matth. X.) *Eſtote ergò prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ.* Hanc ſtructuram reſtauravit poſteà jam dictus Adamnanus, celebris ille

cœnobii

cœnobii Hyenſis Abbas, cujus magno cum honore meminit Beda venerabilis, Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ gentis Anglorum lib. 5, cap. 16, ubi *virum bonum* appellat, *& ſapientem, & ſcientiâ Scripturarum nobiliſſimè inſtructum*. Hujus cœnobii templum in Eccleſiam cathedralem erexit (ut videtur) S. Eunanus, qui primus exiſtimatur hujus ſedis Antiſtes. Quo tempore autem vixerit nullâ potui indagine invenire. Oſtendebatur Raphoæ, ſive (ut olim) Rathbothæ, non ita pridem lectus ejus. Ibi porrò turris erat, ſive pyramis, ut aliqui vocant, colli impoſita, in qua Epiſcopi Rapotenſes Muſæum olim habebant. Hujus Eccleſiæ Benefactor fuit egregius Patricius *Magonail* Epiſcopus Rapotenſis, circa annum Dom. 1360, qui porrò ædes Epiſcopales, in tribus Manneriis ad ſedem ſuam pertinentibus, conſtruxit. Locus nomen habet partim ab Hibernico *Rath*, quod ſepimentum militare denotat. Sed in reſidui nominis rationem inquirant alii.

Deria, E. S. Columbæ, De cœnobio à ſupradicto S. Columba Deriæ extructo, anno 545, jam antè egimus. Cæterùm, Eccleſia cathedralis Derenſis opus eſt multò recentioris temporis. Nam illius Diœceſeos Epiſcopus Ardſrathæ ad Dergum flu. primum cathedram habuit conſtitutam, ubi primus præfuit Epiſcopus S. Eugenius, quem aliqui S. Patricii diſcipulum, & ab eo Epiſcopum conſecratum tradunt: Alii verò S S. Canici & Congalli æqualem faciunt. Tempora certè parùm cohærent: niſi fortè S. Eugenio (inter Macrobios illius ſeculi) iſtam tantam longævi-

longævitatem adſcribamus. Fuit is Prædicator eximius & aſſiduus. Natus porrò dicitur Regio Lagenienſiũ ſanguine. Deceſſiſſe ferunt 23 die Auguſti an. 618,& in Eccleſiæ ſuæ cœmeterio ſepultus eſt, ſuprà cujus ſepulchrum, ſacellum poſteà ædificatum eſt. Ab Ardſratha ſedes Epiſcopalis Magheram tranſlata eſt, quæ S.Lurocho dicata, cujus feſtum agitur 17 Februarii : unde(ut opinor) Epiſcopi illius ſedis Rathlurienſes dicti ſunt.Circa annum tandem 1150, Mauritius,Hibernis appellatus Mureachus *O-Coffy* al.*Cóbthaig* Epiſcopus mutavit ſedem in Deriam. Is ex Canonico Auguſtiniano Epiſcopus factus dictus eſt etiam Epiſcopus de *Kenel-eogain* ſive *Tir-oen*, & Hovedeno impreſſo,ad an.1172,corruptè Charenſis. Vir ob eruditionẽ,humilitatem & erga egenos liberalitatem,ab Hiſtoricis plurimùm laudatus.Vixit uſque ad an. Dom.1173,vel 1174, quo defunctus 10 Februarii, in cœnobio S.Columbæ Deriæ, quod olim *Cellam nigram* vocabant,ſepultus eſt. Eo ſedente, an. 1164, Eccleſia cathedralis (ut ego intelligo)ſive *Eccleſia magna Derenſis*(ut in AnnalibusUltonienſibus appellatur) conſtructa eſt,Mauritio *Mac-Lochlin*Rege Hiberniæ & Flano *O-Brolchan* Abbate cœnobii S.Colũbæ Derenſis opus promoventibus. Non negandũ tamen ante Mauritiũ nonnullos ex Abbatibus Derenſibus dictos etiam ſimul Epiſcopos. Huic diœceſi,circa an.1266,adjunxit Germanus aliis Gelaſius *O-Cherballan* Epiſcopus itidẽDerenſis,(ut è RegeſtoClochorẽſi didici)*per potentiam nationis ſuæ de Kenel-eogain, Eccleſiã deArdſratha,cum pluribus aliis Eccleſiis de Opheacrach.*Has à ſede Clochorenſi eripuiſſe dicitur,dum David O-Brogan Epiſcopus Clochorenſis

chorenſis jaceret paraliticus in cœnobio Mellifontis, cujus Monachus aliquando fuerat, & in quo defunctus ſepultus eſt an. Dom. 1267. Dicitur porrò partẽ aliquã diœceſis Rapotenſis à Carbraco *O-Scoba* ordinis Prædicatorũ & Epiſcopo Rapotẽſi, circa idem tempus ſubtractã, diœceſi ſuæ adjeciſſe. Sedis hujus Epiſcopus an. 1420 fuit Gulielmus Quaplodus Carmelita, Bertrami *Fitz Allen* Carmelitæ itidẽ & viri eruditi Mæcenas, ut è Lelando liquet, in libro de Scriptoribus Britanniæ, id quod eo libentiùs hîc obiter annotavi, ut Balæi errorẽ patefacerẽ, qui Epiſcopũ Darenſẽ eũ facit, unũ ſc. è ſuffraganeis Archiepiſcopi Dubliniẽſis. Urbs ipſa à colonia, è Londino deducta *London-Dery* hodiè dicta, *Daire-Calgac* olim appellabatur, i.e. *Roboretũ Calgachi*, aliquãdo etiã *Daire-Columb-kill* & *de Luco*, & in antiquo Provinciali Romano, *Darrich*.

Clonæ, ſive Clonmacnoiſæ, E. S. Kiarani.

Cœnobiũ Clonmacnoiſæ, priùs *Tipraic* dictæ, prope Shenanum flu. in ipſo quaſi Hiberniæ umbilico ſive meditullio conſtruxit S. Kiaranus, ſive Ciaranus junior, ex Aradenſium familia ortus, ſed Boëtii al. Beonandi fabri lignarii filius, unde & vulgò dictus eſt *Mac-iteir*, ſive *filius Artificis*; locum concedente Dermitio Cervalli filio Rege Hiberniæ. Huic cœnobio ſecundùm plurimos, Kiaranus unico ſolùm anno, ſecundùm nonnullos verò (perperã opinor) annis ſeptẽ præfuit Abbas, morte ibi ereptus 5 Idus Septembris, anno Salutis per Chriſtũ 549, in ipſo ætatis flore, cùm annos vixiſſet ſolùm 33. Exequiis ejus tertiâ nocte inſequẽti interfuit S. Coëmgenus. Hymnũ in ejus laudẽ paulò poſteà compoſuit S. Colũba

amicus


amicus ejus. Hujus cœnobii Eccleſia poſteà, ſed quo tempore planè me latet, in Eccleſiam cathedralem commutata eſt. Non deſunt quidem qui S. Kiaranum Epiſcopum fuiſſe Clonmacnoiſenſem diſertè tradant. Hoc ſi verum, de Eccleſiæ cathedralis initio, non eſt cur ulteriùs diſquiramus. Ut ut fuerit, poſteriora tempora IX alias Eccleſias, in uno quaſi eodemque cœmeterio, duo plùs minùs jugera Hibernica ambitu colligente, ei ſubjecerunt. Ad occaſum hujus loci Præſules ædes Epiſcopales ædificârunt.

Eccleſia ipſa cathedralis multis certè olim poſſeſſionibus ditata fuit: Magnatum prætereà ac Epiſcoporum ſepulturâ, nec non Monumentis aliquot & Inſcriptionibus, partim Hebraicè partim Hibernicè inciſis, inprimis inſignis. Paulatim attamen decrevit & ad pudendam tandem redacta eſt paupertatem. In Synodo ſuprà memoratâ, anno 1152 habitâ, dum Cardinalis Paparo Legati munus in Hibernia obiret, inter ſedes Epiſcopales Provinciæ Tuamenſi ſubjectas, numeratur *Cinani*, quæ poſt longas contentiones, Romæ agitatas, inter Archiepiſcopos Armachanos & Tuamenſes Provinciæ Armachanæ tandem adjudicata eſt. Hanc ſedem jampridem è nominis affinitate, eandem eſſe exiſtimavi cum Cenanuſenſi, ſive Kenliſenſi. Sed dies diem docet: Nunc non poſſum non exiſtimare *Cinani* corruptè ibi legi pro *Cluana*, vulgò Clonmacnoiſa, tum ob vicinitatis rationem, ut quæ à Provincia Tuamenſi, Shenano fluvio ſolùm diſterminatur, tum quia in Diviſione antedicta Epiſcopatuum Hiberniæ, inter ſedes Provinciæ Armachanæ ſubjectas, habetur *Conna-*

nis,

nas, quæ eadem ſine dubio eſt cum Cenanuſa: Non enim veriſimile eſt unam eandémque ſedem in ea ſedium Diſtributione facta in Synodo, cui tot Præſules Hibernici interfuerunt, fuiſſe bis numeratam, & diverſis Provinciis aſſignatam. Clona ſive Cluaina *Latibulum* ſonat. De reſidui nominis ratione, ita Annales cœnobii Insfallenſis, ad annum Dom. 547, vel 548; *Hoc anno fundata eſt Cluain-mac-nois, id eſt, Nois-Muccaid rex Conatiæ, à quo nominatur Cluain.* Hactenus de Clona vetere; nunc veterem ejus faciem exhibemus,

Kilmoræ,


304
ECCLESIARVM &
Cœmeterij Clonmacnoiſæ
Deſcriptio.
A
B
C
D
E
F
G
H
I
K
A. Temple Kerian
B. Temple Ri.
C. Temple Coner.
D. Temple Kelley.
E. Temple Mc. Dermot.
F. Temple Harpan.
G. Temple Eſpic.
H Temple Gauny
I. Temple Killin.
K Temple Finian.
W. Hollar fecit.

Kilmoræ, E. S. *Fedlimidi.*

Poſt Clonmacnoiſam, memorabitur *Kilmora*, id eſt, ſi interpreteris, *Eccleſia magna*. Hujus diœceſis Epiſcopi ſtylo à Brefinia (regione ita dicta) mutuato, Brefinienſes aliquandò dicti ſunt, quandòque Triburnenſes, quia conſediſſe dicuntur in viculo quodam obſcuro Triburna dicto. Cæterùm, anno tandem 1454, Andreas (Bradæus opinor) Epiſcopus Triburnenſis Eccleſiam parochialem S. Fedlemidi al. Felimii Kilmoræ, quam locum commodiorem invenerat, Nicolai V Papæ aſſenſu, in cathedralem erexit, & in ea Canonicos XIII collocavit. Hanc erectionem confirmavit Caliſtus III, anno inſequenti: Et circa idem (ni fallor) tempus, Decanatus Kilmorenſis conſtitutus eſt. Ad S. Fedlimidum quod attinet, vixit is Seculo VI, & frater fuit, ut ferunt, S. Diarmitii Abbatis Iniſ-cloghranenſis. Obiit 9 die Auguſti. De anno non habeo quod certò dicam. Regeſtum Eccleſiæ Clochorenſis Epiſcopum eum facit Eccleſiæ Cluainenſis, quam, ad Lacum dictum *Lough-Ern* ſitam, nos vulgò *Clunes* dicimus, & ibidem cum S. Tigernacho, primo loci Epiſcopo, ſepultum tradit. Sed redeamus. Jam inde à novæ hujuſce fundationis initiis, ipſe Andreas ejuſque ſucceſſores non Epiſcopi Brefinienſes nec Triburnenſes, ut anteà, ſed Kilmorenſes appellati ſunt. Et videtur ſanè ipſam ſedem Brefinienſem vel Triburnenſem non antiquæ fuiſſe memoriæ; nam de ea nulla fit mentio in ſuprà memorata Diviſione Epiſcopatuum Hiberniæ, ut è codice cenſuum Cameralium Centii Camerarii, qui fuit poſteà Honorius III Papa, conſtat.

Hâc novâ Eccleſiæ cathedralis Kilmorenſis fundatione non obſtante, duos poſteà Epiſcopos ad Epiſcopatum Triburnenſem fuiſſe promotos oſtendit Lucas Waddingus, in tomo 8 Annalium Minorum, nempe Stephanum de Straboniza, & per ejus obitum, Fr. Bernardum 13 Junii 1509. Cæterum, cùm certum ſit Thomam Bradæum tunc temporis Epiſcopum fuiſſe Kilmorenſem, & è vita non migrâſſe ante annum 1511, admodùm probabile videtur eos ne teruncium quidem ex Epiſcopatu percepiſſe.

Dromoræ, E. S. Colmani.

Supereſt Dromora, quæ (ut à peritioribus accepi) *dorſum magnum collis*, ſive *clivum magnum* denotat.

(*Conveniunt rebus nomina ſæpè ſuis.*)

Hæc Eccleſia originem ſuam debet S. Colmano, *Aradeorum gente oriundo*, primo cœnobii Muckmorenſis apud Antrimenſes Abbati, deinde primo hujus ſedis Epiſcopo. Hunc Jocelinus, cap. 96, *Colmanelum* vocat: ſed *Mocolmoc* etiam dictum notat vetuſtus Ænguſiani Martyrologii Scholiaſtes. Claruit Colmanus Seculo VI. Quippe qui natus anno 516. Obiit 7 Idus Junii. Annum verò obitus ejus nondum invenimus. De hac ſede, in libro ſupradicto Centii Camerarii, (quod miror) nulla habetur mentio. Ideoque credibile videtur aliquot Seculis eam proprio caruiſſe Antiſtite. Et ſunt qui opinentur toto eo tempore, Diœceſi Archiepiſcopi Armachani fuiſſe incluſam. Neque comperi quidem Epiſcopum ibi loci aliquem ſediſſe, poſt ſæpè ſu-

prà

prà memoratam Diviſionem Epiſcopatuum Hiberniæ factam anno 1152, ante Gerardum monachum Ciſtercienſem cœnobii Mellifontis, qui (ut ex Archivis Arcis Londinenſis didici) electus aſſenſum Regium obtinuit 25 Aprilis 1227. Ex hujus Eccleſiæ Epiſcopis, non pauci poſteà Seculo XV, in Anglia plerúmque degebant, & temporis in hac Eccleſia, ob ejus (ut auguror) paupertatem, parùm aut nihil abſumebant. Speciatim, ſub Henrico IV Rege Angliæ, Richardus Meſinus Carmelita & ejus ſucceſſor Johannes quidam. Item ſub Henrico V, Nicolaus Wartre ordinis Minorum & David *de Chirbury* Carmelita, ac ſub Henrico VI, Thomas Scropus al. de *Bradley* Carmelita itidem, & Thomas Radcliffus. Priſtina Epiſcopatus hujus Dromorenſis paupertas ex Epiſtola quadam Octaviani de Palatio Archiepiſcopi Armachani ad Henricum VII Regem, intelligi poteſt, in qua annuos ejuſdem cenſus tunc temporis non valuiſſe aſſerit, ultra 40 marcas monetæ Hibernicæ. Hæc porrò moneta minoris tunc fuit valoris (ut ille ibi aſſerit) ex tertia parte quàm nummus *Sterlingus* dictus. Atq; ut Epiſcopatus erat tenuiſſimus, ita & parochiæ in eo perpaucæ, ſolùm nempe 23. Sed de Baſilicis Provinciæ Armachanæ hactenus. Ad eas Provinciæ Dublinienſis jam venio.

In Provincia Dublinienſi.

Loca & Tituli dedicationum.	Origines & aliæ Antiquitates.
Dublinii, Eccleſia S. Trinitatis, quæ vulgò Eccleſia Chriſti appellatur.	Hanc Eccleſiam, in Civitatis meditullio, Sitricus filius Amlavi Rex Oſtmannorum Dublinii & Donatus Epiſcopus Dublinienſis Canonicis ſecularibus conſtru-

xerunt, circa an. Salutis 1038. De hac fundatione, ita Liber niger ejuſdem Eccleſiæ: *Sitricus Rex Dublin. Filius Ableb comitis Dublin. dedit S. Trinitati & Donato primo Epiſcopo Dublin. Locum ad ædificandam Eccleſiam S. Trinitati, ubi fornices ſive voltæ ſunt fundatæ, cum terris ſubſequentibus,* viz. *Beal-dulek, Rechen, Portrabern, cum villanis, & vaccis, & bladis, necnon aurum & argentum ſufficienter ad ædificandam Eccleſiam, cum tota curia contulit.* Donatus hic, præter navem Eccleſiæ & collaterales ſtructuras, excitavit etiam à fundamentis Capellam S. Nicolai, in parte boreali, & Capellam S. Michaëlis, quam, qui illi, poſt aliquot ſecula, ſucceſſit, Richardus Talbotus in Eccleſiam erexit parochialem. Obiit tandem Donatus 6 Maii 1074, & in Eccleſia ſua ſepultus eſt. Canonicos ſeculares hujus Eccleſiæ Laurentius Archiepiſcopus Dublinienſis in Canonicos mutavit regulares ordinis Aroacenſis, circa annum Domini 1163. Laurentius hic, necnon

Richardus cognomento **Strong-bow** Comes *Strigulienſis*, Robertus filius Stephani & Reimundus Craſſus, ſive *le Gros*, Eccleſiam amplificare aggreſſi, Chorum ſuis ſumptibus ædificârunt, cum campanili & duabus capellis, una S. Ednundo Regi & Martyri, & S. Mariæ quæ dicitur alba, dicata, altera, S. Laudo. Inter Benefactores primarios, numerantur etiam Laurentii tres proximi ſucceſſores, Johannes Cominus ſcil. Henricus Loundres & Lucas quidam, qui ante infulas ſuſceptas Decanus fuit S. Martini Londini & Theſaurarius *Garderobæ*, ſive à ſyntheſi Henrico III Regi Angliæ. Neque prætermitti debet Johannes de S. Paulo illius itidem Sedis Archiepiſcopus, qui paulò ante obitum, obiit autem 9 Septembris 1362, totum Presbyterium, unà cum ipſa (quàm hodiè cernimus) cathedra Archiepiſcopali, ſuis ſumptibus extruxit. Saxo is coopertus marmoreo, æneis laminis ornato, tumulatus eſt, in ſecundo gradu, ante ſummum altare, ſicut in teſtamento ſuo mandaverat. Hujus Eccleſiæ Priorem & conventum Henricus VIII Rex Angliæ in Decanum & Capitulum convertit, anno 1541.

Dublinii, E. *S. Patricii.* Johannes Cominus (de quo ſuprà diximus) Eccleſiam hanc ſpecioſiſſimam S. Patricio dicatam in auſtrali Urbis ſuburbio, veteri parochiali Eccleſiâ ibidem demolitâ, conſtruxit & dotavit, circa annum Domini 1190, in qua XIII collocavit Præbendarios, qui numerus poſterioribus temporibus auctus eſt ad XXII. Is Bullam

etiam à Lucio III Pontifice obtinuit, datam *Velletri*, Idibus April. Indictione 15 1182, in quâ, inter alia privilegia Sedi Dublinienſi conceſſa, ita legimus; *Sacrorum quoque Canonum authoritatem ſequentes, Statuimus ut nullus Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, abſque aſſenſu Dublinienſis Archiepiſcopi, ſi in Epiſcopatu fuerit in Dioceſi Dublinienſi, Conventus celebrare, Cauſas & Eccleſiaſtica negotia ejuſdem dioceſis, niſi per Romanum Pontificem, vel Legatum ejus, fuerit eidem injunctum, tractare præſumat.* Exemplar hujus Bullæ habetur in antiquo Regeſto Dublin. vocato CREDE MIHI, fol. 80. b. Atque ex hoc privilegio, initium ſumpſit controverſia illa, ſive acris & diuturna concertatio inter Archiepiſcopos Armachanos & Dublinienſes. An Armachanus habuerit jus Primatiæ, Bajulationis Crucis, Appellationum & Viſitationum in Provincia Dublinienſi, quæ per aliquot annorum centurias poſteà duravit. Sed redeo. Collegiatam hanc Eccleſiam Comini proximus ſucceſſor Henricus *Loundres* ſive Londinenſis in cathedralem erexit, *unitam* (inquit Johannes Alanus Archiepiſcopus Dublin. ſub Henrico VIII) *cum Eccleſia cathedrali S. Trinitatis in uno ſponſo, ſalvâ alteri Eccleſiæ Honoris prærogativâ.* Gulielmum filium Guidonis primum ibi conſtituit Decanum. Præcentorem porrò, Cancellarium & Theſaurarium ordinavit, quibus prædia & rectorias aſſignavit. Capellam B. Mariæ ibidem extruxit poſteà Fulco de Samford ſucceſſorum unus, in quâ ipſe tumulo, ſtatuâ ejus ornato, conditus eſt anno 1271. Partem denique Eccleſiæ cathedralis incendio fortuito deformatam reſtauravit

vit Thomas Minot Archiepiſcopus itidem Dublinienſis, qui porrò campanile præcelſum è ſaxo quadrato conſtruxit, circa annum 1370, unde & in ſigillo ſuo uſus eſt poſteà imagine pontificali, quæ manu viſa eſt tenere campanilis effigiem. Atque hæc de hac Eccleſia, quæ ſive laxitatem ſpectemus, ſive egregiam ſtructuram & magnificentiam, cæteris Hiberniæ Eccleſiis cathedralibus, facilè (ut opinor) eſt præponenda.

Fernæ, E. S. Edani. Fernam urbem Brandubus Rex Lageniæ S. Edano al. Moedogo primo loci Epiſcopo contulit, & ſecundùm Biographos noſtros, Synodi magnæ conſenſu, Metropolim eam totius Provinciæ Lagenienſis conſtituit, circa annum Dom. 598. Qua de re, ſic antiquus vitæ ejuſdem Edani Scriptor: *Magna civitas in honore S. Moedog ibi crevit, quæ vocatur Ferna. Deindè factâ Synodo magnâ in terra Lagenenſium, decrevit Rex Brandubh. & tam Laici quàm Clerici, ut Archiepiſcopatus omnium Lagenenſium ſemper eſſet in Sede & cathedra S. Moedog. Et tunc S. Moedog à multis catholicis conſecratus eſt.* Deceſſit Edanus grandævus, die ultimo Januarii anno Dom. 632, & in Eccleſia ſua Fernenſi, quam ipſe fundaverat, ſepultus eſt. Ei ſucceſſit S. Molingus, dictus etiam Dairchilla, fuit enim binomius, qui (ut in vita ejus legimus) *conſtitutus eſt ipſe Archiepiſcopus, in Sede & cathedra S. Moedog. A Rege jam Lagenenſium Brandubh filio Eathac conſtitutum eſt, ut Archiepiſcopatus Lagenenſium in civitate S. Moedog eſſet. Ipſa civitas vocatur Ferna, quæ eſt in terra gen-*

tis Kenſelach. Is verò, diù ante obitum, Præſulatum abdicavit, & vitæ pertæſus eam depoſuit valdè ſenex, 17 Junii 697, Temolingi, ubi in cœnobio à ſe conſtructo, ſepultus eſt. Molingum, Braccanum, Patricium & Columbam, *quatuor Hibernicos Prophetas* appellat Giraldus Cambrenſis, Libro 2 Hiberniæ expugnatæ, cap. 33. ubi etiam eorum Libros ſuo tempore extitiſſe *Hibernicè ſcriptos*, aſſerit. Sed hoc obiter. Locus nomen habet (ut notat Colganus) à Ferna Heroe, Carili Regis Deſiorum filio, ibi in pugna per Gallum filium Mornæ interempto. Inter primarios Eccleſiæ Fernenſis Benefactores numeratur Johannes de S. Johanne, tam ob ſtructuras ſuas, quàm ob privilegia Sedi ſuæ comparata. Obiit is anno Dom. 1243, poſtquàm magna cum prudentiæ & integritatis laude ibi præfuiſſet annos circiter 21, eique bis ſucceſſit Galfridus de S. Johanne, (fortè frater ejus) primùm in Eccleſiæ Limericenſis Theſaurariatu, deinde in Epiſcopatu Fernenſi. Fuit porrò Galfridus ante Præſulatum, Hiberniæ *Eſcaetor.* Notandum hîc aliquos è jam dicti Johannis prædeceſſoribus, Joſephum *O-Hethe* nempe & Albinum *O-Mulloy* dictos fuiſſe interdum Epiſcopos Wexfordienſes, & eo uſos ſtylo in chartarum quarundam ſubſcriptionibus; Fortaſsè animo cathedram hanc Epiſcopalem ad Wexfordiam, opidum tunc temporis populi frequentia longè celebrius, transferendi. Hoc certè conſtat hunc Epiſcopatum in Bulla Lucii III Papæ ad Jo. Cominum Archiepiſcopum Dublinienſem, Weisfordenſem eſſe dictum.

Kildaræ,

Kildaræ, E. S. Brigidæ virginis.

Sanctus Conlæthus, quibuſdam Conlaidus, aliis Conlianus, primus perhibetur Darenſis Epiſcopus, & Eccleſiæ Cathedralis, à S. Brigida adjutus, fundator. In ejuſdem Brigidæ vita, à Cogitoſo deſcripta, is *Archiepiſcopus* & *Summus Pontifex* appellatur. Ultimum diem clauſit 3 *Maii* anno 519, & Kildaræ (quæ *Cellam Roboris* ſonat) in Eccleſia ſua, prope ſummum altare, ſepultus eſt. Ejus verò oſſa, 281 pòſt anno, *viz.* anno 800, in capſulam argenteam deauratam gemmiſque ornatam fuerunt tranſlata. Liber rubeus Comitis Kildarenſis (quo nixus fundamento neſcio) Lonium quendam primum fuiſſe loci Epiſcopum tradit, Ivorium ei ſucceſſiſſe,& Ivorio, Conlethum: Et ex eodem (uti creditur)libro,idem habet Richardus Stanihurſtus, in Anglica ſua Hiberniæ Deſcriptione,quæ in edito Holinſhedo extat. Sed uterque perperàm opinor. Multò probabilius eſt Conlæthum omnium primum ibi ſedem Epiſcopalem fixiſſe: id quod ita firmat Scriptor antiquus vitæ S. Brigidæ, lib. 2, cap. 11. *Conlianus Epiſcopus ſanctus & Propheta Domini qui habebat Cellam in auſtrali parte campi Liffi, venit in curru ad ſanctam Brigidam, & moratus eſt apud eam. Quem B. Brigida Epiſcopum elegit in ſua civitate Kildara.* In Eccleſiæ hujus ornatu & reparatione, non parvam impendit pecuniam Radulphus *de Briſtol*, Briſtoliæ (ut opinor) in Anglia natus,primus Eccleſiæ S.Patricii DublinienſisTheſaurarius,

rius, primuſque Anglici generis Epiſcopus qui in hac ſede collocatus eſt. Deceſſit ſub initium anni 1232, cùm ſediſſet annos vix 9. Eandem Eccleſiam fatiſcentem reſtauravit Edmundus Lanus Epiſcopus, regnante Henrico VII. Inter Epiſcopos ſuffraganeos Hiberniæ, ut in Conciliis & alibi primum habuit locum Epiſcopus Midenſis, ita ſecundum ſibi aſſeruit Epiſcopus Darenſis: Cæteri ſecundùm tempora ordinationum ſederunt.

Kilkenniæ, E. S. Canici. Sedes Epiſcopalis Offorienſis Saigeræ, quam hodiè *Seir-Keran* appellamus, in Elia Carolina primùm collocata eſt, ubi ſub medium Seculi quinti, primus præfuit Epiſcopus Kiaranus ſenior, vir magnæ auctoritatis, ob ſanctitatem & doctrinã. Quirinũ tamen eum fuiſſe, ad quem, & cæteros in Hibernia Epiſcopos, ſcripta eſt Epiſtolà 61 Gregorii I, quæ in Regeſto ejuſdem Gregorii, lib. 9. extat (licèt Kiarani eminentia, longævitas & nominis ſimilitudo quodammodò invitent) non audeo affirmare. Hæc ſedes Aghavoam in Oſſoria ſuperiore tranſlata eſt; ſed quo tempore incertum: fortaſsè tamen anno Dom. 1052, nam ad eum annum, ita Annales MSS. Lagenienſes: *Templum Achadboæ conſtructum eſt; & Canici Scrinium ibi collocatum.* Hic S. Canicus filius Laideci Poëtæ inſignis, vir doctus & induſtrius, primus fuit Abbas cœnobii Aghavoenſis à ſe conſtructi, in quo etiam defunctus, 5 Idus Octobris, anno Dom. 599, vel 600, annos natus 72. Scripſit is vitam S. Columbæ, & Hymnos aliquot prætereà in ejus laudem. Aghavoam, ſive, ut olim *Achadboam,*

boam, Adamnanus in vita S. Columbæ, lib. 1. cap. 4, *Campulum Bovis* interpretatur, & Scriptor vitæ S. Canici, *Agrum Boum*. Hinc verò cathedram tandem Kilkenniam, ſive Canicopolim tranſtulit Felix *O-Dullany* Epiſcopus Offorienſis, circa finem regni Henrici 2 Regis Angliæ. Is fundamenta videtur jeciſſe Eccleſiæ cathedralis Kilkennienſis, quæ tamen non abſoluta fuit, ante tempus Galfridi de S. Leodegario Epiſcopi; qui eam, ſumptu non exiguo, ante obitum ſuum qui incidit in annum 1286, perfecit, licèt ante eum, nonnulli è prædeceſſoribus, inprimis Hugo Mapiltonus, fabricæ ejuſdem Eccleſiæ ſtrenuè incubuiſſent. Nec hîc prætermittendus eſt Richardus Ledredus Minorita, ſucceſſorum unus, qui in ejuſdem Eccleſiæ ornatu & reparatione, magnum inſumpſit pecuniam, ſpeciatim omnes feneſtras de novo erexit & vitro obduxit, inter quas enituit feneſtra orientalis, opere tam eximio adornata, ut in univerſa Hibernia, par ei non inveniretur. Obiit Ledredus anno Domini 1360, & in Eccleſia ſua cathedrali, prope ſummum altare, ad latus Euangelii, tumulo conditus eſt. Tum, qui illi poſt annos 100 ſucceſſit David Hacketus, è polito ſaxo teſtudinem campanilis erigi curavit. Item Oliverus Cantwellus, ordinis Prædicatorum (qui mihi penè exciderat) ſub exitum Seculi XV, præter ædium ſuarum Epiſcopalium Aghoræ & Freinſtonæ & pontis majoris Kilkenniæ aquarum inundatione fracti reparationes, vicariis choralibus appropriavit Eccleſiam S. Mallæ.

His addamus amœniſſimum hujus Eccleſiæ ſitum, quæ è colle clementer edito, & urbem modicè ſubjectam, & fertiliſſimam regionem adjacen-

adjacentem, Neoro flumine irriguam, jucundiſſimè proſpectat.

Leghlinæ, E. S. Laſeriani. Ex Provincia Dubliniensi dicenda supereſt Leghlina, ubi Sedes cathedralis à S. Laſeriano, aliàs *Molaiſre*, filio Cairelli *de Blitha* conſtituta eſt. Educatus hic fertur ad ætatem uſque adultam, ſub S. Murino Abbate, cui mater, quæ filia erat (uti fertur) Regis Pictorum, illum inſtituendum tradidit. Poſteà Romam profectus, ibi 14 annos tranſegit, intereà D. Gregorium Sacras Scripturas exponentem audivit, & ab eodem demùm Presbyter ordinatus in patriam reverſus eſt. Brevi poſteà, Leghlinam pervenit, ubi S. Gobanus tunc præfuit Cœnobiarcha, qui ei cœnobium ſuum ſponte cedens, ſibi & monachis ſuis cellam alibi conſtruxit. Monachos 1500 Laſeriani regimini hîc ſubfuiſſe tradit Scriptor vitæ S. *Munnu*, qui porrò aſſerit Synodum magnam in *Campo albo* habitam fuiſſe, & magnam ibi ortam contentionem inter S. Laſerianum & S. *Munnu*, de feſto Paſchæ celebrando, die Dominico, an cum Hebræis, decima quarta Luna: Hâc verò Synodo habitâ, uti videtur, menſe Martio, anno 630, ſed ſine optato ſucceſſu finitâ, Laſerianus Romam uſque denuò iter ſuſcepit, ubi Honorius I *eum Præſulem conſecravit, & revertenti* (ut in vita ejuſdem Laſeriani legimus) *Legationis in Hibernia officium commiſit.* Nec irrito ſucceſſu, Nam poſt reditum in Patriam, Paſchalis obſervationis ritum, ad Honorii monita, in auſtralibus Hiberniæ partibus reformatum fuiſſe liquet. Vid. Bed. venerab. Hiſtor. lib.

lib 3. cap. 3. Mortem obiit S. Laſerianus 14 Kalendas Maias anno Dom. 638 vel 639. & in Eccleſia ſua ſepultus eſt. In Synodo Dublinii celebratâ, ſub Alexandro Bicknoro Archiepiſcopo Dublin. Dies obitus S. Laſeriani antedictus (quod obiter adnoto) necnon Dies obituum ſanctorum Patricii, Brigidæ, Canici & Edani, duplicibus feſtis, per Provinciam Dublinienſem, annumerati ſunt. Inter Eccleſiæ Leghlinenſis Benefactores primarios, habetur Burchardus Norwegus, Gurmundi filius, de quo ſuprà diximus. Fuerunt & nonnulli ex hujus ſedis Epiſcopis valde benefici, ſpeciatim Donatus, ſub adventum Henrici 2 in Hiberniam, & Gulielmus aliquando Archidiaconus Leghlinenſis, qui ſedere cœpit anno 1227, aliis 1229, & obiit 1251. Is porrò confirmavit Burgenſibus Leghlinenſibus prædia & privilegia, quæ Herlewinus prædeceſſor ejus iis conceſſerat. Nec prætermittendi, inter Benefactores, Joh. Mulganus Epiſc. ſub rege Henrico VI, & Matthæus Sanderus, ſub Henrico VIII. Leghlina vulgò *vetus Leghlina* dicta non procul abeſt à Baroo fluvio, quem Ptolemæus *Birgum* vel *Brigum* vocat. Mitto hîc Glendalacham, ubi olim erat ſedes Epiſcopalis, (ab Hovedeno, Biſtagnenſis dicitur, & in Bulla Lucii III, *Epiſcopatus Inſularum*) ſiquidem ea regnante Johanne, cathedræ Dublinienſi unita eſt.

In

In Provincia Caſſelienſi.

Loca & Tituli dedicationum.	Origines & aliæ Antiquitates.

Caſſeliæ, Eccleſ. S. Patricii.

POſt Ængúſæ (Nafrachi filii) Regis Momoniæ converſionem ad Chriſtianam religionem, S. Patricii prædicatione, populumCaſſelienſem S. Albei & ſucceſſorum ejus Juriſdictioni, qui Imelacæ (ad 12 à Caſſelia lapidem) ſederunt, aliquandiù ſubfuiſſe, non eſt cur dubitemus: quà de re poſteà pluribus, cùm ad Imelacam perventum fuerit. Quis autem primus fuerit Eccleſiæ Caſſelienſis Epiſcopus, haud facilè quis deſignârit. De Cormaci Culinani filio, Rege & Epiſcopo Caſſelienſi, ſub initium Seculi decimi, ſuprà fusè diximus. Is certè tanquàm fundator, vel ſaltem reſtaurator Eccleſiæ cathedralis vulgò habetur. Et memoria proculdubiò Antiſtitum Caſſelienſium ante eum, perquàm exilis ſupereſt. Eccleſiam ejus, poſt novam (ut auguror) reſtitutionem, ſolenniter conſecratam fuiſſe, & *S*ynodum ibi habitam annò 1134, tradunt Annales Prioratus Inſulæ omnium Sanctorum. Cæterùm Eccleſiam novam circa Anglorum ingreſſum, ſub Henrico noſtro ſecundo, à fundamentis ibi excitavit Donaldus O-Brien Rex Limericenſis, quam & prædiis ditavit, veteri Cormaci Eccleſiâ in capellam,

vel domum Capitularem, ad auſtrum Chori converſâ. Is porrò Sedi Caſſelienſi latifundia non pauca elargitus eſt, cui alia itidem in Tuemonia, poſteà contulit filius ejus Donatus cognomento *Carbrac*, & inter cætera, duas inſulas *Sulleith* & *Kiſmacayl* appellatas. Hanc donationem confirmavit Johannes Rex Angliæ, 6 Septembris 1215. Sed redeo. Poſt annos deinde plùs minùs 200, Richardus Hedianus Archiepiſcopus Caſſelienſis Eccleſiam hanc vetuſtate fatiſcentem reſtauravit. Aulam præterea vicariis ſuis choralibus conſtruxit, iiſque prædia quædam dedit vocata Grange-Connel & Baon-Thurlisbeg. Eccleſia ipſa extra urbem ſita, colle petroſo præcipitióque munita eſt, ſed ventis, ob ſublimem ſitum, nimis expoſita. In aſcenſu ad eam, ſaxum grandiuſculũ memini me juvenem vidiſſe, ad quod (uti ferebant incolæ) novus quiſque Rex Momoniæ, pro more, edicto publicè promulgato, olim declarabatur. Eſt & alia Caſſelia dicta olim *Caſſel-irra*, in Conatia, cui primus præfuit Epiſcopus S. Bronus, qui mortalitatem exuit anno 512, quod ideò hîc monendum duxi, quia non deſunt qui opinentur Bronum hunc Epiſcopum fuiſſe Caſſelienſem in Momonia.

Imelaca, E. S. Albei. Poſt Caſſeliam memorabitur Imelaca, al. Imleca-*Ibair*, Sedes Epiſcopalis antiquiſſima, in regione amœnâ & fertili ſita, & ampliſſimis olim ditata prædiis, ubi & urbs erat olim celeberrima, quæ tamen paulatim in exiguum viculum decrevit. Huic loco maximum fuit decus S. Albeus dictus alter Patri-

cius,& Momonienſiũ poſtPatriciũ ſecundusPatronus; qui dum Euangelicam doctrinam in Hibernia diſſeminaret,conatibus ejus ita Deus benedixit, ut quamplurimos ex nobilitate & plebe, tam docendo, quàm vitæ exemplo, ad fidem Chriſti converterit. Totâ demum Inſulâ his pietatis officiis, peragratâ, Eccleſiam ſuam cathedralem fixit tandem Imelacæ, juxta Lacum jam ferè exiccatum. Author antiquus mihi anonymus, qui vitam S. Colmani Dromorenſis Epiſcopi deſcripſit, *Epiſcopum* vocat *Imblicenſem, ſapientem ac religioſum virum*. Addit porrò *Colmanum apud eum divinarum ſcripturarum ſtudiis, jejunio, & orationi atque vigiliis ſedulè inſiſtentem, aliquot annis docilem manſiſſe*. Verumenimverò, S. Albeum totius Momoniæ conſtitutum fuiſſe Archiepiſcopum, his verbis diſertè aſſerit vitæ S. Declani Scriptor, adhuc (ut opinor) ineditus: *Commanentes in civitate Caiſſyl, S. Patricius, S. Albeus, ſanctuſq; Declanus, cum multis ſanctis ſuis diſcipulis, apud Regem Enguſam, multa bona rigoris Chriſtiani conſtituerunt. Et ibi Rex Ænguſa & S. Patricius cum omni populo ordinaverunt Archiepiſcopatum Mumeniæ in civitate & in ſede S. Albei, (qui tunc ab eiſdem Archiepiſcopus ordinatus eſt) per Seculum.* Ita ille. Item Scriptor vitæ S. Albei; *Cùm B. Albeus* (inquit) *audiſſet quod Patricius Regem Memonenſium Enguſſum filium Nefrich converteret ad Chriſtum, & eſſet cum eo in civitate Caſſel. Venit ut eos ſalutaret. Rex autem & Patricius gaviſi ſunt in adventu Albei, & ille eſt gaviſus eos videns. Ibi verò accepit Patricium Magiſtrum ſuum S. Albeus, quia valdè erat humilis. Tunc Rex Enguſ & Patricius ordinaverunt, ut in civitate & cathedra S.*

Albei

Albei eſſet Archiepiſcopatus omnium Memonenſium ſemper. Quo tempore S. Albeus Euangelium in Hibernia prædicare cœperit, controvertitur. Sunt qui tradant in Chriſtiana religione propaganda, operam ibi ſedulò eum navâſſe, ac multos ad Chriſti fidem convertiſſe, ante Sancti Patricii adventum in Hiberniam. Sed nos illorum ſententiæ adhæremus, qui eum S. Patricio poſteriorem ponunt. Vide, ſi placet, quæ diximus in Annotationibus noſtris ad Opuſcula S. Patricii: quibus & hîc addere liceat Albeum Presbyterum ordinatum ab ipſo Sancto Patricio, id quod docet Tirechanus Scriptor antiquus, Libro 2, de vita Sancti Patricii. Item è jam dicta vita Sancti Albei intelligimus puerum eum fuiſſe, dum Palladius à Celeſtino Pontifice miſſus in Hibernia moraretur, & ab eo baptizatum. Palladium verò in Hiberniam perveniſſe anno Domini 431, unico ſolùm anno ante S. Patricium, doctis ſatis eſt notum. Sed hæc obiter. Hic talis tantuſque vir deceſſit tandem grandævus, integris tamen animi & corporis ſenſibus, 12 Septembris anno Domini 527, vel, ut alii volunt, 541, & in Eccleſia ſua Imelacenſi ſepultus eſt. Imelacam direptam, & mitram S. Albei, ibi magnâ curâ, per multa ſecula aſſervatam, à latronibus combuſtam fuiſſe anno 1123, tradunt Annales Ultonienſes. Huic ſedi tunc præfuit Mælmorda Epiſcopus, qui fugâ evaſit. Ad reparationem & ornatum Eccleſiæ, poſt annos deinde 120, (nam intermediis temporibus nihil ad

 remi

rem comperi) Chriſtianus ſucceſſorum unus valdè intentus fuit. Obiit is anno 1249. Imelacæ etiam Collegium neſcio quod erexit Thomas Hurlæus Epiſcopus, tempore Regis Henrici VIII.

Limerici, E. B. Mariæ Virg. Hanc Eccleſiam cathedralem extruxit & dotavit Donaldus *O-Brien* Rex Limericenſis, (de quo ſuprà, in Caſſelia,) circa Anglorum adventum in Hiberniam. Eſt verò Limerici ædes ſacra vulgò dicta S. Munchini Eccleſia, nunc parochialis, ſed olim (ut ferunt) cathedralis, à S. Munchino primo Limericenſi Epiſcopo fundata & ab Oſtmannis poſteà reſtaurata. De hac re quærant alii. Quis autem iſte Munchinus fuerit non parva quæſtio eſt. Sunt qui opinentur hunc eſſe illum Mancenum quem Jocelinus, cap. 59, *virum* appellat *religioſum & optimè in Scripturis exercitatum*, quémque S. Patricium Amalgaidi Regis Conatiæ *populo*, à ſe tum *noviter ad Chriſtũ converſo*, præfeciſſe aſſerit. Sunt alii qui minùs probabiliter cum Mancheno illo confundant, quem Annales Ultonienſes Abbatem vocant *de Mene-drochit*, & obiiſſe docent anno 651, vel 652. Hujus Mancheni obitus memoria deſignatur; ſub nomine *Manichæi ſapientis Hibernienſis*, in Libris de Mirabilibus Scripturæ, à quibuſdam S. Auguſtino perperam adſcriptis. Non abhorret nomẽ, & tempora exactè conveniunt. Vid. lib. 2 cap. 4. tom. 3. Operum S. Auguſtini. Feſtum S. Munchini Limericenſis agitur die 1 Januarii. Poſt Munchinũ, inter Epiſcopos hujus ſedis celeberrimus fuit *Gille* al. Gilbert. in Hibernia Legatus Pontificis,

cujus

cujus extat *de ſtatu Eccleſiæ* libellus circa annum Domini 1130 deſcriptus. Sed redeo ad Eccleſiam cathedralem Limericenſem, cui, ſub initium Seculi XIII, valdè beneficus fuit Donatus *O-Brien* loci Epiſcopus. Inter alia, Decano & Capitulo Præbendas aſſignavit, ac de Eccleſiæ ſuæ Liturgia, & Canonicorum privilegiis, Conſtitutiones quaſdam ordinavit. Porrò is fuit (niſi me fallo) qui Decanatum ipſum & Capitulum erexit: Atque ut illuſtris fuit genere, ita eruditione, prudentiâ & liberalitate illuſtrior. Ejus operâ multùm uſus eſt Rex Johannes in rebus ſuis Hibernicis; Et officium certè ſibi demandatum, eâ fide & ſolertiâ exequutus eſt, ut magnam inde gratiam apud Regem comparaverit. Numerum Præbendarum auxit poſteà Hubertus de Burgo Epiſcopus itidem Limericenſis, qui deceſſit 14 Septembris 1250. Proximus ejus ſucceſſor Robertus de Imelaca Decanatui appropriavit *Eccleſiaſtica beneficia de Carnarthy & Rathſiward*, ut ex Eccleſiæ Limericenſis Regeſto didici. Neque hîc prætermittendum, ſub exitum Seculi XII, vel initium inſequentis, Epiſcopatus Limericenſem & Cathayenſem, ſive *de Inſula Gatha* coaluiſſe. Urbs ipſa totius Momoniæ pulcherrima hodiè vulgò Limericum nuncupatur, olim verò Lumniacum & Hibernicè *Lumneach*, unde & loci Epiſcopi Lumnicenſes vel Lumnicani olim dicti. Quò ſpectat Diploma hoc à jam dicto Donaldo, circa annum 1194, Brictio Lumnicano ſive Limericenſi Epiſcopo conceſſum: *Domnaldus Rex Lumnicenſis, Univerſis Dei fidelibus tam præſentibus quàm futuris, Salutem. Non lateat Univerſitatem veſtram me donâſſe Brictio Lumnicano*

*Epiſcopo, ſuiſque ſucceſſoribus, Cleróque S. Mariæ Lumnicæ, in liberam & perpetuam eleëmoſynam, terram *Imungram, & terram Ivamnacham, ab arcu videlicet Imungram, uſque ad terram Imalin, & à vado Ceinu, uſque ad flumen Sinan, cum omnibus appenditiis ſuis. Ut autem rata ſit hæc eleëmoſyna, Sigilli mei impreſſione eam confirmo. Teſte Domino Matthæo Caſſil. Archiepiſcopo, & Ruadri ua Gradei.* Civitatis maximã partem; diviſo alveo, circumluit Shenanus Hibernicorũ fluminum præcipuus, Ptolemæo Senus, de quo Alexand. Nechamus,

* Hodiè *Mungaret.*

Fluminibus magnis lætatur Hibernia, Sineus
Inter Connatiam Momoniámque fluit:
Tranſit per muros Limerici, Knock-Patric *illum*
Oceani clauſum ſub ditione videt.

Caſtro præterea, tormentis majoribus inſtructo, urbs munita eſt, & mœnibus firmiſſimis obvallata, præſertim quà flumine non defenditur. Sed hoc obiter. Sunt qui *Lumneach* interpretentur *locum denudatum ex paſtu equorum.* Quàm verè viderint alii.

Waterfordiæ, E. S. Trinitatis.

Oſtmannis Waterfordienſibus, poſtquàm religionem Chriſtianã amplexi fuiſſent, conſultum tandem viſum fuit urbi Epiſcopum præficere. Ad hoc itaque munus, Malchum quendam virum probum delegunt, monachum quandoque Benedictinum Wintonienſem, & in Angliam mittunt anno Dom. 1096, ab Anſelmo Archiepiſcopo Cantuarienſi conſecrandum. Literarum in ejus gratiam conſcriptarum exemplar extat apud Eadmerum, in

in Hiſtoria ſua Novorum. Malcho deinde conſecrato & Waterfordiam reverſo, Eccleſia hæc cathedralis ab eo & Oſtmannis popularibus ſuis conſtructa eſt. Prædiis eam poſteà, Johannes Rex Angliæ, ſub initium Seculi XIII, ditavit, cujus porrò tempore, (ut opinor) Eccleſia Waterfordienſis primum habuit Decanum. Poſſeſſiones Decani & Canonicorum ſigillatim expreſſas confirmavit Innocentius III Papa, anno 1210, ut ex ejus Epiſtolis, à Franciſco Boſqueto, J. C. Toloſæ Tectoſagum editis anno Dom. 1635, intelligimus. Eccleſiæ chorum & preſbyterium teſtudine ſive laqueari fornicato ornârunt Nicolaus Cominus Epiſcopus & Robertus Lombardus Decanus, anno 1522. Neque hìc omittendum Decanum & Capitulum hujus Eccleſiæ anno 1463, ab Edwardo IV rege Angliæ, *in augmentationem divini cultus ibidem* (uti verba ſunt chartæ) facultatem impetrâſſe fundos acquirendi ad annuum valorem 100 marcarum. Hactenùs de Eccleſia cathedrali, quæ ut originem ſuam debet Oſtmannis, ſic & ipſa civitas Waterfordia, quæ ad Surii nobiliſſimi fluminis ripam auſtralem ſita, inter celeberrimas totius Hiberniæ meritò connumeranda eſt, ſive opes & frequentiam ſpectemus, ſive portus oportunitatem. Ad nominis Etymon quod attinet, exoticam planè oſtendit originem; Nam Fluminis vel aquæ trajectum ſonat: Hibernis autem & Britannis *Portlargi* vocatur.

Liſmoræ, E. S. Carthagi.

Sanctus Carthagus vulgò dictus *Mochudu*, patriâ Momonienſis, Abbas fuit primùm celeberrimi cœnobii Rathenienſis, ubi & præ-

fuit

fuit annos 40, ſed ex eo tandem à Blatmacho Rege pulſus, primus Eccleſiæ Liſmorenſis evaſit Epiſcopus. Eccleſiam cathedralem, nec non Scholam inſignem ibi conſtruxit, in qua multi olim Philoſophiam veram profitebantur. Mortem obiit poſt multa ſanctitatis edita ſigna, 14 Maii anno 638, vel, ut alii habent, 637, & Liſmoræ, (quæ Sepimentum magnum ſignificat) in Eccleſia ſua ſepultus eſt. Scholam Liſmorenſem ad tempus rexiſſe dicitur S. Cataldus, poſteà Tarentinus in Italia Epiſcopus, ad quam *undique ex finitimis ac remotis regionibus, innumeros penè homines* confluxiſſe refert in ejus vita, Bartholomæus Moronus, id quod oſtendit etiam ejuſdem Cataldi Officium. Cæterùm hinc inter alia colligere licet Cataldum non anno 170, ut Moronus habet, neq; ſub initium Seculi ſexti, ut Alexander ab Alexandro & Antonius Caracciolus volunt, ſed ſub medium potiùs Septimi claruiſſe, poſt obitum nempe S. Carthagi Scholæ Liſmorenſis fundatoris. Hanc opinionem firmat multitudo ea credentium in Hibernia, S. Cataldi ævo, à Morono memorata, quæ ad Seculum ſecundum ſine dubio referri non poteſt. Siquidem Hibernia, eo Seculo & diù poſteà, Ethniciſmi tenebris obvoluta jacuit, Sed hæc obiter. Eccleſiam cathedralem reſtauravit Cormacus filius Mureti Rex Momoniæ, circa an. 1130. Vicarios chorales ibi primus inſtituit & dotavit Griffinus *Chriſtophori* Epiſcopus Liſmorenſis, circa annum 1230. De tempore erectionis Decani & Capituli nihil mihi conſtat. Librum habuit hæc Eccleſia lectiſſimum, de ejus Juribus, & Benefactorum Donationibus, quem compoſuit Thomas Purſellus Epiſcopus Liſmorenſis

moreńſis & Waterfordienſis, anno Dom. 1487. Atqui, magno Eccleſiæ detrimento, Liber ille igne fortuito combuſtus eſt, circa annum 1612. Hæ duæ Sedes, Liſmorenſis inquam & Waterfordienſis *realiter* (ut loquimur) unitæ fuerunt & conjunctæ ab Innocentio VI Pontifice, anno 1363. Primus utriúſque Sedis Epiſcopus poſt unionem fuit Thomas quidam, qui è Canonico Liſmorenſi factus eſt Liſmorenſis Epiſcopus an. 1358, & Rogero Cradoco Minoritâ Epiſcopo Waterfordienſi ad ſedē Landavenſem in Wallia tranſlato an. 1362, utriúſque ſedis unionem, à jam dicto Innocentio VI, paulò poſteà obtinuit. De antiqua Urbis Liſmorenſis celebritate, Corollarii loco, audi vetuſtum vitæ S. Carthagi ſcriptorem; *Egregia & ſancta civitas eſt Leſmor: cujus dimidium eſt Aſylum, in quo nulla mulier audet intrare, ſed plenum eſt Cellis & Monaſteriis ſanctis: Et multitudo virorum ſanctorum illic manet. Viri autem religioſi ex omni parte Hiberniæ, & non ſolùm, ſed ex Anglia & Britannia confluunt ad eam, volentes ibi migrare ad Chriſtum. Et eſt ipſa civitas poſita ſuper ripam fluminis quondam dicti Nem, modo autem Aban-mor, id eſt amnis magnus, in plaga regionis Nan-Deſi.* Hunc fluvium Ptolemæus *Dauronam* vocat, Nechamus *Avenmor*, de quo ita ille;

Urbem Liſmor *pertranſit flumen* Avenmor,
Ardmor *cernit ubi concitus æquor adit.*

Nunc Anglis alicubi **Broad-water**, i. Aqua lata, alicubi **Black-water**, ſive Aqua nigra dicitur. Adeò verum eſt illud Claudiani, lib. 2, in Eutropium;

——Quid non longa valebit
Immutare dies? &c.

Ardmora ipſa, ab editiori ſitu ſic dicta, Sedes etiam olim erat Epiſcopalis, à S. Declano primo loci Epiſcopo, in Eccleſiæ Hibernicæ infantiâ conſtituta, ſed poſt Anglorum adventum in Hiberniam, cathedræ Liſmorenſi unita.

Corcagiæ, E. S. Barri, al. Finbarri.

Proxima dicetur Corcagia, ubi S. Barrus, aliàs Finbarrus, ſive Barrus albus, dictus etiam anteà Lochanus, in Conatiâ ortus, primus præfuit Epiſcopus. Eccleſiam cathedralem is ibi loci fundavit ineunte Seculo VII, & cùm annos ſediſſet 17, vel ſecundùm alios ſolùm 7, Clonæ, quæ Corcagiâ 15 circiter milliaria diſtat, 7 Kalendas Octobris, amicis circumſtantibus, placidâ morte obiit: Quo autem anno obierit non eſt omninò certum. Corpus ejus Corcagiam deportatum, ibi in Eccleſia ſua, honorificè ſepultum eſt, & Oſſa, neſcio quàm diù poſteà, capſulæ argenteæ indita. Ejus eſt Epiſtola Alcuino attributa, de Ceremoniis Baptiſmi, ſi Dempſtero credimus. In cœmeterio eſt campanile à Templo parùm diſtans, quod aliqui exiſtimant Oſtmannorum Corcagienſium fuiſſe opus, & pro ſpecula vel loco ubi excubiæ agebantur ab iis primùm uſitatum. Inter Benefactores Eccleſiæ primarios, numerantur Gilla-Æda O-Mugin Epiſcopus Corcagienſis, qui naturæ debitum perſolvit valdè ſenex, an. Dom. 1173, ejuſque proximi ſucceſſores Gregorius & Reginaldus. In hoc tractu Ptolemæi ætate

Coriondi

Coriondi habitârunt, eorúmque nominis veſtigia quædam retinere videtur Corcagia, quæ & olim dicta Corcagia magna, niſi quis malit ab Hibernico Corcac, quod locum paluſtrem ſonat, fluxiſſe. Notandum hîc veteribus Hibernicis uſitatiſſimum, ut C literam in fine dictionis, in aſpirationem verterent, & aliquando etiam in initio dictionis.

Clonæ, E. *S. Colmani.* Colmanus ille filius Lenini, S. Finbarri diſcipulus, vir doctus & pius, primus fuit Eccleſiæ Clonenſis Epiſcopus & Fundator. Conſtructionis hujus fit mentio, in vita S. Brendani Abbatis Clonfertenſis, his verbis; *Erat hic Colmanus filius Lenini vitâ atque doctrinâ, inter ſanctos, præcipuus. Ipſe fundavit Eccleſiam Clonenſem, quæ eſt hodiè cathedralis & famoſa in partibus Momoniæ.* Claruit is Seculo VI, ſed placidè tandem in Domino obdormivit, an. 604, Novembris 4. Hanc ſedem per obitum Adami *Pay*, vel *Py*, vacantem an. 1430, Martinus V Papa contulit Jordano Cancellario Limericenſi: Et Jordanus hic non ita diù poſteà, poſt obitum nempe Milonis Epiſcopi Corcagienſis, realem utriúſque Sedis unionem obtinuit. Clona latibulum ſonat. Hæc in antiquo Provinciali Romano *Cluain-vanian*, ab Hiſtoricis Hibernicis *Cluain-vama* appellata, in agro Corcagienſi ſita eſt, non longè à mari Vergivio. Expoſitionem poſterioris partis dictionis, ſc. *vama*, meliùs inſtructis relinquo. Ex hujus ſedis Archivis antiquis, nunc ſolùm (quod ego ſciam) ſupereſt *Rotulus*, quem *Pipam Colmani* vocant, inchoatus anno

anno 1364, tempore Johannis Swafhami Carmelitæ, S.T.D. tum Clonenſis, poſteà Bangorenſis in Wallia Epiſcopi.

Roſſæ, olim Roſs-ailithri, *E. S. Fachnani.* Sanctus Fachnanus, *vir ſapiens & probus*, (ut eum vocat Scriptor vitæ S. Mocoëmogi) claruit ineunte Seculo VI. De eo, ejuſque cœnobio & nobili Schola Roſſenſi, prope mare Vergivium, alibi diximus. Quandò autem Eccleſia cathedralis ibi erecta fuerit, aut quis primus extiterit ejuſdem Epiſcopus, haud certò conſtat. Non poſſum tamen non exiſtimare Fachnanum ipſum primum fuiſſe Epiſcopum Roſſenſem & Eccleſiæ illius cathedralis fundatorem. In Martyrologio certè antiquo, ad 14 diem Auguſti, quo die memoria ejus celebratur, Epiſcopū eum diſertè appellatū comperi. De antiquis hujus Sedis libertatibus, *Wreccis Maris* ſc. ſive naufragiis, &c. Vide Inquiſitionem, in Archivo *Curiæ Capitalis Banci*, Dublinii, an. 29. Edwardi I, membr. 21. a, in cauſa Laurentii Epiſcopi Roſſenſis. Atq; obiter hîc notamus *Ros* viridantem planitiem, vel, ut alii volunt, ericetū ſignificare, & *ailithri*, peregrinationē, quòd locus olim peregrinationibus frequentabatur.

Laoniæ, E. S. Flannani. Laonia vulgò *Killaloe*, ad occidentalem Shenanii ripam ſita, (non procul à cataractâ, quâ fluvius impeditur, quò minùs ulteriùs navigia deferat) nomen habet à S. Molua Abbate, qui ibi aliquandiù vixit, ſub finem Seculi VI. Atqui ejus diſcipulus S. Flannanus Theodorici Regis filius, Romæ à Jo-

hanne

hanne IV. Pontifice conſecratus, primus fuit hujus ſedis Epiſcopus. Eo ſedente, Pater ejus Theodoricus Eccleſiam Laonenſem multis prædiis dotavit, ac mortuus tandem annorum plenus, in eadem, à filio Flannano, ſolenniter ſepultus eſt. Inter hujus Eccleſiæ Benefactores, numeratur etiam Moriertachus *O-Brien* Rex Hiberniæ, qui è vita migravit 6 Idus Martii 1120, & ſicut vivus mandaverat, in eadem Eccleſia ſepultus eſt. Nec ſilentio præteriri debet, ex eadem familia, Donaldus *O-Brien* Rex Limericenſis, de quo ſuprà, ob largitiones non ſolùm huic Eccleſiæ, ſed quamplurimis etiam aliis conceſſas, ab Hiſtoricis multùm celebratus. Sub finem Seculi XII, Sedes antiqua Roſcræenſis huic cathedræ adjecta eſt & unita. Ibi Johannes Rex Angliæ caſtrum erexit, ex aſſenſu Cornelii *O-Heney* Epiſcopi Laonenſis: Sed ipſum Mannerium Roſcræenſe permutavit poſteà Matthæus *O-Hogan*, unus è Cornelii ſucceſſoribus, cum Edwardo I Rege Angliæ anno Dom. 1280, pro prædiis quibuſdam prope novum Caſtrum in agro Dublinienſi, quæ anno pòſt 148, videlicèt anno Domini 1428, qui tum præfuit Epiſcopus, Donatus *Mac-Cragh* permutavit cum Gulielmo *fin* (ſive albo) *fitz-Reuber*, pro villa de Hamonſton, apud Limericenſes. Mannerium verò Roſcræenſe (ut ad illud redeamus) Edwardus Primus, anno 1281, Edmundo Butlero contulit, poſteà comiti Carickiano. Utcúnque, hâc utriúſque Sedis unione, Diœceſis Laonenſis, admodùm ſpatioſa evaſit, ita ut 116 plùs minùs Eccleſias parochiales præter capellas contineret. Ad Eccleſiæ Roſcræenſis primordia quod attinet, certiſſimum eſt

eſt S. Cronanum Epiſcopum, vel, ut alii volunt, Abbatem primum ejus fuiſſe conditorem. Frontiſpicium ejus ad occaſum (pro loci paupertate) ſatis ſpecioſum eſt.

Ardfertæ, E.
S. Brendani.

Sedes hæc Epiſcopalis ſita eſt in Kerria regione, olim Kerrigia dicta, quæ patria fuit S. Brendani Abbatis Clonfertenſis, cujus memoriæ hæc Eccleſia dicata eſt. Is ab ineunte ætate, in hac ſua patria; bonis literis, ſub Erto Epiſcopo, operam dedit, donec adultus, impetratâ veniâ, in Conatiam profectus eſt, ad S. Járlathum Epiſcopum, ſub quo, Theologiæ ſtudio naviter ad tempus incubuiſſe dicitur. Orationis longiuſculæ S. Brendano attributæ exemplar habeo MS. cujus initium eſt: *Deus omnipotens, Pater, Filius & Spiritus Sanctus.* Id quod à me libentiùs hîc memoratur, quia Oratio ipſa nondum typis mandata eſt. Atque hæc de S. Brendano. An verò Ertus ille hujus Eccleſiæ fuerit Epiſcopus, non facilè judicari poteſt. Fuiſſe tamen vix eſt cur non exiſtimemus, donec tempus veritatem in lucem extrahat. Habitatio ejus fixa in Kerria hoc innuere videtur: Et ipſos Epiſcopos Ardfertenſes (ut hoc non omittam) nonnunquàm Kerrienſes dictos, tam ex Hiſtoricis Hibernicis, quàm ex Archivis publicis didici. *Ardfert* ſignificat locum editum mirabilem, vel ut alii interpretantur, Altitudinem miraculorum. Sed vulgò nunc dicitur *Ardart.*

Fenaboræ,

Fenaboræ, E. S. Fachnani.

Poſt has, recenſebitur Fenabora, vulgò Kilfenora, in agro Clarenſi (olim Tuemonia) ſita, in Baronia nempe de Corcumro, Oceano occidentali pulſata. Hujuſce Sedis Epiſcopum dictum etiam Corcumrothenſem notat Johannes Clinnus, in Diviſione Sedium Epiſcopalium, ad finem Annalium ſuorum. Quo tempore, & à quo condita fuerit Eccleſia cathedralis, nihil (quod ſciam) certi extat. Suſpicetur fortaſsè aliquis S. Fachnanum, de quo ſuprà, eam primùm excitâſſe. Qua de re quærant alii. Epiſcopatus iſte, ut totius Hiberniæ minimus, cui nempe 13 tantùm parochiæ ſubjectæ, ita & inter pauperrimos ſemper numeratus eſt. Ad reliquas Baſilicas inſtituto ordine, jam pergamus.

In

In Provincia Tuamenſi.

Loca & Tituli dedicationum.	*Origines & aliæ Antiquitates.*

Tuamæ, Eccleſ. B. Mariæ Virg. Primus Epiſcopus qui Tuamæ (olim *Tuaim-da-gualànd*) ſedem fixit cathedralem, fuit S. Jărlathus Logæ filius, qui claruit ſub initium Seculi Sexti. Quippe qui S. Brendani Abbatis Clonfertenſis Præceptor fuit, ut ex ejuſdem Brendani vitâ intelligimus, vir doctus, & in quo pietas & morum candor cum doctrinâ certabant. Deceſſit dierum plenus 26 Decembris, ſed quo anno non comperi. Extant ſub ejus nomine vaticinia quædam, de ſucceſſoribus ſuis in ſede Tuamenſi, quorum exemplar habeo MS. ſed quam fidem mereantur, aliorum ſit judicium. Oſſa ejus, diù poſt obitum, quæſita & inventa, in Scrinium argenteum tranſlata ſunt, & Tuamæ repoſita in Eccleſia ſive Capella, quæ inde vulgò dicta eſt *Temple-ne-ſcrin*, id eſt, Templum Scrinii. Poſt aliquot deinde Secula, videlicèt circa annum Dom. 1152, Eccleſiam cathedralem de novo condidit, à Tirdelvaco O-Conner Rege Hiberniæ adjutus, Edanus O-Hoiſin primus Archiepiſcopus Tuamenſis, ſaltem qui primus pallio uſus eſt, Nam aliqui è prædeceſſoribus ejus, ab Hiſtoricis Hibernicis, paſſim appellati ſunt Archiepiſcopi, quamvis Pallio non induti.

duti. Edanus hic, ob morum ſuavitatem celebratus, obiit ſenex anno Dom. 1161, & in Eccleſia ſua cathedrali conditus eſt, ubi, ſaxo quo tegitur, Epitaphium Hibernicè inſcriptum legitur, in quo Järlathi *Comorbanus*, ſive ſucceſſor appellatur. Cæterùm hanc Eccleſiam Edani ſucceſſores, novo conſtructo Choro, in navem Eccleſiæ poſteà converterunt. Inter eos, Thomas O-Conner Eccleſiæ valdè beneficus fuiſſe perhibetur: qui porrò ſedi ſuæ, ab Henrico III Rege Angliæ, nundinas impetravit, Tuamæ quotannis 28 Decembris & 7 diebus inſequentibus habendas. Ad Sedes quod attinet quæ Cathedræ Tuamenſi unitæ fuerunt, Prima erat Maionenſis, ſive Magionenſis, tempore Felicis Ruadani Archiepiſcopi annexa, poſt obitum nempe (ut opinor) Celeſtini aliàs *Cœle O-Dubhai* Epiſcopi Maionenſis, qui obitus contigit anno Domini 1210. Secunda, Enaghdunenſis; Atqui ante ejus realem unionem, diuturnæ erant olim contentiones inter Archiepiſcopos Tuamenſes & alios, qui ejus etiam Eccleſiæ jus ſibi vendicabant. Lis primùm enata eſt poſt mortem Thomæ *O-Maley* Epiſcopi Enaghdunenſis. Eo enim defuncto anno 1250, Florentius Mac-Flin, eodem an. à Cancellariatu Tuamenſi ad Archiepiſcopatum promotus, *intravit in Epiſcopatum Enaghdunenſem, ſede vacante, de licentia Canonicorum Enaghdunenſium: & retinuit, toto tempore ſuo, temporalia & ſpiritualia dicti Epiſcopatus*, ut è Rot. Placitor. an. 34. Edw. 1. liquet, *Concorde* quodam Epiſcopo conſecrato, & Regio aſſenſu confirmato 8 Maii 1251, de injuria ſibi illata fruſtrà conquerente. Florentii proximus ſucceſſor Walterus de Salern, aliquando

quando Decanus Eccleſiæ S. Pauli Londinenſis (quem Matthæus Pariſienſis malè Archiepiſcopum vocat, Armachanum) obiit Londini, in reditu à Roma, paulò poſt conſecrationem, menſe nimirum Aprili 1258, antequàm ſedem ſuam vidiſſet, ita ut de eo, ad hanc rem, non habeo quod dicam. Waltero defuncto ſucceſſit Thomas O-Cónner, de quo ſuprà, qui ſedi Tuamenſi ſimul ac Enaghdunenſi præfuit annos 20. Cæterùm ſedente ibidem Stephano de Fulburn, vetus controverſia denuò ſuſcitata eſt, inter eum & Johannem de Ufford, qui in Epiſcopum Enaghdunenſem electus, Regium obtinuerat aſſenſum Martii 16 (ſtylo Anglicano) 1282, in qua tàmen Uffordus ſuccubuit. Fulburno defuncto 5 Nonas Julii 1288, Gulielmus de Birmingham ſucceſſit, cujus tempore Gilbertus quidam ordinis Minorum in Epiſcopum Enaghdunenſem electus & conſecratus 1306, Temporalibus Epiſcopatus tandem reſtitutus eſt Julii 15 1308. Archiepiſcopo quantumvis invito & reclamante. Mitto hîc (ne longus nimìs ſim) lites agitatas inter Malachiam Gulielmi ſucceſſorem, & jam dictum Gilbertum ejuſque ſucceſſores, Jacobum Kernæum, Robertum *Le Petit* & Thomam Malæum. Satis erit hîc indicare Malachiam Thoma Malæo Avenione mortuo anno 1328, Eccleſiam Enaghdunenſem repetiiſſe, & ante obitum per annos non paucos, adminiſtrâſſe. Atque ita tandem lis ea diuturna finita eſt. Venimus jam ad Sedem Elphinenſem.

Elphinæ, E. S. Mariæ.

Elphina, ſive (ut alii ſcribunt) Elfina, in regione fertili & amœna, aliquantulùm

lùm ſurgente ſita eſt, ubi Eccleſiam cathedralem conſtruxit S. Patricius, prope amniculum è duobus fontibus emanantem, circa medium Seculi quinti, eique præfecit Aſicum monachum, magnum pœnitentiæ & auſteræ vitæ amatorem, à ſe in Epiſcopum conſecratum, qui paulò poſteà monachis eam implevit. Sunt qui tradant (quàm verè neſcio) Aſicum hunc aurificem fuiſſe præſtantiſſimum, artéque ſuâ, Eccleſiam Cathedralem, operis eximii monumentis, ornâſſe. Poſt multas verò annorum centurias, nempe non ita diù poſt Anglorum ingreſſum, Sede Roſcomanenſi hûc tranſlatâ, hæc Sedes (Elphinenſis inquam) multis magniſque ditata eſt latifundiis. Quando Ardcarnenſis, Drumclivenſis, & alii ejuſdem minoris notæ Epiſcopatus conjuncti itidem & uniti fuerint, ignorare me fateor; Veriſimile autem eſt eos ante Anglorum adventum annexos fuiſſe vel Elphinenſi cathedræ, vel Roſcomanenſi. Non inveniuntur certè eorum nomina in Diſpoſitione Epiſcopatuum Hiberniæ factâ anno 1152, jam ſæpiùs à nobis memoratâ: & (quod miror) ipſa Sedes Elphinenſis in dicta Diſtributione omiſſa eſt, unde non poſſum non ſuſpicari eam, ad tempus, antè tranſlationem ſcilicet prædictam, Roſcomanenſi ſedi fuiſſe etiam adjunctam. Utcúnque, certum eſt ſedem Elphinenſem, ex hiſce unionibus, inter opulentiſſimos totius Hiberniæ Epiſcopatus, tandem fuiſſe numeratam, & Eccleſias parochiales plùs minùs 79 ſubjectas habúiſſe. Imperitum vulgus loci nomen factum ſomniat

ab ingenti ſaxo ibi conſpiciendo, quod *Finni Mac-Cool* gigantis Saxum vocant.

Clonfertæ, *E.* *B. Mariæ.* Sanctus Brendanus Finlogæ filius, S. Brendani Birrenſis æqualis & ſtudiorum comes cœnobium Clonfertæ conſtruxit, prope Shenanum flu. anno Dom. 558, cui ipſe præfuit Abbas, & in quo ſepultus eſt, cùm annos vixiſſet 93. Obiit Enachdunæ die Dominico, 16 Maii anno 577, unde corpus Clonfertam delatum, ibi ſepulturæ (uti diximus) traditum eſt. Ejus tempore, Eccleſia cathedralis Clonfertenſis primùm conſtituta eſt. Primi qui ibi præfuit Epiſcopi obitum, in Annalibus Ultonienſibus, ad annum 571, vel 572, ita annotatum invenimus; *Mœna Epiſcopus Clonfert-Brenain quievit.* Inter Eccleſiæ hujus Benefactores recenſetur vir magni inprimis nominis, Johannes quidam, natione Italus, Clementis IV Pontificis Nuntius in Hibernia, Athenriæ ad hanc ſedem conſecratus, die Dominico ante feſtum Natalis Domini 1266, ubi cùm præfuiſſet annos ferè 30, ad Archiepiſcopatum Beneventanum in Italia tranſlatus eſt. Ei ſucceſſit, in ſede Clonfertenſi, Robertus, Monachus Benedictinus Eccleſiæ Chriſti Cantuariæ, qui ab Henrico III Rege Angliæ probatus eſt 24 Septembris 1296. Sed hoc obiter. Ad Nominis Etymon quod attinet, *Cluain-ferta Latibulum mirabile* ſignificat.

Killallæ, *E.* *S. Muredachi.* Muredachus ille, cujus memoriæ Eccleſia cathedralis Alladenſis dicata eſt, primus

mus fuit ejuſdem Eccleſiæ Epiſcopus. Ordinatus eſt à S. Patricio, unde eum claruiſſe conſtat Seculo quinto; De tempore verò obitus ejus, nihil traditum comperi Killalla ſita eſt non procul à Muado, al. Moio flu. in agro Maionenſi, & ejus ſedis Epiſcopi ab ea parte agri quâ cingitur, ab Hiſtoricis nonnunquam appellabantur Epiſcopi *de Tir-Amalgaïd.* Antiquas hujus Sedis poſſeſſiones confirmavit Innocentius III Papa, 3 Kalendas April. 1198, ad rogatum Donati Epiſcopi Alladenſis. Vide, ſi placet, earum Catalogum, in editis ejuſdem Innocentii Decretalibus Epiſtolis.

Achonriæ, E. S. Comrahi. Hanc Eccleſiam conſtruxit S. Finianus Clonardenſis, circa annum Salutis 530, locum concedente Dynaſtâ regionis Luignienſis. Eccleſiam ita conſtructam S. Finianus mox contulit Nathio, qui binomius fuit, dictus vulgò Comrahus, al. *Cruimthir*, vir magnæ ſanctitatis. Hunc Scriptor vitæ S. Finiani Presbyterum ſolùm appellat. Ego autem non poſſum non exiſtimare factum eum poſteà fuiſſe Eccleſiæ hujus Achadenſis Epiſcopum. In Annalibus antiquis Hibernicis, Præſules hujus Sedis appellantur plerúnque, à centuria in qua ſita eſt, Epiſcopi Luignienſes, ſive Leinienſes. Inter Epiſcopos, ob eruditionem maximè celebratur Gulielmus *Andrew* Anglus, ordinis Prædicatorum, S. Theologiæ Doctor, qui cùm hanc Eccleſiam annos plùs minùs 6 gubernâſſet, ad Epiſcopatum Midenſem tranſlatus 1380, poſt quinquennium deceſſit, in vigilia nimirũ S. Michaëlis Archangeli 1385.

Duaci, E. S. Colmani. Diatribam hanc claudit Duacenſis Eccleſia, quæ originem ſuam debet S. Colmano filio Duaci, qui ibi ſedit Epiſcopus, circa medium Seculi VI, & obiit 3 die Februarii: Obitus autem annum ignoro. Ab ejus cognomine ipſa ſedes *Kil-macduac*, id eſt, Eccleſia filii Duaci nomen ſortita eſt: ſed corruptè vulgò *Kil-macough* nuncupatur. De hac Eccleſia nihil præthereà memoriâ dignum ſe offert.

Erunt fortaſsè qui vitio mihi vertent, quòd de Provinciæ Tuamenſis Baſilicis, tam pauca dixerim: Sed ſciant illi Diplomata & Regeſta fermè omnia antiqua Præſulum & Baſilicarum illius Provinciæ; exceptis nudis nonnullis poſſeſſionum, redituum & procurationum Catalogis, magno non ſolùm Eccleſiarum ſed etiam rei antiquariæ detrimento, periiſſe. Atque hæc ſunt quæ de Hiberniæ Baſilicis dicenda habui.

CAP.

CAP. XXX.

De Hibernorum veterum Servis, ſive Mancipiis, Deque Villanis, Nativis, *ſive* Betagiis, *fundo quem colebant adſcriptis.*

AD Hibernorum veterum Servos ſive Mancipia nunc deſcendamus. Hibernos olim Servos habuiſſe quos pretio plerúnque certo emebant & vendebant, liquidò conſtat. Atque adeò frequens ſanè erat mos ille apud veteres Hibernos, ut in antiqua Synodo Hibernica, Epiſcopi legatum, ex bonis Eccleſiæ, per pretium Ancillæ definitum inveniatur. Sic enim priſcus Canon; *Princeps* (ſive Epiſcopus uti alibi notavimus) *in ſua morte, de rebus Eccleſiæ commendare poteſt, hoc eſt, pretium ancillæ, ſive de mobili ſubſtantia, ſive de agro.* Habetur in codice Canonum pervetuſto Collegii S. Benedicti Cantabrigiæ, ante annos ferme 700 deſcripto. Item liber Canonum Cottonianus titulorum 66, *Synodus Hibernica ait: Omnis qui auſus fuerit ea quæ ſunt Regis aut Epiſcopi furari, aut rapere, aut aliquid in eos committere, parvi pendens deſpicere, ſeptem ancillarũ pretium reddat, aut ſeptem annos pœniteat cum Epiſcopo.* Ibi porrò, alio Canone, *Servi Juramentum, neſciente Domino, irritum* declaratur, ſicut & *Juramentum filii aut filiæ, neſciente patre, & Juramentum monachi, neſciente Abbate.*

 Inter

Inter Servos numerabantur olim bello capti, utpote pretio empti & venditi, pretio itidem à ſervitute ſæpè redempti. Hûc faciunt hi duo Canones, in jam dicto codice titulorum 66, S. Patricio adſcripti, viz. *Si quis redemptionem captivi inquæſiverit, ſine permiſſione Abbatis, meruit excommunicari.* Item, *Si quis acceperit permiſſionem Pontificis, & collectum ſit pretium captivi, non plus exigerit quàm neceſſitas popoſcit. Si quid ſuprà remanſerit, ponat ſuper altare, & indigentibus detur & captivis.* De ritu aliquo aut modo manumiſſionis, quo ſervi libertatem, apud priſcos Hibernos, aſſecuti ſunt, nihil traditum reperi. Neque ſcio an huic rei lucem aliquam adferant varii illi manumiſſionum ritus à Francis veteribus uſitati, vel nimirum per denarium ante Regem, vel eo abſente, ante ipſius proceres, jactatum, vel in Eccleſia per chartam, coram ſacerdotibus & altari, vel per privatam Epiſtolam.

Præter Servos hoſce, erant & alii quos *Villanos* vocabant; unde & terræ iis conceſſæ, in *Villenagium* conceſſæ dicebantur. Hi Laici erant Mannerio vel Glebæ adſcripti, ac culturæ & hæredii aut prædii partes habiti, id quod oſtendit Liber niger Eccleſiæ cathedralis S. Trinitatis Dublinii, ubi prædia quæ Sitricus Rex eidem Eccleſiæ conceſſerat, donata dicuntur, *cum Villanis, & vaccis & bladis.* Hoc diſcimus prætereà, è charta Dermitii Regis Lageniæ, paucis annis ante Anglorum ingreſſum, conceſſa, quam è Regeſto Prioratus omnium Sanctorum juxta Dublin. Lectori hîc viſum exhibere: *In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Ego Diarmitius Rex Lagenienſium,*

pro

pro Dei amore & animæ meæ ſalute, donavi & tradidi ſpirituali Patri & Confeſſori meo Edano Lugudenſi (ſive * Clochorenſi) *Epiſcopo, ad opus Canonicorum Eccleſiæ filiæ Zolæ & ſucceſſorum eorum, terram quandam quæ dicitur Ballidubgail, cum hominibus ſuis, ſcilicet, Meliſu Mac-Feilecan, cum filiis & nepotibus ſuis, liberis & abſolutis à procuratione & expeditione mea, & omnium in regimine Lageniæ, & Dubliniæ, mihi ſuccedentium, in perpetuam eleëmoſynam, cum legitimis & antiquis terris, & omnibus aliis ad eam villam pertinentibus*, &c. *Teſtibus Laur. Dublin. Archiepiſcopo, Kinad * Epiſcopo, & Benigno Abbate de Glendelacha, Enna filio meo, Felano Mac-Feolain, D. Mac-Gilucolmoc, Ethmarebac & † Aralt filiis Torail, G. Mac-Gunnar & aliis multis.* Ita Regeſtum, fol. 45. Villani hi iidem fuerunt cum iis quos alii *Nativos*, ſive *Originarios*, vel *Originales inquilinos*, alii *Betagios* vocant. De *Betagiis* fit mentio in antiquo Regeſto Archiepiſcopi Dublin. vocato CREDE MIHI, nempe in duabus Bullis Urbani IV Papæ, necnon in libro nigro Eccleſiæ Liſmorenſis, fol. 1. b. unde, ante illius libri combuſtionem, ſequentia fuerunt deſumpta: *Memorandum quòd quælibet caruca de Betagiis quolibet anno debet arare Domino* (Epiſcopo) *unam acram, ad ſeiſinam frumenti, & unam acram ad ſeiſinam avenarum,* &c. *Item Betagii debent trahere blada Domini.* Diſtinguuntur ibi *Betagii*, à *Tenentibus*. Item in Charta Edwardi 2 Regis Angliæ data 14 die Maii anno regni ejus IX, hoc eſt, Gratiæ 1316, quâ præfecit Johannem filium Thomæ in comitem *de Kildare*, dedit etiam illi Caſtrum & villam de Kildare,

* De unione harum ſedium antiqua. Vid. cap. 16.

* Glendelac.

† Harald.

Kildare, *unà cum ſervitiis liberè Tenentium, Firmariorum & Betagiorum*, &c. Vox labium ſonat Hibernicum. Sed quære. Servilis hujuſce conditionis Homines non permittebantur munera aliqua ſubire militaria. Et more quidem veterrimo Heroicorum temporum, ut oſtendit Virgilius, Æneidos 9,

——Quorum primævus Helenor,
Mæonio Regi, quem ſerva Lycimnia furtim
Suſtulerat, vetitiſque ad Trojam miſerat armis.

Sed ruſtica tantùm navantes ſervitia, fodiebant, ſepiebant, arabant, ſeminabant, metebant, &c. *Villano* denique fundi Dominus jus dicebat, tam de corpore, quàm de omnibus bonis & fortunis. En durum jugum Servitutis.

CAP.

CAP. XXXI.

De priſcis, apud Hibernos, Probationum ſive Purgationum generibus, poſt converſionem Gentis ad fidem Chriſtianam.

USitatum olim Purgationis genus, apud Hibernos Chriſtianos, fuit illud Juriſjurandi, tactis ſolenniter ſacris Euangeliis, & interdum perceptione Euchariſtiæ. Hoc docet Canon antiquiſſimus S. Patricii, ſub titulo, de Contentione duorum abſque teſtibus: *Statuunt, ut per quatuor Sancta Euangelia, antequàm comunicet, teſtetur quid probatur; Et deinde ſub Judice fama relinquatur.* Sed & diverſa alia genera ab Authoribus mediorum ſeculorum referuntur, Speciatim Venerabilis Beda, in Martyrologio ſuo, ad Kalendas Febr. de S. Brigida noſtra loquens, *Apud Scotos,* (inquit) *S. Brigidæ Virginis, cujus vita miraculis claruit. Quæ cùm lignum altaris, in teſtimonium virginitatis, tetigiſſet, viride factum eſt.* Tantundem habet Cogitoſus, Bedâ antiquior, in ejuſdem Brigidæ vita. Ad Duelli examen (nam hoc aliud fuit examinis genus) in Clerico prohibendum ſpectat ſequens Canon Synodi S. Patricii, Auxilii & Iſſernini: *Clericus ſi pro gentili homine fidejuſſor fuerit in quacunque quantitate. Et ſi contigerit, (quod mirum non eſt) per aſtutiam aliquam, gentilis ille Clerico fallat rebus ſuis, Clericus ille ſolvat debitum.* Nam

Nam ſi armis compugnaverit cum illo, meritò extra Eccleſiam computetur. Poſt Anglorum in Hiberniam adventum, in ſolennioribus quibuſdam Juris actionibus, & purgationibus, Duellum ibi, licèt rarius, in uſum venit. Talis Duelli ita meminit Johannes Clinnus Minorita Kilkennienſis, in Annalibus ſuis, ad annum Salutis 1284; *Dominus Galfridus de S. Leodegario Epiſcopus Oſſorienſis acquiſivit per Duellum, Manerium de Seirkeran.* Epiſcopi Athletâ ſcil. (nam ita intelligo) Athletam adverſarii, per *Breve* (ut vocant) *de Recto*, in jus vocati, ſuperante. Item decennio poſt, in acri illo diſſidio inter Gulielmum de Veſcey, tum nuper Hiberniæ *Juſtitiarium*, & Johannem filium Thomæ, poſteà Kildaræ comitem, quo Veſcæus Majeſtatis læſæ accuſatus eſt Dublinii, 1 Aprilis, coram Gulielmo de la Hay Cuſtode *officii Capitalis Juſtitiarii* Hiberniæ, & Concilio Regis. Veſcæus cauſam ſuam Duello defendere obtulit, id quod adverſarius accepit. Poſt ritus deinde quoſdam aſsuetos, Dies pugnæ, Edwardi Regis aſſenſu, addicitur in Anglia; Atqui Veſcæus, ante diem, clanculùm aufugit. Quapropter Rex latifundia ejus in Hibernia, contulit jam dicto Johanni. Sed hæc duo exempla recentiorum ſunt temporum. Pergo. Erat & aliud Examinis genus priſcis legibus receptum, *Ordalium* dictum, cuius ſpecies erant *Ferrum candens*, *Aqua fervida*, & *Aqua frigida*, &c. Gillebertus al. Gille Epiſcopus Lumnicenſis, ſive Limericenſis, (qui claruit anno 1130) in lib. *de Statu Eccleſiæ*, inter ea quæ Epiſcopus conſecrare ſolebat, numerat *Ferrum Judiciale*. Hinc veriſimile videtur Hibernos

nos olim hoc etiam examine uſos fuiſſe. Speciatim Saxo Grammaticus, in vita Nicolai Danorum Regis 81, refert Haraldum Hibernum ortu, *candentium Laminarum* Judicium, *nudatis plantis*, abſque inuſtione ſuſtinuiſſe. Cæterùm poſtrema hæc examina, *Duellum* ſcil. & *Ordalium*, vetant Canones, & acriter inſectantur Theologi. *Ordalium* equidem jam diù ſopitum jacuit, & Probatio per Duellum deſuetudine exoleta.

Ultimus dicetur (quem penè præterieram) mos ille vitioſus, olim à litigantibus, coram *Brehonis*, interdum uſitatus, jurandi per Caput, Manus, Vitam vel Salutem Principis, ſive Domini; qui mos Ethnicam proculdubiò ſapit originem, & ab Ægyptiis primùm, uti videtur, manavit. Idque innuit Juramentum Joſephi, (è more Ægyptiorum) *per Salutem Pharaonis*, Geneſeos cap. 42. Similē morē apud Romanos veteres viguiſſe, jurandi *per Salutem & Fortunam Cæſaris*, oſtendit Dio, lib. 45 & 57: Conſtat porrò ipſis etiam Chriſtianis tam in Oriente quàm in Occidente, per aliquot Secula, in more poſteà fuiſſe, per Salutem aut Vitam ſive Imperatoris, ſive Regis & filiorum ejus, jurare. In Hibernia mos iſte diutiùs quidem manſit, quàm aliis in locis, demùm verò, etiam ibi in Judiciis interdictus. Manum de tabula.


CAP.

CAP. XXXII.

De veterum Hibernorum & Oſtmannorum in Hibernia Funeribus, Sepulturis & Cryptis ſubterraneis.

VIdeamus tandem quale fuit olim in Hibernia Funerum & Sepulturæ genus. Duplex fuiſſe antiquitùs Sepulturæ genus, apud Ethnicos, in Græcia, Italia, Germania, Gallia, Britannia & alibi, Humationem ſcilicet & Cremationem, doctis ſatis notum eſt. Nec dubitandum ſimiles olim ritus, ab Hibernis ante admiſſam in Hibernia religionem Chriſtianam, fuiſſe obſervatos, præſertim cùm certiſſimum ſit Druides eorum fuiſſe Sacerdotes & Legiſlatores. Druides verò mortuos cremâſſe & defodiſſe diſertè aſſerit Pomponius Mela, Geographiæ lib. 3. Nec diſſimiles erant olim Exequiæ Oſtmannorum in Hibernia, dum Ethnici eſſent. Noſtris certè temporibus, menſe nempe Novembri, anno 1646, è colle egeſto, in orientali ſuburbio civitatis Dublinii, dum in aggerem munitum efformaretur, effoſſum eſt Sepulchrum antiquum, à Zephyronoto in Euroaqûilonem poſitum, VIII nigris lapidibus marmoreis fabricatum, tectum nimirum duobus, & reliquis ſuſtentatum. Tumuli longitudo fuit pedum ſex & pollicum duorum, latitudo, pedum trium & pollicis

pollicis unius, Lapidum craſſities, pollicum trium. Ad ſingulos Tumuli angulos, erectus fuerat lapis quatuor pedes altus, juxtáque, ad Zephyronotum ſcilicet, alius, pyramidali formâ, ſed rudi operâ, ex eo genere quod lapis molaris dicitur, ſex pedes altus. Figuram tumuli (ſicuti ſtetit ante demolitionem) hîc ſubjungendam curavi;



In ipſo Sepulchro, reperta eſt magna vis carbonum combuſtorum, cinerum, & oſſium hominis, partim exuſtorum, partim quaſi ſemiuſtorum, Opus (ut creditur) Oſtmannorum, utpote ab iis dum Ethnici eſſent, in Reguli vel Nobilis cujuſdam memoriam, conſtructum. Quo autem modo Dani olim mortuos cremaverint & cineres collegerint videre eſt apud Olaum Wormium, in Danic. Monum. lib. 1. De antiquis Sepulturis, in montibus vel collibus, ſic Virgilius, Æneid. lib. 11;

——— ——Fuit ingens monte ſub alto,
Regis Dercenni terreno ex aggere buſtum,
Antiqui Laurentis, opacâque ilice tectum.

Et Lucanus, lib. 8,

Et *Regum cineres extructo monte quieſcant.*

De hac re, vid. porrò Iſidor. lib. 15. Etymolog. cap. 11.

Hujuſmodi nonnulli, hominum labore aggeſti, in Hibernia, antiquo opere formâque rotundâ, etiamnum cernuntur, ſpeciatim (ut alios hîc mittam) Naſæ in agro Kildarenſi, & Clonardæ in Midia, qui Antiquorum (uti creditur) fuerunt tumuli, cùm cœmeteria nondum illis in uſu eſſent. De *Circulis* illis ſive ſepimentis Caſtrenſibus non hîc loquimur, quæ vulgò **Danes Rathes**, hoc eſt, Danorum præſidia ſive caſtra vocamus, qualia in Hibernia frequentiſſima vidimus. Saxones, qui olim in circulo etiam caſtrametabantur, hujuſmodi loca munita *Burgos* ſive B*urghs* appellabant. Atque *Raith* Hibernicè idem ſonat.

Non prætermittendum tamen nonnullos reperiri

periri colles rotundos editos, quorum partibus interioribus in cameras ſive concamerationes diviſis, Magnates Oſtmannici pro Domiciliis, ſic fama perhibet, olim utebantur. Atque talis eſt collis ille apud Sligoenſes in Conatia, unico milliari à *Caſtle-Coner* diſtans, ad cujus concamerationes ſubterraneas, introitus, per aliquot annorum centurias, occluſus, anno tandem 1640, à bubulco quodam, caſu dete-ctus eſt & apertus. Cameræ ibi quadrangulæ ſunt, è ſaxis ingentibus, arcuato opere, cum terrâ ſuperimpoſitâ, in collem formatâ, con-ſtructæ, unà cum meatu circulari ad eaſdem. Ichnographiam Areæ ſtructuræ hujuſce cameratæ, unà cum forma unius è fornicibus, cui cæteri pares, ſicut mihi deſcripſit, qui paulò poſt ipſam detectionem, lumine accenſo, per-luſtravit, CL. Mathematicus Milo Symnerus, hîc exhibere operæ pretium duxi;

BIBLIOTHEQUE DE LA VILLE LYON 1895

De



A. *Meatus ad Cameras*
B. *Cameræ 15 vel 16 pedes utrobiq continentes*
C. *Cui vſui interior ea pars ſervierit, nondum cōſtat.*
D. *Forma vnius è fornicibus.*

De hoc vetuſto opere, variæ enatæ ſunt opiniones. Cùm verò in concamerationibus ſive cameris ejus, nulla, ut accepi, reperiantur indicia foraminum, vel ad lucem admittendam, vel ad fumum emittendum, veriſimillimum videtur à priſcis Oſtmannis non habitationi deſtinatum, ſed vel horreum ſive receptaculum fuiſſe, vel (quod mihi potiùs arridet) Conditorium Magnatibus & Ducibus ſuis. Hæc quaſi per tranſennam. Verùm excutiant perſpicatiores: Mihi ſatis ſit meam interpoſuiſſe conjecturam. Dies forſan certiora docebit, cùm plena fuerit detectio interioris partis hujus ſtructuræ adhuc occluſæ. Vetuſto huic operi addemus obiter Speluncas collis, ſeu potiùs rupis *de Corren*, apud jam dictos Sligoenſes, ubi ſub medium præcipitis & ferè impervii aditus, in occidentali latere rupis, miras habitationes, multipliceſque receſſus ex ipſo ſaxo exciſos, (*Gigantum Habitacula* vocant) excavavit Antiquitas. Ante Speluncarum introitus, eſt ſemita vel pergula pluſquàm centum paſsus longa, è rupe itidem olim exciſa. An opus hoc fuerit Hibernicum, vel Oſtmannicum, non mihi conſtat. Marte furente, nonnullis tutiſſimum olim perfugium fuiſſe creditur. Sed ut pergamus. De Cryptis ſubterraneis, quas Græci olim Hypogæa, Latini* Conditoria vocabant; apud Hiſtoricos veteres frequens fit mentio. De Hebræorum veterum Sepulchris in Speluncis, vid. Geneſeos Cap. 23, & 49. Priſcos Anglo-Saxones Ethnicos ſepulchra habuiſſe *Byrgens* dicta, ſub collibus, quos nonnulli *Barrowes* appellabant, certò liquet. Porro viris ſeptentrionalibus in uſu fuiſſe, ut ſinguli milites

* *Et in antiquis quibuſdam inſcriptionibus,* Requietoris.

prælio ſuperſtites tantum terræ quantum caſſide capere poterant in occiſorum tumulos aggererent, notat Camdenus, in Wiltonia. Cæterùm de hujuſmodi ritibus, à Gentibus ad Arctum uſitatis, vide etiam, ſi placet, plura, apud jam dictum Olaum Wormium, in lib. de Danicis Monumentis, vel, ſi mavis, apud Saxonem Grammaticum, & Olaum Magnum.

Ad priſcum cremationis ritum, apud Hibernos, redimus. Et certè non ſolùm apud Oſtmannos in Hibernia, dum Idolorum eſſent cultores, viguit mos ille comburendi cadavera defunctorum, ſed etiam apud ipſos Hibernos, elucente fide Chriſtianâ, haud repentè in tenebras abiit. Nam in pervetuſto libro Canonum titulorum 66, in Bibliotheca Cottoniana, Anglo-Saxonicis temporibus deſcripto, ſub titulo, *De nomine Baſilicæ, & ejus ſciſſurâ*, ita legimus: *Synod. Hibern.* Βασιλεὺς *Græcè, Rex Latinè, Hinc & Baſilica Regalis, quòd in primis temporibus Reges tantùm ſepeliebantur in eâ, nomen ſortita eſt. Nam cæteri homines ſive igne ſive acervo lapidum conditi ſunt. Item, nemo alienus libertatem ſcindendi Baſilicam, ſine Principis permiſſione habet: Et ſi hoc auſus fuerit, reddet ſecundùm dignitatem ejuſdem loci.* Ita Synodus. Ubi & alius antiquus apud Hibernos ſepeliendi mos, ſub acervo lapidum detegitur, de quo vid. Typum, ſuprà pag. 222. Si ad hunc uſum, ſeu in occiſorum memoriam, non aggeſta fuerit ingens ea lapidum ſtrues, quæ ad **Winde-gates** in agro Wickloenſi cernitur, vel acervus lapidum Mercurialis videatur, in honorem Mercurii

curii (ethnici Viarum præſidis) crebro lapidum jactu, à viatoribus antiquitùs pro more congeſtus, vel, unus è monticulis illis lapidoſis qui pro terminis in agris limitandis olim erecti *Scorpiones* dicebantur. Atque hîc in trivio ſumus. Nec ſilentio hic prætermittendum quod *de jure corporis ſepulti*, ex antiquâ Synodo Hibernicâ his verbis, habet jam dictus Liber Canonum, *Omne corpus ſepultum habet in jure ſuo vaccam, & equum, & veſtimentum, & ornamentum ſui lecti, nec quicquam horum reddetur in alia debita, quia corpori ejus tanquàm vernacula debentur*. De Fœminarum Hibernicarum vociferationibus, ſive ululatibus, & manuum comploſionibus, amicorum funera proſequentium, aliâ occaſione ſuprà diximus cap. XII. Interdum porrò mulieres ad mortuum lamentandum conductæ fuerunt, veterum *Præficarum* more. Servius *Præficam*, planctuum Principem vocat. Romanis mulieribus fuiſſe olim ejulandi morem, ac comas genaſque lacerandi, ſatis liquet, ex antiquis Rerum Romanarum Scriptoribus. Atqui mos ille, XII Tabularum legibus, his verbis fuit interdictus; *Mulieres genas nè radunto. Mulier faciem nè carpito. Mulieres leſſum* (id eſt, lugubrem ejulationem) *funeris ergô nè habento*. Tacitus, libro de Moribus & Populis Germaniæ: poſt deſcriptionem Exequiarum veterum Germanorum, *qui corpora clarorum virorum certis lignis cremabant, & ſepulchra ceſpite erigebant*, ita pergit, *Lamenta & lacrymas citò, dolorem & triſtitiam tardè ponunt. Fœminis lugere honeſtum eſt; viris meminiſſe*. Neque dubitandum eſt Hibernos veteres morum ſimilitudinem in

multis , è Germania, *Caucorum* & *Menapiorum* Hiberniæ parente contraxiſſe , uti etiam aliorum nonnullorum , è Gallia , ſpeciatim (ut ad rem noſtram) in parentalibus , ſive conviviis poſt funus elatum. Atque hæc habui de priſcorum Hibernorum & Oſtmannorum Funeribus , Sepulturis & Cryptis , quæ dicerem.

RERUM *HIBERNICARUM* HENRICO VII regnante, ANNALES.

Nunc primùm in Lucem editi.

JACOBO WARÆO Equite Aurato Authore.

LONDINI,
Typis E. *Tyler*, Impenſis *Joh. Crook*, ſub Signo *Navis*, in Cœmeterio S. Pauli. MDCLVIII.

LECTORI.

PRopoſitum mihi eſt in his Annalibus, Res in Hibernia geſtas maximè memorabiles, ſub Henrico noſtro Septimo, citra fucum & odium, paucis explicare, atque ex umbra in lucem educere: Penſum certè neque noſtratium neque exterorum notitia indignum, modò pro Argumenti dignitate, ſcriptorem fuiſſet nactum. Veruntamen, in his tractandis, ut rerum geſtarum veritatem meliùs eruerem, præter ea, quæ ex antiquis ſchedis, Regeſtis, & Scriptoribus tam editis quàm ineditis, deſumpta ſunt, non pauca etiam hactenùs latentia & ſcitu non indigna, ex Archivis Cancellariæ & Scaccarii *ſive Fiſci Hiberniæ exhauſi, tanquam è fontibus, unde cuncta certiùs deriventur. In rebus majoris momenti, quæ per diſcrepantes Scriptorum opiniones, dubiæ videantur, vel nihil aſſeveranter affirmavi,*

 vel

vel ſaltem ubi quicquam certò ſtatui, ſententiæ meæ rationes reddidi. Res Anglicas interdum quidem attigi, ſed non niſi levi manu, & ubi plerumque neceſſaria rerum noſtrarum Hibernicarum connexio poſtulavit. Nonnulla porrò inſerui, quæ cùm ſint perſonalia tantum, vel honoraria, æquè pertinere videntur ad Hibernica, ac ad Anglica; interque ea numeranda ſunt quæ de Apparatu protuli, ab Henrico VII facto, ad Apotheoſim Henrici Sexti obtinendam, licèt irrito ſucceſſu: Item de virtutibus, honoribus, & exitu Henrici VII, necnon paucula de uxore & liberis ejus.

In hoc prætereà Commentariolo, non ſolum Rerum exitus *memoravi*, ſed (*quod monet Dionyſius Halicarneſſenſis*) cauſas etiam & modos quibus res peractæ fuerint, *adjunxi, poſteriſque tradidi, quatenus nimirum inveſtigando potui colligere. De occultioribus, non exquiſivi. Arcana Principum Labyrinthum eſſe quis neſcit?*

In his verò quæ jam protuli, eo libentiùs deſudavi, ut peritior aliquis & me potior hinc incitatus, integram Hiberniæ Hiſtoriam conſcribendi laborem ſuſcipiat, vel eam ſaltem partem, quæ incipit ab adventu Anglorum in Hiberniam, ſub Henrico Secundo. Non deeſt certè materies,

ries ſelecta, ab ipſo fermè Anglorum ingreſſu, in Archivis publicis, ubi meſſis hactenus fermè intacta manet. Mihi ſatis ſupèrque incepiſſe, & guſtum aliquem horum temporum hìc præbuiſſe. Quicquid verò hìc præſtiti (præſtiti autem quod potui) Doctorum & moderatorum virorum judicio lubens offero & ſubjicio. Hi candidi (ſcio) erunt rerum æſtimatores, atque conatus iſtos meos qualeſcunque æqui bonique conſulent: Iniquos & detrectatores nihil moror, non illis ego vigilavi, ſed quibus de meliore luto præcordia. Atque hæc habui quæ de Propoſito meo dicerem.

Londini, *VI Kalendas Junias*, MDCLVIII.

Rerum

HIBERNICARUM
HENRICO VII regnante,
ANNALES.



ANNO CHRISTI
MCCCCLXXXV.

RIchardo Tertio in prælio ad *Boſ-worth* occiſo, Bello illi inteſtino quod Angliam, per plurimos annos, graviſſimè afflixerat, finem dedit Henricus Richmondiæ Comes, jam inde Hen-

ricus

ricus Septimus appellatus, ſi turbas à duobus ſcenicis principibus, vel potiùs ab eorum fautoribus, ſuſcitatas excipiamus. Regnum is iniit Auguſti 22 1485, qui dies prælii, & 30 inſequentis Octobris, Coronationis ſolennia peracta ſunt Weſtmonaſterii.

Hiberniam tunc temporis adminiſtrabat Geraldus Comes Kildariæ, titulo *Deputati* Johannis de la Pole comitis Lincolniæ *Locumtenentis* Hiberniæ, eo munere functus Richardi III conceſſione. Hunc Rex confirmavit Deputatum, ſed non ita diù poſteà, novo diplomate, Deputatum conſtituit Gaſparis de Hatfield Ducis Bedfordiæ, quem Locum-tenentem Hiberniæ deſignârat. Approbavit etiam Thomam *Fitz-Gerald* Equitem auratum, dicti comitis fratrem, Hiberniæ Cancellarium, Rolandum *Fitz-Euſtace* Baronem Portleſterium, ſummum Quæſtorem (ſive ut loquimur) Theſaurarium, virum in Rebus Hibernicis, longo uſu verſatiſſimum, cæteroſq; conſiliarios, præter Judices & alios adminiſtros primarios, etſi eorum plurimi, id quod ille certò cognovit, *Roſæ albæ*, ſive familiæ Eboracenſis fautores fuerint. Veruntamen, eo tempore, (quod mireris in principe tam prudente) illis, alios probatæ fidei viros, è ſuis non adjunxit. Quid detrimenti inde acceperit, poſteà ſuo patebit loco.

Dum hæc agerentur, magnum erat diſſidium inter Jacobum Ketingum & Marmaducum Lomleium, de jure Prioratus S. Johannis Hieroſolymitani in Hibernia, *Kilmainan* vulgò dicti, utroque pro Priore ſe gerente, unde & utríque demum exitium. Simultas (ut rem altiùs repetam) initium ſumpſit

ſumpſit anno 1482. Nam ſub exitum ejus anni, exauthoratus eſt Ketingus, à Petro Daubuſſono magno Rhodi Inſulæ Magiſtro, cui ſubfuit, ob contumaciam & munus malè adminiſtratum, ſpeciatim, quòd monilia quædam & alia Prioratus ſui ornamenta, partim vendiderat, partim pignori poſuerat, inter quæ memoratur pars Crucis Dominicæ: Item quod prædia multa ad Prioratum ſpectantia, partim etiam vendiderat, partim ad longum tempus elocaverat, & partim penſionibus quibuſdam oneraverat. Deprivato itaque Ketingo, ſucceſſor deſignatus eſt à prædicto Magiſtro Rhodiano, Marmaducus ille Lomleius, Anglus nobili Lomleiorum familia ortus. Hæc menſe Decembri 1482. Is ita electus, anno inſequenti, Clontarfam appulit, ubi Præceptoria fuit ejuſdem ordinis, ad ſecundum à Dublinio lapidem. De appulſu ejus, quamprimùm certior factus eſt Ketingus (qui diù magnâ vixerat potentiâ, & Prioratum jam rexerat annos plùs minùs 20) illuc magnâ ſuorum catervâ ſtipatus properavit, & Lomleium ſecum captivum ducens, ſub arcta cuſtodia detinuit, donec omnibus electionis & confirmationis inſtrumentis, in manus ſuas reſignatis, (licèt præviâ Lomleii proteſtatione) ad ſuſtentationem, ei tandem conceſſit Præceptoriam *de Kilſaran*, in agro Louthenſi. De his omnibus, Lomleius literas perſcripſit, tam ad Regem Angliæ, quàm ad magnum Magiſtrum Rhodi, eóque tandem ſucceſſu, poſt longam nimirùm moram, ut Ketingus, ob crimina perpetrata,

excom-

excommunicatus fuerit. Ketingus verò hinc irritatus culpámque omnem in Lomleium conjiciens, eum quaſi harum novarum turbarum fontem, ex dicta Præceptoria, manu armatâ expulit, Octaviano de Palatio Archiepiſcopo Armachano, in cujus diœceſi dicta Præceptoria fuit ſita, Lomleium fruſtrà propugnare ſatagente. Neque hic tamen finis erat ærumnarum Lomleii : nam circa hoc tempus, in carcerem ab adverſario denuò conjectus eſt. Quid de eo poſteà factum fuerit, traditum non reperi : Hoc conſtat eum nunquàm Prioratum adminiſtrâſſe. Cæterùm Ketingus ipſe licèt Prioratum per 9 fermè annos poſteà per vim occupaverit, tandem tamen majore cum dedecore ejectus, in ſumma inopia vitam finiit, poſtquàm nimirum Jacobum Valæum in locum ſuum ſuffectum vidiſſet. Prior hujus loci (quod obiter hîc annotatum) totius Hiberniæ Protoprior olim cenſebatur, & locum ſuffragiumque habebat inter Proceres Parlàmentarios. Ad Prioratum ipſum quod attinet, is adeò amplus erat, & opere tam venuſto, ante ſupreſſionem, ut inter ædes univerſi regni ſpecioſiſſimas, meritò numerata fuerit.

Sed ut in inſtituto curſu progrediamur, Menſe Novembri, Thomas *Ormond* aliàs *Butler* Eques auratus in Parlamento Weſtmonaſterii coacto, poſſeſſionibus & honori Comitis Ormoniæ reſtitutus eſt, ac Statutum editum anno primo Edwardi IV, quo dictus Thomas & duo fratres ejus ſeniores, videlicet, Jacobus Comes Wiltoniæ & Ormoniæ, ac Johannes *Ormond* Eques aur. proditores declarati fuerant, adjudicatum eſt irritum viribúſque caſſum.

Comes

Comes brevi deinde poſteà, in numerum eorum aſciſcitur, qui Regi erant à Secretioribus conſiliis.

Ultimus fuit hic annus Johanni Domino Barrio, in quo morum probitas cum generis ſplendore certavit, ac etiam Ulicko Bourko, Clan-Richardi Dynaſtæ, nobiliſſimâ orto familiâ de Burgo, (cujus rami in Hibernia longè diffuſi) viro magni nominis & potentiæ. Ulickum filium is ſucceſſorem habuit, de quo plura poſteà.

ANNO CHRISTI MCCCCLXXXVI.

REx ſubodoratus ſub hoc tempore Kildarium res novas in Hibernia moliri, literis ſuis, inter mandata ei dedit, ut in Angliam properaret, ſpecioſo prætextu coram conſultandi, de rebus ad publicam pacem & tranquillitatem Hiberniæ ſpectantibus. Kildarius, his literis acceptis, metuens quonàm ea res evaderet, Hiberniæ Ordines Dublinii congregatos, de Regis voluntate, certiores facit. Junii deinde 4, Proceres ad Regem literas excuſatorias mittunt, in quibus ſignificant ſubitam Comitis profectionem in Angliam negotiis quibuſdam magni momenti in Parlamento tractandis multùm obfuturam: ideóque obnixè petunt, ut ille tam diù ſe ſiſtat, donec negotia ea conficiantur. Literis illis ſubſcripſerunt; ex Eccleſiaſticis, Walterus fitz-Simon

mon Dublinienſis & Octavianus de Palatio Armachanus Archiepiſcopi, Johannes Painus Epiſcopus Midenſis, Johannes Purſellus Abbas cœnobii S. Thomæ juxta Dublin. Walterus Champflour Abbas cœnobii B. Mariæ juxta Dublin. Johannes *Troy* Abbas Mellifontis, Henricus Abbas Baltinglaſſenſis & Nicolaus Prior Conallenſis : ex Secularibus verò, Robertus Preſtonus Vicecomes Gormanſtonius, & Barones VI, Slanius nimirum, Delvinius, Killenius, Houthius, Trimletſtonius & Donſanius. His literis Comes quaſi munitum ſe ſentiens, tempus itineris indies protraxit.

Nunc ut pergamus; Ad tempus pervenimus conjurationibus plenum, conſpirârunt enim ad Regem Henricum ſubvertendum, Margareta Edwardi IV tum nuper Regis Angliæ ſoror, Carolique *Pugnacis* Burgundiæ Ducis vidua, aut (ut loquimur) dotaria, Johannes de la Pole Comes Lincolniæ; Franciſcus Vicecomes Lovellus, aliquando Richardi III Camerarius, & alii nonnulli. Huic flammæ oleum addidit mirum vaſtúmque facinus vafri cujuſdam preſbyteri Oxonienſis Richardi *Simons*, vel (ſecundum Polydorum Virgilium) *Simondi* appellati. Is enim, hoc anno, cum diſcipulo ſuo Lamberto Simnello egeni opificis, ſive piſtoris nimirùm ſive ſutoris filio, puero tamen aſpectu decoro & docili, ætate etiam conveniente, in Hiberniam trajecit, eumque aſtutè priùs inſtructum, coram Deputato, Cancellario, Theſaurario & aliis nobilibus, quos familiæ Eboracenſis ſtudioſos fuiſſe audiverat, pro Edwardo comite Warwicenſi Georgii Ducis Clarentiæ filio, quaſi vero Coronæ

rone Angliæ hærede; ex arce Londinenſi evaſo, oſtendit & venditavit. Hoc ille figmento, diſcipulo ſuo regnum, & ſibi opulentum aliquem Epiſcopatum ſomniaverat. Hâc re facilè creditâ, & cum proceribus nonnullis communicatâ, Puer à Cancellario honorificè hoſpitio exceptus eſt. Deinde paulò pòſt miſſi ſunt nuntii, tam ad fautores nonnullos nominis Eboracenſis in Anglia & Hibernia, quàm ad prædictam Burgundiæ Duciſſam, auxilium petituri, ad juſtum (ut illi dicebant) titulum Edwardi illius (quem regem ſalutârant per nomen Edwardi VI) vindicandum. Negotium hoc Comiti Kildariæ maximas poſteà calamitates attulit, & niſi Deus ruentem ſuſtinuiſſet, ſibi & nobiliſſimæ ſuæ familiæ fuiſſet exitio.

Interim de his rebus; Rex certior factus ab Houthæ Barone & aliis, ad impoſturam detegendam, verum Warwici comitem, ex arcta in turri Londinenſi cuſtodia, die Dominico per præcipuos civitatis vicos, circumduci juſſit, & ſolenni poſteà proceſſione; Eccleſiam Divi Pauli, cum eo ingreſſus eſt, inſigni nobilitatis flore ſtipatus. Hinc liquidò apud Anglos, Impoſtoris detecta eſt fraus: Cæterùm in Hibernia, retorta eſt in Regem impoſtura, quaſi verò ipſe Pſeudo-Warwicum populo obtruſerat.

Fuerunt nihilominùs in Hibernia non pauci, qui conſtantiſſimè ſemper fideliſſiméque Henrici cauſam pro viribus defenderunt: Inter quos memorantur Octavianus de Palatio Archiepiſcopus Armachanus; Edmundus Curſæus (vel *Courcy*) ord. Minorum; tum Clochorenſis (poſteà ni fallor Roſſenſis)

Epiſcopus, Butlerorum familia, Baro Houthius & cives Waterfordienſes. Conjurationis illius exitum in ſequentis anni narratione, Deo volente, exponemus.

Inter hæc, Hugo *Mac-Mahon* magnâ ſuorum catervâ ſtipatus, in agrum Louthenſem irruit, prædas egit, & prædia undique diripuit & incendit. Combuſtæ feruntur in hac incurſione 28 villæ. Porrò VI Kalendas Martii, in partibus nonnullis Ultoniæ, tanta vis venti & procellæ contigit (neque abs re erit verbo memorare) ut arbores eradicarentur, multæ domus & aliquot Eccleſiæ (inter alia mala quamplurima) peſſumruerent.

Fatis conceſſerunt hoc anno, ex Epiſcopali ordine, Thaddæus Epiſcopus Dunenſis & Connerenſis, conſecrationis an. 17, Johannes Hedianus Oſſorienſis, cùm ſediſſet annos circiter 7, & (Julii 19) Thomas Arthurus Limericenſis, cùm præfuiſſet annos plùs minùs 17. Thaddæo ſucceſſit Tiberius quidam, Hediano, Oliverus Cantwellus, ordinis Prædicatorum, & Arthuro, Johannes Folanus, Rector Eccleſiæ Clonmorenſis, negotiorum jam dicti Octaviani Armachani, in Curia Romana, Procurator.

Hæc in Hibernia. Interim Wintoniæ in Anglia, Elizabetha Regina filium Regi peperit 20 Septembris, Arthurum vocatum. Neque ſilentio hîc prætereundum Henricum Regem hoc anno Bullam procurâſſe, ab Innocentio VIII, datam VI Kalend. Aprilis, per quam (inter alia) omnes Epiſcopi, &c. juſſi ſunt excommunicationes in rebelles emittere, quoties ex parte Regis requiſiti fuerint. Hæc res negotia Regia magnopere

perè

perè poſteà juvit promovitque; tam in Anglia quàm in Hibernia.

Anno Christi MCCCCLXXXVII.

JOhannes Comes Lincolniæ filius & hæres Johannis de la Pole Ducis Suffolciæ, vir animi excelſi & elati, (quem Richardus III, cùm filius ſuus obiiſſet, ſucceſſorem regnique hæredem declaraverat) litteris & nuntiis certior factus, de Idolo hoc in Hibernia pro vero comite Warwicenſi recepto, ſpeque ductus, per hunc pontem, viam ſibi patefactam, ad Anglicum Sceptrum ſuo titulo obtinendum, ſi nempe ſub hujus Larvæ nomine, proprio ſuo tempore detegendæ, Regem Henricum opprimeret, in Flandriam trajecit, ubi Dominum Lovellum invenit, qui conſiliorum ſuorum particeps, ibi paulò antè appulerat. Hi arcana ineunt conſilia cum Margareta Burgundiæ Duciſſa; Edwardi IV ſorore, acerbiſſima familiæ Lancaſtrienſis hoſte, de Henrico rege exturbando. Ibi decretum fuit, ut Comes & Lovellus, cum exercitu qui Duciſſæ expenſis conſcriberetur, in Hiberniam primò transfretarent, & inde poſteà, adjunctis Hibernorum viribus, in Angliam, adverſus regem. Exercitus paucis pòſt diebus 2000 Germanorum militum veteranorum conſcriptus, ſub ductu Martini Swarti, vel (ut alii habent) So-

varpi Germani, veteranæ militiæ gloriâ clari, & navigiis impoſitus, è Flandria ſolvit, Dubliniúmque (Hiberniæ Metropolim) appulit menſe Maio: Die deinde Pentecoſtes, Pſeudo-Warwicus iſte (cujus ſuprà mentionem fecimus) Dublinii in Eccleſia cathedrali S. Trinitatis, quam ædem Chriſti vulgò vocant, poſt concionem, à Johanne Paino Epiſcopo Midenſi ibi editam, in qua publicatus eſt titulus ejus ad Coronam, ſolenniter coronatus eſt, Præſentibus Deputato, Cancellario, Theſaurario, Comite Lincolniæ, Domino Lovello, & multis aliis è proceribus & viris primariis, tam Eccleſiaſticis quàm Secularibus. Coronam quâ uſus eſt, à ſtatua B. Mariæ Virginis, in Eccleſia illius memoriæ dicata, prope portam urbis, quam *Dames-gate* vulgò appellamus, aſſervata, mutuatam ferunt. Hinc per mediam urbem, magno populi applauſu, ad caſtrum Dublinienſe deductus eſt & epulis exceptus. Inter eos quibus præſentia diſplicebant, numeratur Octavianus Archiepiſcopus Armachanus: Is enim (poſtquàm Kildarium à tam infelici propoſito fruſtrà deterrere deſudâſſet) ſe ſubducens, coronationi intereſſe recuſavit, id quod multum ei poſteà peperit moleſtiæ. Interim verò ſub ementiti Principis nomine, Comitia & Juris fora habita ſunt, ac Proceſſus, Tabulæ publicæ & Acta Concilii prodierunt: Speciatim *de Magno Concilio, ejus nomine* & authoritate congregato, fit mentio in Epiſtola prædicti Octaviani Armachani, ad Præſulem quendam Anglicum, cujus nomen non editur, in quo Concilio,

Subſidium

Subſidium à Clero ſe abſente, Papæ conceſſum aſſerit, *ad abſolutionem à ſententiis & cenſuris quas forſan novos tumultus contra Regem ſuſcipientes incurrerent, obtinendam.* Epiſtolæ exemplar habetur in Octaviani Regeſto, fol. 152. a. Cæterùm hæc omnia latâ lege, in Parlamento Pontanæ coacto, ſub Poyningo Prorege, anno 1494, reſciſſa ſunt & penitùs antiquata.

Sub initium Junii hujus anni 1487, Dominus Thomas *Fitz-Gerald* Cancellarii munere ſe abdicavit, eique ſucceſſit Rolandus Euſtacius Baro Portleſterius. Brevi deinde poſteà, claſſis, Concilii decreto, cum ementito hoc Principe, & copiis tam Germanicis quàm Hibernicis, quibus præficiebatur Comes Lincolniæ (ſuprà dictis Domino Lovello, Dom. Thoma *Fitz-Gerald* & Swarto Germano comitatus) è Dublinio ſolvit, & vento ſecundo, Fouldriam apud Lancaſtrienſes in Anglia appulit: Quò ſe ſtatim contulit Thomas Broughtonus Eques auratus, conjurationis ſocius: cum parva militum manu. Ita inſtructi agrum Eboracenſem pertranſeunt, ubi etiam copiarum quarundam acceſſionem expectabant, ſed fruſtrà. Utcúnque animos non deſpondentes Newarcum versùs properant, ſperantes locum ſubito eorum adventu, facilè poſſeſſuros. Rex autem, rebellium conſilio intellecto, cum exercitu valido, ſub ductu Gaſparis Ducis Bedfordiæ & Johannis de Vere Oxoniæ Comitis Angliæque Thalaſſiarchæ, Nottinghamiam (nam illuc tunc nuper venerat) relinquens, non procul à Newarco, caſtrametatus eſt, eorúmque tranſitum ibi interclusit. E diverſo,

Lincolniæ Comes, cognito Regis adventu, intrepidè tamen iter inſtitutum continuavit, & eadem nocte, caſtra fixit apud Stocham viculum, in agro Nottinghamienſi, in ipſo fermè conſpectu exercitus Regis. Poſtridiè, Junii nempe 20, Henricus rex, exercitu è caſtris educto & in tres acies diviſo, Stocham profectus eſt, ubi Comes itidem ſuos, ſatis animosè, Swarti directione, in aciem duxit. Dimicatur utrínque fortiter per tres horas, æquo quaſi Marte. Tandem verò prima Regis acies, quæ hucuſque impetum ſuſtinuerat, reliquis duabus (quod mireris) quaſi ociosè prælium tam diù ſpectantibus, tantâ vi & audaciâ pugnam continuavit; ùt occiſis primariis hoſtium Ducibus, cæteri in fugam facilè verſi fuerint. In hoc prælio (quod in annum 1489 perperàm conjicit Polydorus Virgilius) ex parte ementiti principis, acriter pugnantes occubuerunt Johannes de la Pole comes Lincolniæ, Franciſcus Vicecomes Lovellus, Dom. Thomas Fitz-Gerald, quem falſò nonnulli comitem Kildariæ appellant, Mauritius fitz-Thomas Geraldinus, Broughtonus, Plunketus quidam Baronis Killenii filius & Swartus: præter quatuor millia militum gregariorum. Sunt tamen qui Dominum Lovellum in Trento fluvio ſubmerſum dicunt, & alii, qui non aquis periiſſe, ſed in caverna quadam ſubterranea diù poſteà latuiſſe & vitam produxiſſe miſeram aſſerunt. Ex parte Regis dimidium duntaxat primæ aciei cecidit. Capti ſunt inter alios, ſcenicus ille regulus Lambertus Simnellus & aſtutus ſacerdos ejus præceptor. Lambertus, clementiâ Principis inauditâ, poſtquàm crimen agnoviſſet, & miſericordiam Regiam

giam implorâſſet, ad mortem non eſt damnatus, ſed in culinam Regis detruſus, ibi veru ad tempus circumegit, & poſteà in numerum admiſſus eſt accipitrariorum Regis. Sacerdos verò clericali ordine privatus, in gurguſtium quoddam detruſus eſt. Sic aliqui tradunt. Aſſerunt verò alii, ordinis intuitu, criminis atrocitate non obſtante, eum neque morte multatum, neque ordine privatum, ſed perpetuo tantùm carceri adjudicatum.

Sed hanc rem ſuis etiam verbis exhibebit Johannes Hereus Medicinæ Doctor, qui Hiſtoriam Anglicanam Heroico carmine deſcripſit, ab initio Edwardi IV, uſque ad initium Henrici VIII,

Lambertus capitur, necnon Simondus inermis,
E quibus hic tenebris damnatur carceris atri,
Concludendus ibi, miſero dum vita ſuperſit.
Ille ex rege novo, lixa eſt & calo creatus,
Servus ut ad Regis portaret ligna coquinam:
Regis at accipitres poſthac aluiſſe refertur.
Sic quamvis meriti tormenta cruceſque fuiſſent,
Parvâ Rex pœnâ ſtatuit ſcelus omne piare.

Hoc incendio ſic ſopito, Rex in partes ſeptentrionales profectus eſt, atque in ea profectione, non pauci è Simnelli & Comitis Lincolniæ fautoribus detecti ſunt, è quibus nonnulli; ad terrorem aliorum, ultimo ſupplicio fuerunt affecti, alii magnis pecuniæ ſummis mulctati, aliique præſertim tenuioris ſortis, ſine mulctis condonati. Hiſque peractis, Rex Londinum rediit, ubi magno civium applauſu, exceptus eſt. Novembris inſequentis 25 (die S. Catharinæ)

Uxor ejus Elizabetha Regina magna cum pompa ſolenniter uncta eſt & coronata Weſtmonaſterii: Cujus coronationis *Prognoſticon*, verſibus Lyricis, mox compoſuit Bernardus Andreas, Poëta laureatus, Regiſque Henrici Hiſtoriographus.

Rex brevi poſteà Prætori & civibus Waterfordiæ, quos ſibi fideliſſimos invenerat, literis ſuis poſtquàm immotam eorum fidem laudâſſet, inter mandata dedit, ut ad uſum urbis, naves, bona & merces civium Dubliniensium intercipere conarentur, necnon omnium aliorum, cum iis mercaturam exercentium. Anno etiam ſequenti (Maii 12) ad plenius benevolentiæ ſuæ teſtimonium, novis privilegiis & immunitatibus, Urbis fidelitatem remuneravit. Ad ſeditionem tamen extinguendam, nullas hactenùs copias, (quod mirùm videri poſſit) in Hiberniam miſit. Hibernica proculdubiò hucuſque, eum nimìs neglexiſſe non negandum. Cæterùm hanc culpam aliquantùm correxit anno inſequenti, tantâ tamen cum lenitate & clementiâ, (diligi enim quàm metui maluit) ut Principem ſe oſtenderit & miſericordem & pacis ſummoperè amantem, atque inde victoriam incruentam reportaverit, ut ex illius anni narratione, lectori liquidò conſtabit.

Interim Decembris VII, Jacobus *Fitz-Thomas* Geraldinus, comes Deſmoniæ, qui annos fermè 28, opibus & potentiâ floruerat, à famulis, in ædibus ſuis Rathkelæ, apud Limericenſes, ſubitò crudeliter trucidatus eſt. Stemma ſuum is duxit à Mauritio filio Geraldi, qui ſub Henrico Secundo, in expugnanda Hibernia, fortem egregiámque navavit operam. Jacobo

ſine

ſine prole, ſaltem maſcula, mortuo, Mauritius frater ſucceſſit, à quo Johannes *Mantagh*, id eſt, edentulus, perpetrati ſceleris princeps, paulò poſt captus eſt & occiſus. Atque ita certè plerúmque uſuvenit, ut qui, aliorum cædibus, manus polluerunt, eos pœna talionis ſequuta fuerit. Hoc admonet Horatius, lib. 3 Carmin. Odâ 2,

Raro antecedentem ſceleſtum
Deſeruit pede pœna claudo.

Cujus rei veritatem pluriniis demonſtrare exemplis in promptu eſt. De Mauritio ſucceſſore plura poſteà erit dicendi locus. Sed ad res magis publicas redeamus.

Ad primum victoriæ Regis rumorem, ſeditioſis in Hibernia concidit animus, & de ea paulò poſteà certiores facti, Kildarius & alii è potentioribus nuntios demùm miſerunt, qui factum Regi excuſarent, errorem agnoſcerent, & veniam quàm humilimè peterent. His nuntiis & ſubmiſſionibus, Rex aliquantulùm lenitus, maturâ rei deliberatione, cum conſiliariis ſuis habitâ, nuntios tandem in Hiberniam remiſit, ad Comitem & cæteros, cum literis, in quibus, poſtquàm nuperæ proditionis eos inſimulâſſet, præteritorum tamen veniam cunctis promiſit, ſecundùm merita eorum futura. Ad Hiberniæ adminiſtrationem quod attinet, eam pro tempore, Comitis fidei iterum commiſit, cum inſtructionibus quibuſdam & mandatis tempori convenientibus & aptatis. Atque ita tandem fucus Lambertinus in Hibernia, quaſi in fumum evanuit.

Quid

Quid verò Rex fecerit, ne recens rebellio iterum flammam conciperet, in ſequenti anno narrabitur. Non negandum enim Regem juſtas habuiſſe cauſas ſuſpicandi ſcintillas ibi aliquas non adeò plenè fuiſſe extinctas, quin datâ fortè novâ occaſione, incendium denuò ex iis excitari poſſet.

His diebus de Aſylorum immunitatibus, multæ per Angliam & Hiberniam querimoniæ increbuerunt: Hoc itaque anno, exorbitantia quædam eorum privilegia, Innocentius VIII Papa, per Bullam datam Romæ VIII Idus Auguſti, imminuit & depreſſit, ita ut deinceps facinoroſi ad ea confugientes, & nova crimina foràs perpetrantes poſt reditum, Regis aut miniſtrorum ejus mandato, ad examina ſubeunda extraherentur; Item, ut obæratorum ad ea confugientium bona creditoribus ſubjicerentur, ſi hoc in fraudem fecerint creditorum, ut denique læſæ Majeſtatis convicti ſimilitérque protecti, cuſtodiâ tamen à Rege arctâ includerentur, ne exeuntes pejora perpetrarent. Bulla ipſa habetur Weſtmonaſterii, in egregio Antiquitatum, præcipuè Britannicarum, Theſauro Cottoniano, ſub imagine Cleopatræ, E. 3. Criminum impunitatem in Aſylis, Græcis urbibus ſimile ólim attuliſſe malum, imperante Tiberio, donec per Senatus conſulta, modus præſcriberetur, oſtendit Tacitus, Annalium lib. 3.

ANNO

Anno Christi MCCCCLXXXVIII.

IN Hiberniam Rex miſit hoc anno Richardum Edgecombum Equitem auratum Cornubienſem, Aulæ ſuæ Cenſorem, ſive (ut loquimur) *Contrarotulatorem*, unum è Conſiliariis ſuis, ſingulari virum prudentiâ, cum armata 500 militum manu, & poteſtate tam ad Juramentum fidelitatis & obſequii recipiendum à proceribus, nobilibus minoribus & primariis civibus, quàm ad delictorum veniam concedendam. Eadem gratiâ non paucis è Proceribus & aliis nominatim à Rege priùs conceſsâ: Nam ex Eccleſiaſticis, Regiis diplomatibus, condonati fuerant Archiepiſcopi Armachanus & Dublinienſis, Epiſcopi Midenſis, Darenſis & Clonenſis, Abbates cœnobiorũ B. Mariæ juxta Dublin, S. Thomæ juxta Dublin, Baltinglaſſenſis, Navanenſis, Mellifontani, Bectifſenſis & B. Mariæ Trimmenſis; Priores deinde cœnobiorum S. Petri novæ villæ juxta Trim, Conallenſis & Louthenſis: Hi etiam ex Proceribus ſecularibus & aliis viris primariis, Comes Kildariæ, Vice-comes Gormanſtonæ, Barones Slanius, Delvinius, Killenius, Houthius, Trimletſtonius, Donſanius & Portleſterius, uti etiam primarii utriúſque *Banci* Judices. Hæc menſe Maio. Sed ut ad Edgecombum redeamus. Is cum 500 militibus (de quibus ſuprà diximus) quinque navibus impoſitis,

poſitis, ad portum Kinſalæ appulit Junii 27. Verumenimverò, ei animus fuit terram ibi non ingredi, ſed juramento fidelitatis, in nave ſua, à viris nonnullis primariis recepto, vela protinùs pandere, versùs alia loca. Eodem igitur die, in ipſa nimirùm nave, Thomas Dominus Barry Homagium pro Baronia ſua, necnon Juramentum fidelitatis coram eo præſtitit. Proximo tamen mane, Jacobi Domini Courcæi & opidanorum primariorum importunitate evincente, Kinſalam ingreſſus eſt, ubi in Eccleſiæ S. Mæltoci cancello, Courcæus Homagium pro Baronia præſtitit, & tam ille quàm opidani juramento fidelitatis & chirographis obſtricti ſunt. Quibus peractis, & Regiâ condonatione iis conceſsâ, poſt prandium, è Kinſala ſolvit, & ejuſdem menſis die ultimo, Waterfordiam appulit, urbem, quæ nullis fucis à debito obſequio ſe paſſa fuerat divelli. Ibi ab Urbis Prætore (quem Majorem vocant) & civibus honorificè receptus eſt. Poſtridiè verò, poſtquàm Urbis fidelitatem & conſtantiam magnoperè laudâſſet, Regíſque gratias & benevolentiam declarâſſet, unà cum protectionis & remunerationis promiſſo, vela fecit verſùs Dublinium, ſed ventis adverſantibus, eò non pervenit ante quintum Julii, quo die ſupplices eum exceperunt Urbis Prætor & cives, prope portam cœnobii fratrum Prædicatorum, à quibus fratribus in hoſpitium receptus eſt. Manſit ibidem 7 dies, ante reditum Comitis Kildariæ Deputati Hiberniæ à peregrinatione, quam tum nuper ſuſceperat. Julii 12, Comes tandem Dublinium

Dublinium rediit, eodemque die Edgecombus ad cœnobium S. Thomæ in ſuburbio occidentali, ubi Comes tunc erat, profectus eſt, deducentibus Epiſcopo Midenſi, Barone Slanio & aliis, à Kildario eo fine miſſis. Ibi poſtquàm in camera magna, literas Regias, non ſine ſignis quibuſdam acerbitatis, comiti palàm obtuliſſet, in partem interiorem ambo ſeceſſerunt, ubi, præſentibus duntaxat Proceribus, diù collocuti ſunt, de ſummâ rerum. Cæterùm tunc temporis propter abſentiam multorum è Proceribus, nihil decretum. Colloquio eo finito, Comes ad ædes ſuas Maynothenſes rediit, & Edgecombus, ad fratres Prædicatores. Poſtridie (qui dies erat Dominicus) Excommunicationis abſolutio, quam à Pontifice procuraverat Rex Henricus, omnibus fidelitatem debitam præſtantibus, Edgecombi mandato promulgata eſt, Dublinii in Eccleſia S. Trinitatis, in concione nempe à Paino Epiſcopo Midenſi ibi prolatâ. In diſceptatione de juramenti ſuſcipiendi formula, inter Edgecombum & Proceres, dies aliquot poſteà, tam Maynothæ, quàm Dublinii, elapſi ſunt. Conveniunt verò tandem de juramento ſequenti,

Ego——promitto & obligo me, quòd deinceps verus fidelis & obediens ero ligeus & ſubditus Celſiſſimi Potentiſſimique Principis Naturalis mei & Prudentiſſimi Domini Henrici VII, Dei gratiâ Regis Angliæ & Franciæ & Domini Hiberniæ, & hæredum ſuorum, de corpore ſuo exeuntium, Regum Angliæ. Item, quod nunquam juvabo, aſſiſtam aut fovebo aliquos rebelles aut proditores Domini mei prædicti, aut aliquos

ſubditorum

ſubditorum ejus, qui perpetrabunt aliquid contra eorum fidelitatem & perſonam Regiam, vel Coronam ejus. Et quòd nunquam juvabo vel fovebo privatè vel apertè aliquid quod erit contrarium Bono, Honori, vel Securitati dicti Domini mei, aut hæredum ſuorum Regum Angliæ, in rebus pertinentibus ad conſervationem nobiliſſimæ ſuæ perſonæ & Status Regalis: ſed ſi contingat quòd aliquo tempore mihi notum erit quicquam tendens ad damnum, dedecus, vel moleſtiam Celſitudinis ejus, vel dictorum ſuorum hæredum Regum Angliæ, pro viribus meis reprimam illud & impediam. Præterea quamprimùm potero, declarabo illud, vel declarari faciam Celſitudini ſuæ, vel hæredibus ſuis Regibus Angliæ, vel eorum Conſiliariis. Item quòd ſerviam dicto Domino mei & omnibus hæredibus ſuis Regibus Angliæ, in omnibus titulis eorum, ad Coronas Angliæ & Franciæ, & Dominium Hiberniæ pertinentibus, & in omnibus ejus & eorum titulis & contentionibus, in cauſa Coronæ. Et quòd vivam & moriar, cum eo & iis, contra omnes: atque ejus eorumque legitima mandata, pro viribus meis verè & fideliter obſervabo & exequar. Item ſi aliqui nuntii vel alii cujuſcunque ordinis, gradus, vel conditionis miſſi fuerint à Burgundiæ Duciſſa, vel à quocùnque alio, cum literis vel mandatis ad me, vel, quoad noſcam, ad aliquem alium, ut me vel illos pervertant à debita fidelitate & obedientia, vel ut incitent ſeditionem vel rebellionem, inter Regis ſubditos, vel ſi aliquis ſubditus Regis in Hibernia, vel exterus in Hiberniam venerit, & uſus fuerit aliquo ſermone ſeditioſo, vel indecenti, contra Regis perſonam, aut honorem, Ego annitar quamprimùm ad notitiam meam pervenerit, capere eum, vel eos, ita, uti dictum eſt, afferentem

rentem vel afferentes literas, vel nuntia, ad novam ſeditionem excitandam, vel ſeminantem vel ſeminantes ſermones ſeditioſos aut indecentes: Et *quòd, quantùm ad me attinet, faciam eos puniri, ſecundùm eorum demerita, vel aliter eum vel eos mittam ad Regem, cum eorum literis, vel ſermonum notitia. Item in poſterum non impediam nec impediri faciam executionem & declarationem magnarum Sanctæ Eccleſiæ cenſurarum, contra quamcùnque perſonam, cujuſcùnque fuerit ſtatus, gradus, vel conditionis, per aliquem Archiepiſcopum, Epiſcopum, Abbatem, Priorem, Rectorem, Vicarium, vel Curatum, intra terram Hiberniæ, authoritate S. noſtri Patris Innocentii VIII, conceſſarum, contra omnes Regis ſubditos, qui impedient vel perturbabunt Dominum noſtrum Henricum Septimum, in titulo Coronæ Angliæ & Dominii Hiberniæ, vel aliquo modo molientur ſeditionem vel rebellionem, vel ſuſtentabunt vel reficient aliquos proditores vel rebelles machinantes deſtructionem nobiliſſimæ ſuæ perſonæ, vel ſubverſionem dicti regni ſui Angliæ & Dominii Hiberniæ, ſed pro viribus meis adjutor ero in executione & declaratione dictarum cenſurarum, quoties ex parte dicti Domini noſtri Regis requiſitus ero, vel ſufficientem materiam aut cauſam habebo. Hæc autem Declaratio facta eſt abſque fraude, aut fallacia: Ita me adjuvet hoc Sanctum Sacramentum, &c.*

Eccleſiaſticorum autem Juramento adjecta eſt hæc clauſula: *Item, in poſterum quoties Ego legitimè requiſitus ero, ex parte Domini noſtri Regis, ad Eccleſiæ cenſuras exequendas, per authoritatem S. Patris noſtri Innocentii Papæ Octavi, & per Bullam ejus ſub plumbo, contra omnes*

Domini

Domini Regis ſubditos, cujuſcunque fuerint dignitatis, gradus, ſtatus vel conditionis, qui impedient aut perturbabunt dictum Dominum noſtrum Regem, in titulo ſuo Coronæ Angliæ & Dominii Hiberniæ, vel qui incitabunt ſeditionem vel rebellionem contra eum, vel qui adjuvabunt, ſuſtentabunt, vel reficient aliquem è proditoribus vel rebellibus ejus qui machinabitur deſtructionem nobiliſſimæ ſuæ perſonæ, vel ſubverſionem dicti ſui Regni Angliæ, vel Dominii Hiberniæ, dictas cenſuras, cum omni ſolennitate ad eaſdem pertinente, intra aliquam Eccleſiam meæ juriſdictionis palam & ſolenniter exequar, ac declarabo eaſdem cenſuras in & contra omnes tranſgreſſores ejuſdem Bullæ, vel exequi & declarari faciam, ſi cauſa mihi fuerit nota, vel aliter legitimè ex parte Regis noſtri, vel hæredum ſuorum Regum Angliæ, monſtrata fuerit, & probata. Neque diſiſtam ex amore, odio, invidia, metu, vel aliqua alia cauſa. Ita me adjuvet,&c. *Salvo ordine Epiſcopali.*

Julii 21, Homagium primùm præſtitit Geraldus Comes Kildariæ coram Dom. Richardo Edgecombo in cœnobio S. Thomæ, in Camera nimirùm magna, vulgò dicta *Camera Regia*. Deinde durante Miſsâ, ab excommunicatione abſolutus eſt, & more propoſito, Fidelitatis juramento obſtrictus. Similiter fecerunt Rolandus Euſtacius Baro de Portleſter, ſummus Hiberniæ Quæſtor, Robertus Preſtonus Vicecomes de Gormanſton, Jacobus Flemingus Baro de Slane, Nicolaus de Sancto Laurentio Baro de Houth; Chriſtophorus Barnewallus Baro de Trimletſton; Johannes Plunketus Baro de Donſany, & alii. Item ex Eccleſiaſticis, Walterus *Fitz-Simons* Archiepiſcopus

pus Dublinienſis, Johannes Waltonus ejus Prædeceſſor in Archiepiſcopatu, ſed qui ante aliquot annos reſignaverat, Mannerio tantùm de Swordes ſibi ad ſuſtentationem, quoad viverit reſervato: Item, Johannes Painus Epiſcopus Midenſis, Edmundus Lanus Epiſcopus Darenſis, Johannes Purſellus Abbas cœnobii S. Thomæ juxta Dublin. Walterus Champflourus Abbas cœnobii B. Mariæ juxta Dublin. & Jacobus Coganus Prior cœnobii S. Patricii de Holm-Patric, qui omnes poſteà chirographis porrò fuerunt obſtricti ad fidelitatis Juramentum obſervandum. Neque hîc prætermittendum Edgecombum, poſtquàm Comes homagium præſtitiſſet, torquem aureum collo ejus aptâſſe, quem Rex ei miſerat, tanquàm benevolentiæ ſuæ arrhabonem. His ita peractis, Edgecombus ſplendido epulo excepit Comitem, & quampluri- mos è proceribus, in Domo fratrum Prædicatorum. Poſtridie, Thomas Meilerus Prætor Urbis & cives primarii in Prætorio, vulgò dicto *The Toulſell*, congregati, fidelitatis juramentum, coram Edgecombo, præſtiterunt, & juramenti formulam, ſub urbis ſigillo, Regi tranſmiſerunt.

Julii deinde 23, Edgecombus, Dublinio Pontanam (quam Droghedam vulgò dicimus) adiit. Dieque proximo, poſtquàm nempe Prætor & opidani juramentum fidelitatis, in Prætorio ibidem, coram eo ſuſcepiſſent, condonati ſunt omnes, & in gratiam Regis (diplomate Regio) recepti. Inde Trimmam profectus eſt die ſequenti, ubi præteritorum venia Præpoſito (ſive *Portgrevio*) & opidanis itidem conceſſa eſt, poſt agnitam Regi fidelitatem

tatẽ. Ibi etiã Nicolaus Herbertus Prior cœnobii S. Petri novæ villæ juxta Trimmã, Richardus Nangle ſive de Angulo Abbas Navanenſis & Jacobus de Caſtro-Martin Abbas Bectiffenſis juramentum oblatum præſtiterunt, & in gratiam Regis recepti ſunt. Dublinium deinde reverſus Julii 26, ibi brevi poſteà, in Domo fratrum Prædicatorum, ſimile ſacramentum, inter alios, dixerunt Octavianus de Palatio Archiepiſcopus Armachanus, Philippus Birminghamus ſummus in Tribunali regio Judex, & Thomas Dowdallus Rotulorum Præfectus. Edgecombi penſo ad finem jam fermè perducto Kildarius & nonnulli alii è magnatibus, enixè cum illo egerunt, ut Ketingus Prior (de quo ſuprà) & Thomas Plunketus ſummus communium Placitorũ Judex condonarentur. Nam hi duo, præcipuè verò Ketingus, Regis iram in ſe valdè excitârant, quaſi nuperæ rebellionis faces & anteſignani. Plunketo quidem, illorum interceſſionibus, data tandem eſt venia, Ketingo autem, ob plurima illi objecta crimina, non ſolùm veniam concedere præcisè is recuſavit, ſed protinùs etiam munere Præfecti caſtri Dublinienſis amovit, quod per aliquot annos uſurpaverat, eique amoto ſucceſſit Richardus Archboldus, quem Ketingus priùs poſſeſſione vi deturbârat. Tunc verò Edgecombus ultimo condonationum negotio confecto, Julii 29, Dalkeyam iter fecit, quò Archiepiſcopus Dublinienſis & alii viri primarii non pauci eum honoris ergô deduxerunt. Ibi navem ille conſcendit, & Cornubiam versùs vela fecit, ſed partim ventis adverſantibus partim tempeſtate impeditus, in Cornubiam non appulit, ante diem 8. Auguſti inſequentis.

Circa

Circa idem tempus, Johannes Painus Epiſcopus Midenſis (quem falsò liber Houthenſis inter Kildarii adverſarios numerat) à Kildario & Senatu Regio in Angliam miſſus eſt nuntius, tum ad Regem placandum, tum ad adverſariorum machinationes prævertendas. Neque defuit ſibi è contra, Octavianus Archiepiſcopus Armachanus: Nam ut Kildarii & aliorum ſuorum adverſariorum vires faciliùs enervaret, multum egit cum amicis ſuis in Anglia, de Hiberniæ Cancellariatu ſibi obtinendo: licèt irrito ſucceſſu. Sibi fidum eum fuiſſe Rex benè novit, veruntamen pro ratione illorum temporum, meritò metuit, ne ſi eum conſtitueret Cancellarium, Reip. id detrimento fieret, ne inde nimirum contentiones inter Deputatum & illum tunc temporis fermè extinctæ reſuſcitarentur, & ſic publica Pax diſturbaretur.

Brevi poſteà Kildarius in Moycaſſelam Mac-Geoghegani regiunculam profectus eſt, ubi caſtrum Bilerahum vi cepit & diruit, atque inde milites diſperſi prædia circumquáque depopulati ſunt, & cum prædis ſpoliiſque domum redierunt.

Idem annus ſupremus erat Thomæ Haroldo Priori Eccleſiæ cathedralis S. Trinitatis Dublinii, viro graviſſimo, qui obiit Februarii 27. Ad hujus rogatum, (Octobris 1. 1486) Henricus VII annuam 20 librarum penſionem dictæ Eccleſiæ conceſſit, ex redditu civitatis Dublinienſis. Fama obtinet hanc Haroldorum in Hibernia familiam ſtirpem eſſe Danicam, ſive Oſtmannicam.

Anno Christi MCCCCLXXXIX.

EX Hibernia accerſiti in Angliam transfretârunt Proceres ferè omnes Seculares, ſive (ut vulgò loquimur) *Temporales*, qui Grenovici (ad 4 ab urbe Londinenſi lapidem) in conſpectum Regis admiſſi, ab eo acriter increpati ſunt, quòd Lamberti cauſam propugnâſſent. Inter alia, Regem dixiſſe ferunt ſe putâſſe eos ſimias tandem coronaturos, ſi ipſe diù abſens fuerit. Aſſerit prætereà liber Houthenſis quòd quo primo tempore, in Aula Regia, epulo excepti fuerunt, Rex Lambertum Pincernæ munus pro ea vice obire fecit, eo modo crimen eorum oſtendens & redarguens. Cæterùm paulò poſteà in gratiam Regis plenè recepti ſunt & honorificè habiti, ſpeciatim in ſolenni proceſſione Grenovici, Regem ad Eccleſiam comitati, ac benignè demùm, pro ſolita Regis clementia, dimiſſi. Baroni Houthæ diſceſſuro, ob fidelitatem ſpectatam, Rex auri ſignati 300 libras Anglicanas, quæ aureos Gallicos circiter mille conficiunt, benevolentiæ ſuæ teſtimonium, dono dedit. Hæc in Anglia.

In Hibernia hoc anno Mauritius comes Deſmoniæ, in duobus conflictibus victor fuit: in altero, vicit & interfecit Murchardum O-Carroll & Mælmurrium fratrem ejus, in altero, Dermitium Cartæum filium Thaddæi.

Mauritius

Mauritius ille (quod recens nominis ejus mentio ſubmonuit) à nonnullis *Claudus* cognominatus eſt, ſed vulgò *Bellicoſus*, ob crebros nimirùm conflictus, quos cum vicinis habuit; à quibus etiam multa prædia extorſiſſe ferunt, & ſui juris feciſſe.

Julii 6, Synodus Provincialis celebrata eſt ab Octaviano de Palatio Archiepiſcopo Armachano, in Eccleſia parochiali B. Mariæ virginis de *Athirde*, aliàs de Atrio Dei, cui interfuerunt Johannes Painus Midenſis, Edmundus Curſæus Clochorenſis, Gulielmus Ferrallus Ardachadenſis, Georgius Dromorenſis, Donaldus Fallonus Derenſis, Menelaus *Mac-Carmican* Rapotenſis, & Walterus Blakæus Cluanenſis ſive Clonmacnoiſenſis, Epiſcopi. In hac Synodo, magna fuit contentio inter Thomam quendam Bradæum filium Andreæ & alium dictum Cormacum, de jure Epiſcopatus Kilmorenſis ſive Triburnenſis. Atqui res tandem, communi conſenſu, ſubjecta eſt Midenſis, Clochorenſis & Ardachadenſis Epiſcoporum arbitrio. Quid tunc temporis concluſerint, non comperi: Hoc certè conſtat ex Regeſto jam dicti Octaviani, utrúmque (tam Thomam nempe quàm Cormacum) ſexennio poſteà appellatum fuiſſe Epiſcopum Kilmorenſem, & interfuiſſe (quod mireris) Concilio Provinciali Pontanæ tunc habito, in Eccleſiâ S. Petri.

Eodem anno, 3 Kalendas Februarii, è vitâ migravit Philippus Birminghamus primarius in Tribunali regio Judex, vir Juris patrii prudentiâ inſignis, & in cœnobio B. Mariæ virginis juxta Dublin. ſepultus eſt. Tota prætereà hæc æſtas valde morboſa extitit, peſte ac

febribus ſupra modum graſſantibus, unde quamplurimi mortales perierunt. In Anglia ſub finem Novembris, Arthurus Regis filius (tum triennis) Walliæ Princeps creatus eſt.

Anno Christi MCCCCXC.

His diebus Margareta Burgundiæ Duciſſa dotaria, (de qua anteà) ex odio in Henricum regem & familiam Lancaſtrienſem novum ſtatuit Belli incendium in Hibernia excitare. Primùm igitur falſos ſpargit rumores Richardum Ducem Eboracenſem in arce Londinenſi non fuiſſe occiſum, ut vulgò ferebatur, ſed fugâ evaſiſſe. Poſteà adoleſcentulum quendam vero nomine Petrum Oſbeckum, ſed vulgò Perkinum Warbekum vocatum, exploratorum ſuorum ope, ſelegit ad Ducem hunc Eboracenſem agendum, filium ſcil. ſecundo-genitum Regis Edwardi IV, regníque, fratre ſuo ſeniore Edwardo V occiſo, hæredem. Erat enim Perkinus vultu & corpore Richardo non diſſimilis, ingenio prætereà admodùm acuto, ætate etiam conveniente: Tornaci quidem editus in Flandria, patre Johanne Osbecko urbis Cenſore, matre Catharinâ de Faro: Sed qui linguæ Anglicæ non expers erat. Hunc

igitur

igitur Duciſſa idoneum judicans inſtrumentum, occultò apud ſe, per aliquot menſes, detinuit, donec nempe eum Principis geſtum imitari docuiſſet, & de omnibus quæ ad Ducem Eboracenſem pertinerent, plenè informâſſet, cum aliis quibuſdam documentis, ad rem tantam ſuſcipiendam neceſſariis. Ita inſtitutum, clanculùm eum demùm in Luſitaniam miſit, unà cum Domina Bramptona, Edwardi Bramptoni Equitis aurati uxore, ac uno è famulis ſuis, qui tanquàm explorator actiones ejus quotidiè obſervaret, eoque porrò conſilio, ut inde, & non è Flandria, ne machinatio hæc à ſe profluxiſſe videretur, in Hiberniam navigaret, quamprimùm ab ea mandatum reciperet. In Hibernia enim non pauci adhuc remanebant, id quod illa ſatis novit, nominis Eboracenſis plurimùm ſtudioſi. Sed Perkinum in Luſitania jam relinquamus, cætera quæ poſt appulſum ejus in Hiberniam ad eum pertinent, ſuo loco explicaturi. Interim tamen haud prætermittendum nonnullos etiamnum contendere hunc (Perkinum quem dicimus) verum Richardum Ducem Eboracenſem extitiſſe. Fatendum ſanè vitam ejus, (quoad circumſtantias) non parvâ involutam obſcuritate, præſertim ſi conſideremus tot Principes (ut ex ſequentibus patebit) partem ejus contra Regem, per aliquot annos, foviſſe. Cæterùm conſtabit itidem, ſub hoc prætextu, quemque ſuum promoviſſe negotium, eoque finito, Perkinum deſeruiſſe. Neque novum aut mirum iis videbitur principes imaginarios tanta auſos moliri,

quibus notæ ſunt Hiſtoriæ Pſeud-Alexandri, apud Joſephum, & Pſeudo-Neronis, apud Tacitum & Suetonium. Sed jam ad inſtitutum pergamus.

ANNO CHRISTI MCCCCXCI.

PRocraſtinabat adhuc Margareta Burgundiæ Duciſſa Perkini miſſionem in Hiberniam. Interim omnia ibi pacata videbantur. Annus tamen vulgò dicebatur infauſtus : nam continuis in æſtate & autumno pluviis, magna erat annonæ caritas per univerſam Hiberniam.

Sub exitum porrò Decembris, poſt Cometam, qui per aliquot dies effulſit, Morbus quidam gravis & peſtilens, à loco ubi primùm natus, Sudor Anglicus vulgò nominatus, Hiberniam primùm affligere cœpit, quem Medicorum nonnulli manâſſe putant, à malignitate quadam in ipſo aëre, ex crebris & inſalubribus cœli mutationibus, impreſſa. Hujus morbi Symptomata & remedium præſens utpote rem miram, Polydori Virgilii verbis, ad annum primum Henrici Septimi, quo morbus ille Angliam primò vexavit, adſcribere non pigebit, *Eodem anno, novum morbi genus pervaſit per totum regnum, ſub primum Henrici in Inſulam deſcenſum, dira quidem lues & quam nulla ſit ætas anteà quod conſtet perpeſſa : ſubitò enim ſudor letalis corpus tentabat, ac ſimul dolor caput*

caput ſtomachúmque vehementi caloris ardore affectum infeſtabat. Quo morbo homines vexati, quia alii æſtus impatientes, ſi in lecto erant, ſtragula dimovebant, ſi veſtiti, veſtes deponebant, alii ſitibundi frigidum potum ſumebant, alii demum patientes caloris fœtoriſque, (nam ſudor grave olebat) additis ſtragulis, ſudorem provocabant: ita ut ex omni ægrotantium numero, vix centeſimus quiſque revaleret. At poſt 24 horas, tanto temporis ſpatio vis ejus morbi ſæviebat, abeunte ſudore ſervabantur, non eo tamen expurgati erant, quin iterum atque iterum in morbum reciderent, multique inde interirent. Sed ea res remedium tanto malo ad ultimum monſtravit: Nam qui ſemel primò ſudârant, cùm deinde tentarentur, obſervabant ea quæ in prima curatione profuiſſent, & illis pro remedio utentes, addebant ſemper aliquid ad curationem utile. Item, & illi iidem cùm iterum in idem valetudinis genus inciderent, ex priore obſervatione, vim ſudoris facilè evaderent. Quibus rebus ita uſu venit, ut poſt ingentem mortalium ſtragem, remedium unicuique promptiſſimum inventum ſit, quod hujuſmodi eſt: Si quis interdiù ſudore corripiatur, cùm veſtitus, protinùs cubatum eat, ſin noctu & in lecto, tum quieſcat, nec ſe è lecto moveat, uſque ad 24 horas exactas, interim ita ſe ſtragulis oneret, quo non provocetur ſudor, ſed ſua ſponte molliter ſtillet, cibi nihil capiat, ſi tam diù tollerare poſſit, neque plus potus conſueti ac calefacti hauriat, quàm modicè ſatis ſit ad ſitim extinguendam. Inter hanc curationem in primis caveat, ne manum quidem aut pedem, ſui refrigerandi causâ, extra ſtragula proferat, quod facere letale eſt. Hoc remedium eſt novo morbo inventum, qui tantùm

Angliam

Angliam id temporis pervaſit, & poſtmodùm ſæpè graviter vexavit. Sic Polydorus, qui ſub exitum anni 1507, Archidiaconatu Wellenſi donatus eſt.

Obſervârunt nonnulli hunc morbum juvenes plerúnque & viros mediâ ætate florentes invaſiſſe, qui ſi in initio morbi vel paululum dormitarent, ſtatim interibant: Paucos porrò evaſiſſe quos morbus ſaturos invaſerat: Fœminas verò, pueros & ſenes hoc malo rarò correptos. Cæterùm de morbi illius novitate, non eſt cur miremur: Nova morborum genera noſtris etiam temporibus exoriri quis neſcit? Atque idem de temporibus antiquis ſentiendum eſt, ut è Plin. lib. 26. cap. 1. ſatis liquet, ubi de temporibus agit quibus novi morbi, nominatim, Mentagra, Carbunculus, Elephantiaſis, Gemurſa, & Colus in Italia primùm cœperunt. Sed de his ſatis ſuperque. Pergamus jam ad alia.

Junii 22 Elizabetha Regina filium Regi peperit Grenovici in Cantio, Henricum nuncupatum, qui poſtmodùm regnavit.

Sub exitum Novembris, Kildarius Parlamentum Trimmæ indixit, tenendum die Veneris proximo poſt feſtum Epiphaniæ Domini. Sed de Legibus vel Actis ibi latis, nihil quod ſciam extat.

Januarii 15 è vita migravit Thomas Scropus aliàs de *Bradley* fermè centenarius, vir genere ortus nobili, ſed virtutibus nobilior, qui dum Carmelita eſſet Norwicenſis, ab Eugenio IV Papa, deſignatus eſt Epiſcopus Dromorenſis in Hibernia. *Poſt acceptam verò epiſcopalem dignitatem*, (verba

ſunt

ſunt Johannis Lelandi Antiquarii hactenùs inediti) *Rhodianis militibus chariſſimus fuit: Nam apud illos Legati functione uſus eſt. Præterea Romæ in pretio erat, magnámque cum Eugenio IV, cui libros aliquot hiſtoricos, de rebus Carmeliticis dedicavit, gratiam inіverat: Vixit ad decrepitam uſque ætatem. Mortuus eſt anno Dom.* 1491. *Sepulchrum ejus oſtenditur Lovetofti, opido maritimo & limitaneo Sudovolgiæ.* Sic ille. Scropi liber, quem de Carmelitani ordinis Inſtitutione ſcripſit, etiamnum extat Cantabrigiæ in Bibliothecâ publicâ. Is diù antè obitum epiſcopatu ſe ſponte abdicavit, & Carmelitarum diſciplinæ ſe denuò ſubmiſit, in cœnobio ejuſdem ordinis Leſtofti, ubi, à mundanis occupationibus ſegregatus vixit. Succeſſit ei in Epiſcopatu (tempore Henrici VI Regis) Thomas Radcliffus, qui ſicut prædeceſſor, in Anglia vixit, & (quantùm auguror) ſedem ſuam Epiſcopalem nunquàm vidit. In libro Benefactorum Eccleſiæ Dunelmenſis, olim vulgò dicto *Libro Vitæ*, fol. 57. b. is appellatur *Magiſter Thomas Radcliff Epiſcopus Dromorenſis & Suffraganeus Dunelmenſis.* Habetur liber iſte in egregia Bibliotheca Dom. Thomæ Cottoni Baronetti, (ſub Domitiano, A. 7) cujus libri prior & antiquior pars literis aureis & argenteis exarata eſt. Extrema Scropi ſenectus confirmare videtur eorum opinionem qui animi tranquillitatem & victum monaſticum, ſecundùm regulas ſtrictiores, ad valetudinem & longævitatem plurimùm conferre putant.

Hæc

Hæc ſub exitum anni. Interim in Ultonia, diſſidiis indies creſcentibus, inter Conum O-Nealum Tironiæ Dynaſtam & Odonem (ſive Hugonem) *Rufum* O-Donellum Tirconallium, utérque tandem, menſe Auguſto, per amicorum interceſſionem, ad Kildarium (Deputatum) profectus eſt, ut ab illo, poſt auditas querelas, pax ſi commodè id fieri poſſet, componeretur. Suſcepit Comes reconciliationis negotium; atqui per litigantium pertinaciam, ſine fructu. Redeunt itaque illi in Ultoniam, ubi poſt prædas utrobique paſſim abactas, pugna tandem inter eos commiſſa eſt, in qua multi utrínque ceciderunt, ſed plures ex parte O-Donelli. Cæterùm Conus haud ita diù pòſt, nempe VI Idus Januarii 1492 (ſtylo Anglicano) per Henrici fratris malas artes trucidatus eſt. Túmque Tironia ad tempus quaſi diviſa fuit, dum altera pars incolarum Henricum ſequeretur, altera, Donaldum fratrem (ut opinor) ſeniorem, donec reſignante tandem Donaldo, anno 1497, eo ambitionis obice amoto, Dynaſtiam ſolus occupaverit Henricus. Vèrùm non diù duravit hæc malè parta potentia, uti ſuo loco poſteà patebit.

Audax omnia perpeti (inquit Horatius)

Gens humana ruit per vetitum nefas.

Ad O-Donellum quod attinet, Is porrò VII Kalendas Junias 1497, (ut omnia ſimul congeramus) præfecturâ ſe abdicavit, & in ejus locum ſuffectus eſt Conus filius, die Martis proximo

proximo ſequenti. Vixit poſteà Odo ad annum uſque 1505, quo ſenex deceſſit 5 Idus Julii, & in cœnobio fratrum Minorum obſervantium de Donagall, quod ipſe fundaverat, ſepultus eſt. Hæc ideò hîc conjunximus, ne ſeries narrationis interrumperetur.

Ut verò ad hunc annum redeamus: Ad Monetariorum corruptelas fraudeſque prævertendas, Martii die XXIX, Nicolaus *Flyn*, à Rege conſtitutus eſt *Superviſor* officinarum monetariarum Dublinii & Waterfordiæ. Menſe etiam Aprili ſequenti, prodiit Edictum Regis contra nummos adulterinos, anteà in Hibernia cuſos.

ANNO CHRISTI MCCCCXCII.

DE novis quibuſdam in Hibernia machinationibus, Rex Henricus jam certior factus, in locum ſuſpecti Comitis Kildariæ ſuffecit (rebus ſuis ita ut judicabat poſcentibus) Walterum *Fitz-Simons* Archiepiſcopum Dublinienſem, cum titulo Deputati Gaſparis Ducis Bedfordiæ *Locum-tenentis*. Hiberniæ. Sub idem etiam tempus, amoto Rolando *Fitz-Euſtace* Barone Portleſterio, Kildarii ſocero, à munere ſummi Hiberniæ Quæſtoris, quod annos pluſquàm 38 adminiſtraverat, ad locum illum promovit Jacobum Ormondium Equitem

Equitem auratum, filium nothum Johannis tum nuper Comitis Ormoniæ, (in peregrinatione Hieroſolymitana defuncti, circa annum Domini 1478) cum modica militum manu, protinùs in Hiberniam miſit. Hæc menſe Junio. Cæterùm de Actis ejus, quæ ad hunc annum pertinent, poſt appulſum, nihil traditum reperi, præterquàm quòd velitatione una vel altera, prope Dublinium, cum Kildario & Geraldinis decertavit. Hæc res utrique familiæ magna attulit detrimenta. Inter alia, hinc anſam arripuerunt Hibernicæ originis non pauci, Anglorum limites, incendiis & direptionibus vaſtandi. Junii itidem XI, Alexander Plunketus ex ordine equeſtri Hiberniæ Cancellarius à Rege conſtitutus eſt: De quo munere fideliter adminiſtrando ſacramentum præſtitit Dublinii, 26 inſequentis Septembris. Eodem etiam die Thomas Butlerus *Rotulorum* Cancellariæ Præfectus deſignatus, muneris ſui juramentum ſuſcepit. Paulóque anteà, 20 nempe Auguſti (nam annus hic fuit mutationibus memorabilis) Nicolaus Turnerus (amoto Plunketo) ſummus communium placitorum Judex ſimile loci ſui ſacramentum præſtitit.

Inter hæc, Henricus noſter ad Carolum Octavum Gallorum regem, Legatos miſit Thomam Comitem Ormoniæ, Reginæ Camerarium ſummum & Thomam Goldſtonum Priorem Eccleſiæ cathedralis Cantuarienſis, viros prudentes & integerrimos, de fœdere inter eos, ſi commodè id fieri poſſet, tranſigendo, *quod negotium utrinque*

trinque artificio (inquit Polydorus) *ſummo agebatur.* Cæterùm Caroli conſilio de nuptiis inter ſe & Annam Armoricæ ſive Britanniæ Ducíſſam hæredemque conficiendis, jam plenè detecto, Legati (ad eam præcipuè rem develandam miſſi) Henrici juſſu, qui moleſtè tulit quod Gallus his nuptiis Britanniam in ſuam ditionem redigeret, in Angliam, re infectâ redierunt. Comitem hunc Ormoniæ (digreſſioni ignoſce) ut ſingulari Principis ſui favore, ita opum affluentiâ floruiſſe ferunt, & cùm poſt aliquot annos in Hiberniam rediret, immanem pecuniæ ſummam ſecum portâſſe. Aſſerunt nonnulli expreſsè quadraginta millia librarum monetæ Anglicæ, præter argentum cælatum, poſt mortem (quæ Londini accidit anno 1515) in loculis ſuis reliquiſſe. Res mira certè, &, pro illorum temporum ratione, vix credibilis.

Verùm ut in inſtituto curſu progrediamur; Dirupto mox inter Reges negotio pacis, belloque utrínque indicto, Burgundiæ Duciſſa tempus jam nacta ut putabat opportunum, miſſis per nuntium Uliſſiponem in Luſitania literis, Perkinum, ſine mora, in Hiberniam trajicere mandat. Is literis perlectis, ad iter protinùs ſe paravit, atque nave conſcenſâ, haud multò pòſt, Corcagiam appulit, urbem 100 milliaribus versùs auſtrum, à Dublinio diſtantem. Ibi (ſi qua fides ſit adhibenda confeſſioni, manu ſuâ propria, in Anglia poſteà deſcriptæ) cives quidam eum ſplendidè veſtitum videntes,

tes, filium eſſe affirmârunt Georgii nuper Ducis Clarentiæ, alii, filium nothum Richardi III, demum verò, conjunctis ſuffragiis, eum pro certo eſſe Richardum Ducem Eboracenſem, filium ſecundum Edwardi IV. Addit Confeſſio ejus hæc ſe primò juramentis abnegâſſe, coram Urbis Prætore & civibus, ſed per eorum importunitatem & copiarum promiſſa, quaſi partim ab Urbe, partim à Comitibus Kildariæ & Deſmoniæ, in ejus auxilium adversùs Regem conſcribendarum, illis ſe tandem dedere adactum. Sic ille de ſeipſo. Sunt tamen, quibus ego potiùs fidem habeo, qui diſertè tradant ſtatim poſt appulſum in Hiberniam, ſe pro Richardo Duce Eboracenſi palàm geſſiſſe, & à civibus Corcagienſibus magnâ gratulatione exceptum, ſed præcipuè à Johanne *Water* mercatore. Fama etiam manet eum Wateri *apprenticium* (ut vocant) ibi aliquando extitiſſe, quod nec affirmare mihi animus eſt, nec refellere. Literæ ejus ad Comites Kildariæ & Deſmoniæ miſſæ etiamnùm extant, quibus eos oravit, uti ſibi in oppugnando Henrico non deeſſent, ſed auxiliares mitterent copias, ad jus ſuum recuperandum. Atq; ita Hibernia his temporibus quaſi Theatrum fuit, quod intrârunt perſonati Principes, licèt brevi, perſonis depoſitis, è Theatro extruſi. Cùm hæc comperiſſet Carolus Rex Gallicus, hanc anſam avidè arripiens, Perkino per nuntios protinùs ſignificavit ſibi deliberatum eſſe auxilia illi abunde præſtare, ad regnum ſuum recuperandum, ab uſurpatore, profeſſo Galliæ hoſte, eoque nomine rogavit eum, ut ad ſe in Galliam properaret. Magnis hiſce pollicitationibus

tionibus Perkinus exultans, & omnia ſibi jam ratus ex animi ſententia ſuccedere, inſtigatus præterea à prædictis nuntiis, nimirum Ludovico quodam de Laques & Stephano Friono, nuper Regis Henrici Amanuenſi pro lingua Gallica, ſed qui Regi neſcio unde infenſus, ab eo nuper defecerat, rem cum amicis præcipuis & fautoribus communicavit, eorumque conſilio, brevi poſteà vela fecit Galliã verſùs, ubi ventis faventibus incolumis appulit, & ad Aulam Regis deductus, ab eo, Ducis Eboracenſis nomine ſalutatus eſt & honorificè exceptus. Hæc palàm: Sed reverà nullum alium in finem Rex iſta fecit, quàm ut Henricum noſtrum ad æquiores Pacis conditiones flecteret: nam negotio pacis poſteà tranſacto, Perkinus citò neglectus eſt. Is igitur ex metu (ut creditur) nè Henrico in manus traderetur, in Flandriam clanculùm ad Duciſſæ Curiam confugit, ubi quaſi verus Edwardi I V filius tum primùm ab ea viſus, perhonorificè receptus eſt.

Hoc tempore, Prophetia Sancti Cataldi Hiberni, Epiſcopi primùm Rachuenſis in Momonia, (quæ Provincia eſt auſtralis Hiberniæ) deinde Tarentini in Italia, plumbeis laminis inſcripta, Tarenti inventa fuiſſe dicitur, & Ferdinando Primo Regi Arragoniæ & utriúſque Siciliæ oſtenſa. Mira quæ tam de Prophetia ipſa, quàm de inventione ejuſdem traduntur; petas ex Alexandro ab Alexandro, (qui tum vixit) in Genialium dierum, lib. 3, cap. 15. De Monumentis publicis, & Libris olim plumbeis laminis confectis, vide

D d etiam

etiam Herman. Hugon. lib. de Prima Scribendi origine, cap. 10.

Sed hunc annum nihil magìs nobilitat quàm Chriſtophori Columbi Genuenſis Navigatio, quâ novus quaſi Orbis in Atlantico Oceano Ferdinandi Caſtellæ Regis auſpiciis, tum primùm Europæis, ut pleríque putant, detectus eſt. Non deſunt qui huic detectioni, tanquàm vaticinium, referunt illud Senecæ, in Medea,

———Venient annis
Secula ſeris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus, Typhiſque novos
Detegat orbes, nec ſit terris
Ultima Thule.

Iſta mutuâſſe videtur Seneca ex Platonis Diſſertatione, in Phœdone, de Orbe incognito. Quantum ſibi & gloriæ ſuæ, è procraſtinatione, defuit Rex noſter Henricus, cui rem priùs obtulerat Columbus, judicent alii. Ad Hibernica nunc redeamus.

Tanta erat per Hiberniam hâc æſtate ſiccitas, ut quamplurimi fluvii fermè ſiccati eſſent, & pecora paſſim ſiti perirent. Sæviit etiam paulò poſteà peſtilentia, quâ, inter plurimos alios, ſublatus periit Jacobus Flemingus, (ſive Flandrenſis,) Baro Slanius, cui ſucceſſit Chriſtophorus filius, qui poſtmodùm ab Henrico VIII, Januarii 13 (ſtylo Anglicano) 1513, ſummus Hiberniæ Quæſtor conſtitutus eſt. Deniquenon abs re erit verbo memorare, Cometam hoc anno, per duorum menſium ſpatium poſt ſolis occaſum, effulſiſſe.

ANNO

ANNO CHRISTI MCCCCXCIII.

SUb finem Junii (nempe die Veneris proximo poſt feſtum Nativitatis S. Johannis Baptiſtæ) Walterus Archiepiſcopus Dublinienſis Deputatus Gaſparis Ducis Bedfordiæ Locum-tenentis Hiberniæ. Ordines ad Parlamentum Dublinii evocavit, in quo irritæ declarantur *Inquiſitiones* omnes adverſus eum, Rolandi Baronis Portleſterii inſtigatione, anteà compertæ. Ipſi porrò Baroni, ſubitâ rotæ converſione, dies in *Scaccario* ſiſtendi indicitur, ad rationem reddendam muneris ſui, dum ſummus eſſet Hiberniæ Quæſtor, ſub pœna amiſſionis terrarum & bonorum, nec non corporis diſponendi, pro voluntate Regis. Quandò vel quo pacto ſedata fuerit hæc tempeſtas, non comperi. Tunc porrò cives Waterfordienſes, qui in Comitiis Parlamentariis, ante aliquot annos, ſub Geraldo comite Kildariæ habitis, damnati fuerant, latâ lege, plenè reſtituti ſunt, & Statutum contra eos, ſic anteà editum, antiquatum eſt & abrogatum: Urbis etiam poſſeſſiones & immunitates confirmatæ. Iiſdem Comitiis, ad ſeditioſorum quorundam machinationes prævertendas, Auguſti dies 12 dictus eſt Johanni Water civi Corcagienſi, uni è præcipuis Perkini fautoribus (cujus ſuprà fit mentio) comparendi, & Præfecto ſive *Conſtabulario* Caſtri Dublinienſis in manus ſe red-

dendi, ſub criminis *feloniæ* pœna. Idemque dies, ob eandem cauſam, aſſignatus eſt Philippo Water (Johannis filio) Decano Limericenſi, & aliis expreſſim in Statuto nominatis, inter quos fuit Edmundus Comerfordus Decanus Kilkennienſis, qui tamen feliciter abſolutus, poſteà Epiſcopus evaſit Oſſorienſis, ut ſuo loco narrabitur. In eodem denique Parlamento, (ut quæ minoris ſint notæ prætermittamus) omnes Coronæ poſſeſſiones, quæ poſt annum primum Henrici Sexti conceſſæ fuerant, ſive alienatæ, Regi reſtitutæ ſunt, cum cautionibus tamen quibuſdam, in Statuto expreſſis. Menſe Auguſto ſequenti, hoc Parlamentum ſolutum eſt.

Paulò deinde poſteà, circa ſextum ſcilicet inſequentis Septembris, Waltero Archiepiſcopo Dublinienſi ſucceſſit in munere Deputati Gaſparis Ducis Bedfordiæ Locum-tenentis Hiberniæ Robertus Preſtonus Eques Auratus, primus Vicecomes Gormanſtonenſis. Quem honorem conceſſerat ei Edwardus IV. Is, ſimul ac gladium Authoritatis accepiſſet, Proceres & alios viros primarios, è Pagis ſive (ut vulgò loquimur) *Comitatibus* Midiæ, Dublinii, & Kildariæ, qui intereſſe poterant, Trimmam convocavit, ubi duodecimo ejuſdem menſis (die ſcilicet præſtituto) convenerunt Dom. Alexander Plunketus Cancellarius, Geraldus Comes Kildariæ, Johannes Paynus Epiſcopus Midenſis, Edmundus Lanus Epiſcopus Darenſis, Chriſtopherus Flemingus Baro Slanius, Richardus Nugentus Baro Delvinius, Edmundus Plunketus.

Baro

Baro Killenius, Nicolaus à S. Laurentio Baro Houthius, Chriſtophorus Ba.newallus Baro Trimletſtonius, Johannes Plunketus. Baro Donſanius, Gulielmus Darcy & Gulielmus Welleſley Equites Aurati, & alii deinde nonnulli, qui omnes, 4 die poſteà, ad Articulos quoſdam Paci Regni conſulentes obſervandos, & chirographos dederunt & obſides. Articulorum præcipui fuerunt, ad Militiam ſine Proregis ſive *Deputati* aſſenſu cohibendam, & ad tributa quædam Hibernica tollenda, cum quibuſdam aliis, in homicidas, deprædatores & errones. Parlamentum porrò Pontanæ ſive Droghedæ habuit, cujus Statuta non extant. Atqui illud Parlamentum in proximis Comitiis, ſub Poyningo habitis, anno ſequenti, vacuum adjudicatum eſt ac invalidum, idque propter rationes ſequentes, Primò, quòd Dux Bedfordiæ, Locum-tenens Hiberniæ, cujus Deputatus ille fuit, munus ſuum abdicâſſet, ante Parlamenti citationem: Secundò, quòd citatio non eſſet generalis, ſed quatuor tantùm comitatibus directa: Tertiò denique, quòd in diplomate Regio quo Deputatus is conſtitutus eſt nulla data eſſet ei poteſtas Parlamentum convocandi. Interim menſe Octobri, Walterus Archiepiſcopus Dubliniensis in Angliam profectus eſt, ubi Regem, de Statu rerum Hibernicarum plenè informavit.

Porrò Kildarius (quod oblivione non eſt tegendum) de criminationibus, ab adverſariis, in Aula Anglica, in ſe comparatis, certior factus, menſe Novembri in Angliam etiam

trajecit, ut de criminationibus objectis, ſe apud Regem purgaret. Ibi auditus quidem, ſed reſponſis ea tempeſtate à Rege non probatis, in Hiberniam remiſſus eſt anno ſequenti, cum Edwardo Poyningo Equite, Hiberniæ Deputato deſignato, ad examen ibi ſubeundum. Inter Comitis adverſarios inprimis memoratur Jacobus Ormondius, Hiberniæ Theſaurarius, qui paulò antè, prædia ejus & amicorum in agro Kildarenſi, ferro flammáque devaſtârat, poſteáque Gulielmo Preſtono Equite aurato Vicecomitis Gormanſtonii filio muneris ſui Vicario ſive (ut loquimur) *Deputato* relicto, in Angliam properaverat, ubi coram Senatu Regio, crimina haud pauca Comiti objecerat.

Hoc etiam memoratu fortaſſis non eſt indignum, quòd ſub initium hujus anni Johannes *Serjeant* Prætor Dublinienſis (quod munus bis etiam anteà obiverat) in carcerem conjectus eſt, arcem nimirùm Dublinienſem, & in ejus locum, pro reſiduo anni ſuffectus eſt Richardus *Arland*. Quodnam Serjeanto crimen objectum fuerit, prò certo non habeo compertum, nec quid de eo poſteà factum. Suſpicantur aliqui poſtulatum tanquàm Perkini fautorem & conjurationis ejus affinem.

Hæc domi. Dum verò hæc in Hibernia agerentur, non ſibi defuit Henricus; nam ut faciliùs Duciſſæ Burgundiæ & Pſeudo-Ducis Eboraci molitiones ſubverteret, non paucos miſit in Flandriam exploratores, ſub variis prætextibus, qui munere ſuo tam fideliter perfuncti ſunt, ut multi in Anglia conjuratores detecti fuerint, & de toto myſterio Rex plenam

nam habuerit informationem. Hinc ex conjuratis in Anglia præcipui capitali ſupplicio affecti ſunt. Quid verò de Rebus Hibernicis ſtabiliendis fecerit, in anno ſequenti narrabitur.

ANNO CHRISTI MCCCCXCIV.

DEcreverat jam Henricus viros aliquos fidos & prudentes in Hiberniam mittere, cùm ad Perkini imposturam detegendam, tùm ad fautorum machinas ſubvertendas. Uno igitur eodémque tempore, 13 videlicet Septembris, Edwardum Poyningum Equitem auratum, unum è Conſiliàriis ſuis, Hiberniæ deſignat Deputatum, Henricum Deanum Epiſcopum Bangorenſem (in Wallia) & utriúſque Lanthoniæ Priorem, Cancellarium, Item Hugonem Conway Equitem auratum ſummum Quæſtorem ſive (ut nunc loquimur) Theſaurarium, per Jacobi Ormondii reſignationem. Novi etiam ſub id tempus conſtituti ſunt Judices, videlicèt, Thomas Bouringus, ſummus in Tribunali Regio Judex, Johannes Topclifus, primarius Communium placitorum Judex, & Walterus Everus primarius Fiſci Regii Baro, viri Legum Anglicarum conſultiſſimi. Hos omnes protinùs in Hiberniam miſit, unà cum copiis quibuſdam, ſub Poyningi ductu, ſed ad numerum vix 1000. Hi tutò paucis poſt diebus Houtham

appellantes, ad ſeptimum à Dublinio lapidem, inde Dublinium progreſſi ſunt, ubi Poyningus gladium, pro more, à Prædeceſſore accepit, & cæteri adminiſtri Regii ſuprà memorati in Senatorum Regiorum album aſcripti. Brevi poſteà Poyningus, conjunctis ſimul univerſis copiis, tam ſuis nempe ex Anglia deductis, quàm aliis, à Kildario & Jacobo Ormondio collectis, in Ultoniam feſtinat, adversùs Perkini participes, qui illuc confugerant, & alios Rebelles. Ibi ferro & igne devaſtare cœpit territoria O-Hanloni, Mageniſii & aliorum vicinorum: Hibernis interim in ſylvas & loca uliginoſa aufugientibus. In exercitu tunc erat Jacobus Ormondius, qui flammæ oleum adjeciſſe dicitur. Ferunt porrò Kildarium, (qui ibi etiam aderat) indignatione contra Poyningum exardentem, tanquàm adverſariis ſuis indulgentiorem & eorum machinas promoventem, clandeſtina agitâſſe conſilia, cum Dynaſtis quibuſdam Hibernicis, de Deputato oppugnando, & ſpeciatim cum Malachia O-Hanlono (in cujus regione Deputatus tunc erat) de eo interimendo. Sunt tamen qui non ſine causâ arbitrantur hanc famam à Comitis adverſariis diſſeminatam, ad ruinam ei accelerandam. Atque hoc veriſimilius videtur, tum quia O-Hanlonus, adhibito biennio poſteà ſolenni juramento, Comitem illius ſceleris immunem declaravit, tum quia comes in Angliam paulò pòſt miſſus, & à Rege auditus, feliciter tandem abſolutus eſt, ut ſuo poſteà loco patebit. Sub eodem tempore, Jacobus

Jacobus Comitis frater, ejuſque etiam, uti fertur, conſilio & juſſu, caſtrum Catherlaghenſe, ad triceſimum ab Urbe lapidem, ex improviſo occupavit, & præſidio firmavit. De hac re, ut primùm Deputatus reſcivit, reditum acceleravit, & acceptis obſidibus à Mageniſio & O-Hanlono, de pace obſervanda, Catherlagham adiit, ubi arctâ caſtrum cinxit obſidione, ac poſt unam vel alteram ſeptimanam, deditione cepit. Inter hæc, Summum Concilium (quod Parlamentum vocamus) indixit. Die Lunæ proximo poſt feſtum S. Andreæ Apoſtoli hoc Parlamentum Pontanæ inchoatum eſt, in quo Impoſitiones illæ graviſſimæ, **Coyn**, **Livery**, &c. penitùs exterminantur, & Subſidiaria pecunia eâ conditione, Regi offertur. Multæ porrò aliæ tunc temporis Leges ſancitæ ſunt. Inter quas, de Parlamentis in Hibernia in poſterum non habendis, ante Rationum pro indicendo, & Actorum aliquot ſanciendorum tranſmiſſionem, ſub magno Sigillo Hiberniæ, ad Regem & Concilium, eorúmque Actorum approbationem impetratam, unà cum licentia indicendi Parlamentum, à Rege adepta, ſub magno Sigillo Angliæ. Item, Lex ea memorabilis, quæ (ſicuti & prior) hodiè vulgò *Poyningi Lex* vocatur, De publicis Angliæ Statutis tum nuper ordinatis, in Hibernia etiam recipiendis. Antiquorum ſiquidem Angliæ Statuta fuerant anteà (ut obſervant Juriſperiti) in Hibernia recepta. Item alia Lex ut Proceres, trabeis ſive togis Parlamentariis veſtiti in Comitiis apparerent, uti ſole-

bant

bant ante annos 20, vel ut maximè 24. Ad Pacem itidem publicam conſervandam, Statuta quædam Kilkennienſia confirmantur, cum honorifico Elogio, de Hiberniæ felicitate, dum Statuta ea, ibi obſervarentur: Homicidium ex malitia præcogitata & Bellum geſtum contra Locum-tenentem, Deputatum, vel Anglicam gentem, fiunt læſæ Majeſtatis crimina: Poteſtas pacem vel bellum tranſigendi & ſclopos vel majora tormenta retinendi, ſine Gubernatoris licentia, reſtringuntur: Verba illiciti Patrocinii, & quæ diſſidia inter nobiles familias alebant, videlicet, *Crom-abo*, *Butler-abo*, (hoc ab Ormonio, illud à Kildario uſurpatum) & ſimilia abrogantur. Inter quæ numeranda Deſmonii *Shannet-abo* & Clan-Ricardi *Galriagh-abo*. Nonnullaque alia hujuſmodi ſancita ſunt, tempori aptata. In hoc etiam Parlamento, ad petitionem Dom. Johannis Kendalli Prioris Hoſpitalis S. Johannis Hieroſolymitani in Anglia, nomine & vice Domini Magiſtri Rhodi, lata eſt lex, quâ irritæ declarantur omnes alienationes & conceſſiones factæ per Jacobum Ketingum (de quo anteà diximus) Thomam Talbotum proximum ejus anteceſſorem & alios Priores Hoſpitalis ejuſdem ordinis in Hibernia. Aliæ porrò leges ſancitæ fuerunt, de gemmis, ornamentis & reliquiis ejuſdem Prioratus reſtituendis, à Ketingo oppignoratis: Deq; Præceptoribus (ut loquimur) ab eo conſtitutis exauthorandis, & de munere Prioris illius Ordinis in Hibernia nemini concedendo, niſi ex Anglico ſanguine, & ſuſtentationem ab eodem ordine in Anglia percipienti. In hoc denique Ordinum conventu, Geraldus

Comes

Comes Kildariæ, Jacobus *Fitz-Thomas-Gerald*, comitis (ut opinor) frater, de quo ſuprà diximus, & multi alii ex Geraldinis & eorum participibus rei facti ſunt proditionis. Comes etiam ipſe, Poyningi juſſu, captus & Pontanam evectus, inde in Angliam paulò poſt captivus miſſus eſt. Cæterùm eventus præter expectationem: Nam à Rege tandem probatus, omnibus juribus (quod ſuo tempore opportuniùs commemorandum) reſtitutus eſt.

Parlamento nondum ſoluto, Deputatus aliam ſuſcepit expeditionem adverſus Rebelles: ſed tunc etiam propter nemora & loca uliginoſa, ad quæ aufugerant, ſine fructu ſperato. Interim antequàm diſcederet, poteſtatem quandam vicariam Deano Cancellario delegavit, Parlamentarium conventum continuandi, in ulteriorem diem rejiciendi, prorogandi, diſſolvendi. Hujus Parlamenti Statuta (quod obiter annotatum) linguâ Anglicâ ſcripta ſunt, quùm priorum Comitiorum Statuta linguâ antiquâ Gallicâ ſcripta eſſent & in Rotulos digeſta.

Sub id tempus defecit *Fraternitas* militaris S. Georgii, quam ad defenſionem Comitatuum Dublinii, Kildariæ, Midiæ & Louthæ, Authoritas Parlamentaria menſe Decembri 1479, ſub Edwardo IV Rege, erexerat. Conſtabat hæc Societas ex 13 viris primariis, qui Dublinii annuatim, die S. Georgii, ex ſeipſis Ductorem eligebant, pro anno ſequenti, Ductori tamen ſuberat admodùm parva armatorum manus, ſolùm nempe 200. Primi qui electi ſunt in hanc Societatem fuerunt,

E Comi-

E comitatu Kildarienſi.

Geraldus Comes Kildariæ, tunc Deputatus Richardi filii ſecundi Edwardi IV Regis, Ducis Eboracenſis Hiberniæque Locum-tenentis,

Rolandus Euſtacius. Baro Portleſteriæ & ſummus Hiberniæ Quæſtor,

Nicolaus Woganus Eques auratus.

E comitatu Dublinienſi,

Dom. Jacobus Ketingus Prior Hoſpitalis S. Johannis Hieroſolymitani in Hibernia,

Robertus à S. Laurentio Baro Houthæ,

Prætor Dublinienſis.

Ex agro Midenſi.

Robertus Preſtonus Vicecomes Gormāſtonæ,

Jacobus Flemingus Baro Slanæ,

Johannes Plunketus Eques auratus,

Alexander Plunketus Armiger.

Ex agro Louthenſi.

Richardus Belleu Armiger,

Prætor Pontanenſis,

Nicolaus Taaf Armiger.

Sed ut pergamus: Aprilis 28 obiit Jacobus Walæus S. Theologiæ Doctor, Ordinis Minorū aliquando Epiſcopus Darenſis,& Londini,in cœnobio ejuſdem ordinis (cujus *Gardianus* fuerat) ſepultus eſt, cùm in eodem cœnobio, Epiſcopatu Darenſi ultrò abdicato, in magnâ tranquillitate,diù vixiſſet, factus interim Epiſcopi Londinenſis ſuffraganeus. Menſe Septembri inſequente, Nicolaus Epiſcopus Elphinenſis, *propter valetudinariam ſenectutem & oculorum caliginem*, ſe tanto one-

ri imparem ſentiens, Epiſcopatu etiam ſe ſponte abdicavit, reſervatâ ſibi, quamdiu viveret, annuâ penſione 50 marcarum ex Epiſcopatu pendenda. Reſignationis inſtrumentum habetur in Regeſto Octaviani Archiepiſcopi Armachani, fol. 405. b, in cujus fine, Papam rogat, ut ad Epiſcopatum Elphinenſem ſic reſignatum transferatur GeorgiusEpiſcopus Dromorenſis.

Sub exitum iſtius anni, Cormacus Cartæus Dynaſta Muſcriæ (Regiuncula eſt non procul ab urbe Corcagienſi) ab Oweno ſive Eugenio Thaddæi filio fratre ſuo germano, atrocitèr trucidatus eſt. Corpus Cormaci ad cœnobium fratrum Minorum de Kilcrea, quod ipſe fundaverat deportatum ibi monumento conditum eſt. An fratricida ex jure judicatus fuerit necne, haud comperi: Hoc conſtat, quod etiamſi multæ bonæ leges his temporibus adReipublicæ ſalutem ſpectantes ſancitæ fuerint, vim tamen & virtutem tunc & diù poſteà non extenderunt, ultra Regiones ab Anglica gente habitatas.

Hoc etiam anno,(ut annum jam concludamus)Reliquiæ S. Palladii Epiſcopi in capſulam argenteam tranſlatæ ſunt Forduni in Scotia, à Gulielmo *Schewes* Archiepiſcopo Andreapolitano, Palladii (inquam) illius,qui in primis Eccleſiæ Hibernicæ temporibus, à Cœleſtino Pontifice, in Hiberniam miſſus eſt, ad fidem Chriſtianam ibi propagandam. In quo munere cùm paulìſper deſudâſſet, Romam reverſurus, in *Albaniam* profectus eſt,ubi Forduni, XVIII Kalendas Januarii anno 431 mortem obiit, eodem nempe anno quo in Hiberniâ venit. Cæterùm in Annalibus cœnobii Inisfallenſis MSS.

qui

qui penes me ſunt, in Hibernia *uno anno manſiſſe* fertur, túmque *in Britannia quieviſſe in Chriſto.* Ibi *Martyrium paſſum* innuit Tirechanus, in vita S. Patricii. Sed ad alia tranſeamus.

Anno Christi MCCCCXCV.

AB Aſylo ſuo in Flandria erupit hoc anno Perkinus: Nam poſtquàm Duciſſæ ſuaſu, Martis aleam in Anglia ſubire ſtatuiſſet, coactâ modicâ militum manu, ad numerum ſc. 500 vel 600 hominum, exterorum plerúmque & ex fæce plebis, Angliam verſùs vela pandit, & ſub initium Julii, ad oram maritimam Cantii perveniens, mox milites aliquot, in apertum illud litus, quod **The Downes** vocamus, expoſuit, eo fine ut Cantianorum animos tentaret. Cæterùm captis ſuorum 169, ab opidanis Sandwicenſibus & aliis regionis vicinæ incolis, cæteriſque partim occiſis, partim ad naves repulſis, curſum Hiberniam versùs flexit, vbi auxilia etiam alia expectavit. Interim captivi Londinum perducti reſtibus vincti, alii paulò poſteà Londini & Wappingi, alii circa oras maritimas, in patibulis, ad ſimilium nebulonum terrorem, ſuſpendio ſtrangulati ſunt. Cùm verò Perkinus poſt appulſum in Momoniam, ibi itidem ſpe excidiſſet, procellam prætereâ imminentem, juſtis de cauſis, à miniſtris Regiis

giis metuens, fautorum conſilio, in Scotiam navigavit, à Jacobo IV Rege copias auxiliares petiturus. Ibi decenter ſtipatus, à Rege tanquàm verus Dux Eboracenſis perhonorificè receptus eſt, &, quod mirum videatur, haud multo pòſt, Regis aſſenſu, uxorem duxit Dominam Catharinam Gordonam, Alexandri comitis Huntlæi filiam, virginem in primo ætatis flòre, formoſam & modeſtam, Regíque ipſi ſanguine conjunctam. Sunt qui tradant Scotiæ Regem, qui in Henricum VII animo erat infenſo, oblatam hanc arripuiſſe anſam, ad Bellum ei indicendum: incitatum porrò literis ſecretis Maximiliani Cæſaris, Caroli Gallorum Regis & Margaretæ Burgundiæ Duciſſæ *dotariæ*, in gratiam ementiti hujus principis conſcriptis. Neque prorsùs defuit ſpes aliqua exigua ex Hibernia: Perkinus igitur, (ſub ficto nomine Richardi Ducis Eboraci) literas perſcripſit ad Mauritium Comitem Deſmoniæ, quibus vehementer flagitavit, ut copias in Scotiam mitteret, ad jus ſuum in Anglia recuperandum. Sed fruſtrà: Nam Comes (quâ ratione ductus non reperi) nihil miſit ſubſidii.

Interim dum hæc in Scotia gererentur, ut ad Poyningum redeamus: Is Hiberniam tum pacatam adminiſtrabat. Inde verò menſe Januario inſequenti revocatus, in Angliam trajecit, ubi non diù poſt reditum, Henricus Rex, ob utiliſſimam ſibi, tam in pace, quàm in bello, operam navatam, in aureæ periſcelidis ordinem eum cooptavit. Magnâ præterea tam apud Henricum noſtrum Septimum, quàm apud filium ejus Henricum Octavum, per plurimos poſteà annos gratiâ floruit & potentiâ.

In

In Poyningi ſic (uti diximus) revocati locum, Henricus Deanus Epiſcopus Bangorenſis, Juſtitiarii Hiberniæ titulo, mox ſuffectus eſt. Ita ut jam uno eodémque tempore, Hiberniæ fuit & Juſtitiarius & Cancellarius, necnon Epiſcopus Bangorenſis, & Prior Lanthoniarum, ad quas Cellæ etiam de *Colp* & *Duleek* in Midia pertinebant. His verò honoribus, cùm per menſes fermè 9 potitus fuiſſet, à Rege in Angliam revocatus eſt, uti ſuo poſteà loco narrabitur. Interim Aprilis 26, Rex conſtituit Gulielmum Radcliffum Ærarii Hiberniæ *Subtheſaurarium*, & die ſequente, Johannem Pimpum Quæſtorem exercitus ibidem.

Menſe Julio, Octavianus Archiepiſcopus Armachanus Synodum celebravit Pontanæ, in Eccleſia S. Petri, ubi confirmatæ ſunt indulgẽtiæ Georgii Dromorenſis Epiſcopi, *Indulgentiarum Hoſpitali S. Spiritus in Saxia*, (ſive in vico Saxonum) *de urbe, & Benefactoribus ejuſdem indultarum Miniſtratoris, necnon ad conſtruendum novum Hoſpitale S. Spiritus, membrum viz. ſupradicti Hoſpitalis in Hibernia Procuratoris.* Vidi ego Sigillum hujus (uti credo) Georgii, quo uſus eſt, ante infulas ſuſceptas, cum hac inſcriptione S I G. GEORGII BRANNI VICARII GENERALIS SANCTI SPIRITUS. Fuit is natione Græcus, patriâ Athenienſis. De aliis illius Synodi Actis, nihil (quod ſciam) extat.

Menſe deinde Auguſto, Odo ſive Hugo rufus O-Donellus tum nuper è Scotia reverſus, O-Connoros in prælio prope Sligoam ſuperavit. Caſtrum etiam Sligoenſe (quod Mauri-

tius filius Geraldi conſtruxerat anno 1252) obſidione incinxit, ſed fruſtrà: Nam Ulicki de Burgo Clan-Richardi Dynaſtæ acceſſu, cum magno exercitu, territus in Tirconalliam ſe ſubitò cum copiis ſubduxit. Ulickus intereà omnium ejus fautorum prædia, in regione vicina diripuit & incendit. Filius hic fuit Ulicki illius, quem hujus Regis anno primo obiiſſe diximus.

Ab inſtituto non omninò alienum videatur, verbo uno vel altero hîc memorare hunc annum ultimum fuiſſe Gaſpari de Hatfield Bedfordiæ Duci, quandóque (ut anteà diximus) Hiberniæ Locum-tenenti, qui ſenex & cœlebs deceſſit Decembris 21, & in cœnobio Keinſhamenſi apud Somerſettenſes in Anglia ſepultus eſt. Hoc etiam anno, dum Kildarius in Anglia hæreret, à criminibus objectis, ſe purgare ſatagens (an verò in carcere huc uſque detentus neſcio) Aliſona uxor ejus filia Rolandi Euſtacii Baronis Portleſterii mortem obiit in Hibernia, ex dolore (ut putatur) quem in mariti ærumnis & periculis hauſerat, & ſepulta eſt in cœnobio fratrum Minorum juxta pontem de Kilcullen, quod pater ejus extruxerat.

ANNO CHRISTI MCCCCXCVI.

KIldarius admiſſus eſt hoc anno, Rege ipſo coram, cauſam ſuam defendere, & ad objecta crimina reſpondere. In qua re, ita ſe geſſit, ut negotio plenè intellecto, in gratiam receptus fuerit. Ad Articulum poſtremum adverſus eum, aculeato hoc dicto concluſum, *Quòd univerſa Hibernia eum gubernare non ſufficeret*, Regem lepidè dixiſſe ferunt, *Itanè verò, Is igitur univerſam Hiberniam gubernabit.* Et brevi certè poſteà omnibus Juribus à Rege reſtitutus eſt; Auguſti deinde 6, diplomate Regio, *Locum-tenens* Hiberniæ conſtitutus. Ita paucis mutatis, Stanihurſtus. Neque fidem Regis is fefellit: Nam poſt reditum in patriam, virum ſe oſtendit & ſtrenuum & Principi fidelem. Sunt qui tradant primogenitum ſuum Geraldum tunc temporis in Anglia reliquiſſe, qui pignori eſſet de futura fidelitate.

Dum hæc in Anglia agerentur, Junii die 25, Dublinii, Concilii Regii ſententiâ, Deanus Juſtitiarius Richardum Nugentum Delviniæ Baronem, omnium copiarum Ducem ſive *Commiſſionarium* (verba ſunt Tabularum publicarum) *& primarium Ductorem* deſignavit, ad defenſionem comitatuum Dublinii, Kildariæ, Midiæ, & *Urielis.*

Kildarius in Hiberniam reverſus eſt (cum ſecunda ſua uxore Elizabetha de S. Johanne quam tum nuper duxerat) menſe Auguſto, & ſimul ac gladium, pro more, à prædeceſſore

Bango-

Bangorenſi Epiſcopo accepiſſet, copiis convocatis, adverſus O-Brienū expeditionem ſuſcepit,& in Tuomoniā,per Limericum,profectus, Feybachum, Finini *Mac-Nemarræ* caſtrum, deinde Ballinitium caſtrum & alia loca munita vi cepit & diruit. Poſt reditum etiam (ut Regis negotia meliùs promoverentur) ille & Octavianus Archiepiſcopus Armachanus, qui diù diſſidentes vixerant, ſibi mutuò reconſiliati ſunt, unde Archiepiſcopus reliquum ætatis in magna tranquillitate tranſegit. Deanò Epiſcopo Bangorenſi in Angliam interim revocato, in Cancellarii munere ſucceſſit Walterus Archiepiſcopus Dubliniensis, tum nuper ex Anglia reverſus, vir gravis & eruditus: Formâ præterea erat decorâ, & quæ reverentiam incuteret,

Gratior eſt pulchro veniens è corpore virtus.

Neq; ſilentio prætereundum, quòd in Concilio Provinciali Dublinii celebrato, in Eccleſia S.Trinitatis,*LectoribusUniverſitatis* Dublin: ſtipendia quædam aſſignavit, à ſe & ſuffraganeis ſuis annuatim pendenda. Manet etiam narratio, dum in Anglia hæreret, Oratorem quendam in Regis laudem, Rege ipſo coram, orationem habuiſſe politam, Regemque, finitâ oratione, ad Archiepiſcopum (qui unà aderat) converſum illum rogâſſe, ut de ea, ſententiam ſuam ediceret, Archiepiſcopū deinde (qui adulationem novit perpetuū eſſe malum Regum) liberè his verbis reſpondiſſe, *Domine Rex, nihil certè vitii in hac oratione obſervavi, præter adulationem.* Túmque Regem arridentem ſic concluſiſſe, *Ita me Deus amet;*

Pater Dublinienſis, *nos ipſi idem vitium obſervavimus.* Atque ita Archiepiſcopi ingenuitas ab optimo Principe meritò probata eſt. Ad Deanum quod attinet, quadriennio poſt reditum in Angliam exacto, ob plurimas animi virtutes & fidele obſequium Regi præſtitum, Sarisburiam primùm, & inde poſt annum unum vel alterum, Cantuariam tranſlatus eſt, ubi tamen admodùm exiguo præfuit tempore, Nam Februarii 15 (ſtylo Anglicano) 1502, Lamethæ deceſſit. Inde cadaver Cantuariam deportatum, ibidem in Eccleſia ſua cathedrali, in medio ſcilicet loci, qui Martyrium appellatur, tumulatum eſt, ſub lapide marmoreo, æneis laminis ornato, cum Epitaphio promotiones ejus Eccleſiaſticas ſigillatim exprimenti.

Nunc ut pergamus, Decembris 19, fatis conceſſit admodùm ſenex Rolandus Fitz-Euſtace, Baro de Portleſter, (quem Edwardus IV ad eam dignitatem evexerat Martii 4 1462) & in cœnobio fratrum Minorùm de obſervantia prope pontem de Kilcullen, in agro Kildarienſi, quod ipſe à fundamentis excitârat, tumulatus eſt. Monumentum tamen ſpecioſum ſibi & Margaretæ *Jenico* defunctæ uxori ſuæ extruxerat anno 1455, Dublinii, in Eccleſia S. Audoëni, in capella nempe B. Mariæ Virginis, à ſe itidem conſtructa, ut ex inſcriptione ſepulchri conſtat. Reciprocos ille fortunæ æſtus expertus eſt. Deputatus fuit aliquandiù Georgii Ducis Clarentiæ *Locum-tenentis* Hiberniæ, deinde Cancellarius Hiberniæ, & per annos pluſquàm 38 ſummus Quæſtor ſive Theſaurarius, Eaque dum obiret munia, magnas ſibi comparavit opes. Ecce verò rerum humanarum

narum viciſſitudinem: Paucis ante obitum annis, Theſaurarii munere exactus, alias, eaſque non leves, prout anteà retulimus, paſſus eſt moleſtias. Filius is erat (ut id etiam hîc adnotem) Edwardi Fitz-Euſtace Equitis aurati, quem Henricus Sextus Deputatum conſtituerat Richardi Ducis Eboracenſis, Hiberniæ *Locum-tenentis*, anno 1454. Nec omittendus, qui ante Baronem obiit Cornelius (filius Tirlachi) O-Brien, Tuomoniæ Dynaſta, cui ſucceſſit populari electione, *Gil. duf* frater. Hæc ſub finem anni.

Interim Auguſti 26, Henricus Rex, de Perkini fautorum conatibus quibuſdam clandeſtinis in Momonia, certior factus, ut eos faciliùs enervaret, & Momonienſes in officio retineret, omnium delictorum veniam conceſſit Mauritio comiti Deſmoniæ & nonnullis aliis è magnatibus Momoniæ: Similemque clementiam exhibuit Davidi Caſſelienſi Archiepiſcopo & quibuſdam è ſuffraganeis ejus, Corcagienſi nimirum & Waterfordienſi Epiſcopis. Sub idem porrò tempus Opidanis Yoghalenſibus libertates antiquas confirmavit, & novas præterea adjecit.

ANNO CHRISTI MCCCCXCVII.

Cœpit ſub hoc tempore, negotium de pace componenda, inter Regem noſtrum Henricum & Jacobum IV Scotorũ Regem. Inter alia, per literas urget Henricus, ut ſibi in manus traderetur Perkinus, utpote Impoſtor & jure gentium non protegendus. Recuſavit hoc Jacobus, ipſum dicens non idoneum eſſe Judicem, de titulo illius, quem pro Principe perfugo receperat. Fœderis tamen cupidus, ſi æquis conditionibus, id fieri poſſet, & Perkinum cernens paci eſſe maximo impedimento, rogavit eum demùm ut in aliud aliquod regnum transfretaret, quòd ipſe decreviſſet, cum Rege Angliæ fœdus renovare: Promiſit tamen ſe pecuniis eum & cunctis ad navigandum neceſſariis inſtructurum.

Perkinus contrà ut Regem à propoſito deflecteret, nullum non movit lapidem: Sed cùm ſurdo (quod aiunt) ſe ceciniſſe comperiſſet, nullumque renitendi locum relictum, brevi poſteà, alto corde dolorem reprimens, novo itineri ſe accinxit, & nave conſcensâ, cum uxore & familia, vela fecit versùs Hiberniam. Atque ita recens ejus felicitas tanquàm ſomnium tranſiit. Corcagiam iterum appulit Julii 26, ubi nonnulli ex amore, alii, rerum novarum ſtudio, ad eum acceſſerunt, inter quos fuit (ut aliqui perhibent) Mauritius Comes Deſmoniæ. Adventum hujus larvæ, unà cum conjuratorum detectione, Prætor & cives Waterfordiæ, literis paulò poſteà per nun-

tium

tium miſſis, Regi Henrico ſignificant. Atque ut anteà contra Lambertum, ita nunc contra Perkinum, pro viribus fortiter prudenterque ſe gerunt, ideoque gratiâ Principis meritò floruerunt, multáque ab eo conſecuti ſunt beneficia, neque temerè, pro ſymbolo tunc uſurpâſſe videantur, *Intacta manet Waterfordia.* Sed ut ad Perkinum redeamus, Is poſt menſem unum vel alterum, literis per nuntios acceptis, certior factus eſt Cornubienſes, licèt in prælio ad *Black-heath*, in agro Cantiano, à copiis Regiis, menſe Junio præcedenti, magnam accepiſſent cladem, paratos tamen fuiſſe Belli aleam rursùs ſubire, atque dummodò ſibi non deeſſet, ſed ad eos protinùs veniret, copias auxiliares ei adjuncturos, ad jus ejus recuperandum. Re mox amicis communicatâ, eorum conſilio, quâ potuit feſtinatione, menſe Septembri, cum uxore ſua & parva militum manu, nimirum ad numerum duntaxat 120, in Cornubiam trajecit, civibus Waterfordienſibus quatuor navibus eum perſequentibus, licèt fortuna conatibus eorum non arriſerit. Qui plura de Perkino, principe illo Nebulonum, (ut eum appellare ſolebat Rex Henricus) ſciendi cupidus eſt, Rerum Anglicarum hiſtorias petat, in quibus copioſè traduntur. Satis videatur hîc interim indicare poſt Exoniam, ab arctâ quâ (copiis Cornubienſibus adjutus) obſidione cinxerat, exercitus Regii acceſſu, liberatam, ejuſque fugam in Aſylum cœnobii Belli-loci, apud Southantonienſes, ſponte eum inde exiviſſe & Regis gratiæ ſe ſubmiſiſſe; Londinum deinde captivum ductum, & poſt ſecundam fugam iterum captum, ac per civitatem, ludibrio expo-

 ſitum,

ſitum, vitæ ſuæ ſeriem & confeſſionem qualemcúnque manus ſuæ ſubſcriptione firmâſſe & publicè perlegiſſe, tandem verò, quòd poſt veniam conceſſam, res novas denuò molitus fuiſſet, capitali ſupplicio (ut ſuo loco dicemus) affectum. Confeſſionem antedictam Rex typis excudi mandavit; ſed, quod mirum videatur, de Burgundiæ Duciſſa, altum in ea fuit ſilentium: præſertim cùm Henrico res ſatis nota eſſet, Duciſſæ technis & figmentis has turbas fuiſſe ſuſcitatas. Hoc tamen Regis artificio aſcribitur, qui eo modo Duciſſam demereri, vel ſaltem à novis turbis excitandis avertere ſperabat: Neque ſpe ſuâ omninò fruſtratus: Nam Duciſſæ hinc ita placuit, ut nihil poſteà adversùs eum molita fuerit.

Iiſdem diebus, Henrici Regis diplomate & auſpiciis, ad regiones incognitas luſtrandas, & imperio Anglicano acquirendas, miſſus eſt Sebaſtianus Cabota Venetus, Coſmographus inſignis & rerum nauticarum peritiſſimus: in qua navigatione, Inſulam illam primus detexit, quam hodiè Newfound-land ſive Terram novam, appellamus, necnon oras maritimas Continentis ſeptentrionalis (ut nunc loquimur) Americæ. Cœptum ſanè egregium & ſilentio non prætermittendum.

Verùm ut in curſu inſtituto progrediamur, magna circa hoc tempus exorta eſt diſcordia inter Petrum Butlerū (qui poſteà comes evaſit Ormoniæ) & Jacobum Ormondiū (de quo dixi ad an. 1492 & 1493) quæ Ormondio demum fuit exitialis: Nam is XVI Kalendas Auguſti, ſex tantùm equitibus ſtipatus, à jam dicto Petro Butlero, catervâ neſcio quâ comitato, in via, inter Donmoram & Kilkenniam, haſtâ

transfixus

transfixus eſt. Martii die 17 qui S. Patricio ſacer, *Cavernam Purgatorii S. Patricii in Lough-derg, à (Guardiano conventus Donagallenſis, unà cum aliis ab Epiſcopo* (Clochorenſi) *miſſis è Decanatu de Lough-ern* (Alexandri VI) *Papæ authoritate, dirutam fuiſſe* tradit Author Annalium Ultonienſium, qui tum vixit, utpote ſuppoſititiam, id quod *popularibus notum* aſſerit, *ex Militis hiſtoria & aliis libris authenticis.* Per Militis hiſtoriam intelligit (opinor) Oëni militis Hibernici hiſtoriam, à Gilberto monacho Ciſtertienſi cœnobii B. Mariæ Ludenſis, apud Lincolnienſes in Anglia, relatam anno Dom. 1152. Qua de re, plura noſcendi cupidus legat Henricum monachum Saltereyenſem, qui Libellum edidit, de Oëni illius in Purgatorium S. Patricii ingreſſu, ex prædicti Gilberti relatione, vel Matthæum Pariſienſem, in Stephani Regis hiſtoria.

Hoc etiam anno (redeundum eſt enim ad propoſitum) Maii penultimo, Frater Dionyſius cognomine White, quod Album ſonat, qui ſe pro Epiſcopo Glendelacenſi diù geſſerat, octogenarius jam & longâ ſenectute fatigatus, Dublinii, in domo capitulari Eccleſiæ S. Patricii, juri ſuo qualicúnque renunciavit, conſcientiâ (ut fatebatur) tactus, quòd ſedes ea Glendelacenſis à tempore Regis Johannis, cathedræ Dublinienſi conjuncta eſſet & colligata. Fuerunt tamen alii etiam, qui circa hæc tempora, eodem gaviſi ſunt titulo: Nam per obitum Johannis cujuſdam, dicti ſimiliter Glendelacenſis Epiſcopi: Ivonem *Ruſſi* ordinis Minorum, ad eundem Epiſcopatum promotum anno 1494, eoque paulò poſteà mortuo, alium Johannem ejuſdem itidem ordinis proviſum 21 die Augusti

guſti 1495, (ſi non ut alibi 1501) oſtendit Lucas Waddingus Waterfordienſis, (cujus laboribus literariis ille ordo multum debet) Annal. Minorum Tom. VII. Sed ut ad finem hujus anni properemus, Januarii 28 (ſtylo Anglicano) Walterus Champflourus Abbas cœnobii B. Mariæ virginis juxta Dublin. unus è viſitatoribus ordinis Ciſtertienſis in Hibernia vir prudens & eruditus, naturæ debitum perſolvit, admodùm ſenex, magno ſui deſiderio relicto, cùm annos præfuiſſet fermè 30, factus interim ad tempus magni ſigilli Cuſtos. Monaſterio ſuo, inter alia beneficia, is, 450 marcarum pretio, hoc eſt aureorum Gallicorum 1000, comparavit, anno 1486, à Thoma Priore cœnobii Benedictinorum B. Egidii minoris Malverniæ, apud Wigornienſes in Anglia, omnes poſſeſſiones ad dictum Prioratum, tunc temporis in Hibernia ſpectantes, Johanne Alcoco Epiſcopo Wigornienſi, cum aſſenſu Prioris & Capituli Eccleſiæ ſuæ cathedralis, venditionem confirmante. Succeſſit ei in cœnobii regimine Johannes *Orum* ejuſdem Domus Monachus, dein Prior.

Tanta denique annonæ caritas Hiberniam fermè univerſam hoc anno afflixit, ut multi paſſim fame perirent, præſertim in Ultonia. Atqui in quibuſdam Lageniæ partibus, non æquè laboratum: Nam Dublinii tritici *Peckus* (ut vulgò appellatur) menſuræ ibi uſitatæ, qui continet duos medimnos, ſive 4 fermè modios Anglicos (*Buſhellos* appellamus) tunc væniit decem ſolidis, & ſimilis menſura hordei madefacti regerminantiſque, quod Græci *Bynen* nos Mault vocamus, octo ſolidis: Pretia quidem pro illorum temporum ratione, ſatis

ſatis dura. In Midia, tritici *Peckus* valebat 5 uncias minores argenti, & cerviſiæ *galo*, ſex denarios, ſive aurei Gallici partem duodecimam. Apud Ultonienſes verò, avenæ *Bertus* (ut vocant) valebat vaccam,& vacca lactans, duas vaccas prægnantes, duoſque ſolidos. Notandum in Hibernia quámque fermè regionem diſtinctam & à cæteris differentem olim habuiſſe menſuram, non ſine Reip. detrimento evidenti. Magnam regulæ fixæ in re menſuraria & nummaria, utilitatem, ita exprimit Budelius, De Monetis,

Una fides, pondus, menſura, moneta ſit una,
Et ſtatus illæſus totius orbis erit.

Sed hoc obiter. Ad noſtra redeo.

ANNO CHRISTI MCCCCXCVIII.

IN Ultonia, X Kalendas Auguſti, Henricus O-Nealus qui Conum fratrem (ut ſuprà retulimus) occiderat, pœnâ licèt claudâ reum aſſequente, à Coni filiis Tirlacho & Cono, interfectus eſt. In eam porrò Provinciam hoc anno, ad inſolentiam Neali mac Art O-Neali comprimendam, Kildarius, copiis coactis profectus eſt, ubi conjunctis viribus O-Donelli, Maguiri, Tirlachi O-Neali Coni filii (ſui ex Eleanora ſorore nepotis) & aliorum ex ſtirpe O-Nealorum, *Donganon* caſtrum expugnavit, & captivos ab O-Nealo in caſtro illo

illo detentos , libertati reſtituit. Omium deinde progreſſus, illud etiam caſtrum occupavit, ac paucis poſt diebus Nealum *Mac-Art* in ordinem, obſidibus receptis, redegit.

Brevi poſt reditum, menſe nimirum Octobri, expeditionem in Momoniam ſuſcepit, & Corcagiam progreſſus, ibi ob priora Urbis admiſſa, & ad ſimilia prævertenda, præſidium locavit. Túmque XV die ejuſdem menſis, primarios Corcagiæ cives & Kinſaliæ opidanos juramentum fidelitatis Regi præſtare effecit, coram ipſo & Concilio regio, atque ad illud obſervandum tam chirographos dare quam obſides. His rebus ex animi ſententia confectis, hieme jam ingruente, domum reverſus eſt. Kalendis Martii inſequentis, Parlamentum Dublinii convocavit, nomine *Deputati* Henrici filii ſecundi Henrici Regis, Hiberniæ *Locum-tenentis.* Sed de Legibus in eo ſancitis, in Archivis nihil extat, nec de aliis Actis, præter *Amerciamenta* quædam (ut vocant) ſive Mulctas leves pecuniarias Proceribus nonnullis & aliis ſummonitis, quòd abſentes fuerint, impoſitas. Sunt qui tradant *Rotulum* Legum tunc latarum ſiniſtrè olim ſublatum fuiſſe, ac Nanglecum quendam necnon alium Skeganum dictum hujus criminis in Anglia poſteà poſtulatos fuiſſe, ſpeciatim Nangleum ea de cauſa in carcerem conjectum fuiſſe, ibique ad mortem uſque detentum.

Inter hæc, amoto Richardo Talboto, qui Prioratui S. Johannis Hieroſolymitani in Hibernia, Cuſtodis titulo, per annum unum vel alterum præfuerat, Robertus Everus, Anglus

Angulus, nobili Everorum familiâ ortus, à magno Rhodi Inſulæ Magiſtro conſtitutus eſt Prior. Porrò XII Kalendas Januarii, Alexander VI Bullam Innocentii VIII (cujus ſuprà fit mentio ad annum 1486) confirmavit. Bulla confirmationis habetur in Bibliotheca Cottoniana, ſub Cleopatra, E. 3.

Jam Obitus doctorum quorundam virorum recenſendi ſunt. Januarii XI mortem obiit David de Wincheſter, ſive Wintonienſis, Prior Eccleſiæ S. Trinitatis Dublinii, vir gravis & eruditus, & in dicta Eccleſia ſepultus eſt, cùm Prioratum laudatè adminiſtrâſſet annos 9 & menſes 10. Hujus Eccleſiæ Benefactorem egregium extitiſſe ferunt: Sed quid præſtiterit, ſigillatim recenſere nequeo. Erexiſſe quidem & dotâſſe ibidem *unum Magiſtrum & 4 pueros choriſtas*, ex ipſo fundationis inſtrumento intelligimus, dato 28 Auguſti 1493. Succeſſit ei in Prioratu, Richardus Skerretus, qui annos præfuit 20. Item X Kalendas Aprilis naturæ debitum perſolvit Carolus Maguirius Eccleſiæ Armachanæ Canonicus, Theologus, Philoſophus & Hiſtoricus, eo genere exanthematum ſublatus, quod Medici morbillorum nomine deſignant, ætatis ſuæ anno 60.

ANNO

Anno Christi MCCCCXCIX.

IN Conatia jam res erant admodùm turbidæ: in eam itaque Provinciam, Kildarius hoc anno exercitum duxit, ubi quatuor caſtra, videlicèt, Athleag, Roſcoman, Tuilsk & Caſtle-reagh cepit & præſidiis firmavit. Dum hæc in Conatia aguntur, Prælium in Momonia conſerunt Petrus Butlerus (de quo ſuprà diximus) & Tirlachus O-Brien, qui anno ſuperiori, per mortem Gilduffi, Tuomoniæ Dynaſta electus fuerat. Pugnatum utrínque acriter in initio, ſed Butlerus demùm & ſui in fugam verſi ſunt, multíque ceciderunt, inter quos fuit *Superior* Kilkenniæ, ita tunc temporis Magiſtratum Urbanum vocabánt. Quænam fuerit prælii cauſa, non poſſum pro certo affirmare: Sunt qui dicant diſcordiam initium ſumpſiſſe, de finibus & prædiis quibuſdam, quæ utérque ſibi vendicarat.

Auguſti die 26, Comitia Parlamentaria habebantur apud *Triſtle-dermot*, ſive (ut hodiè vulgò appellatur) *Caſtle-dermot*, in agro Kildarienſi. Opidum à S. Diarmitio hoc nomen acceptum fert, qui in primis ſurgentis Eccleſiæ Hibernicæ temporibus, ſingulari ibi ſanctitate vixit, cujus tempore & diù poſteà Deſertum Diarmitii appellabatur. In his Comitiis, lata eſt lex, de Publicanorum ſive *Cuſtu-*

mariorum

mariorum & aliorum miniſtrorum vectigalium fraudibus puniendis: Item, alia lex, de vectigali imponendo omnibus mercibus, tam importandis, quàm exportandis, exceptis oleo & vino, cum cautionibus tamen nonnullis in Statuto eo expreſſis. Latæ ſunt etiam eodem tempore duæ leges, quæ animadverſiones continebant in Proceres quoſdam: Prior, in eos qui cùm equitarent, ephippiis, more Anglicano, non uterentur: Poſterior, in eos qui in Comitiis, Trabeis Parlamentariis non ornarentur. Regi præthereà conceſſum eſt Tributum ſive Subſidium pecuniarium, tam à Clero, quàm à Laicis.

In Anglia, haud ita multò pòſt, menſe nimirum Novembri, Perkinus & Johannes *Water* (cujus ſuprà fit mentio) tum nuper Prætor Urbis Corcagienſis in Momonia, qui inter præcipuos proditionum & Conſiliorum Perkini participes numerabatur, Weſtmonaſterii, à duodecim viris læſæ majeſtatis rei peracti, Tiburnæ (quod patibuli publici nomen eſt) ultimo ſupplicio affecti ſunt. Capita cadaveribus amputata, ad pontem Londinenſem, pro more in criminibus gravioribus uſitato, ſuſpenſa ſunt. Perkinus ad locum ſupplicii deductus, ibi pegmate conſcenſo, Confeſſionem ſuam, ſive vitæ ſuæ ſeriem, paulò ante mortis articulum, publicè denuò perlegit, verámque fuiſſe agnovit; fautorum permultis vicem ejus dolentibus, & quaſi ulterioris vitæ ſpe inductum, id eum feciſſe, in angulis ſuſurrantibus. Iſte Perkini fuit exitus. Atque ita tandem Henricus ab hujuſmodi ſpectris liberatus eſt. Ad Johannis Wateri filium Philippum, de quo ſuprà, quod attinet, clementiâ

Regiâ

Regiâ is poſteà condonatus eſt. Circa hoc tempus, aliam Hibernorum quorundam conjurationem deteꝺtam ferunt, qui nominis Eboracenſis adeò ſtudioſi fuerunt, ut de filio notho Richardi III, è carcere, ubi diù detentus fuerat, liberando, & in Hiberniam deducendo, eo animo, ut ad regnum eum eveherent, arcana iniviſſent conſilia. Hoc notho mox fuit exitio. Nomina conjuratorum non reperi, nec quid de iis poſteà factum fuerit. Hoc anno, Inſulæ Jarſeia & Garnſeia (Antonino, Cæſaſaria & Sarnia) quæ imperio Anglicano, à quo Normanni rerum potiti ſunt fideliter ſemper adhæſerunt, ſed, quod ad rem Eccleſiaſticam pertinet, ſedi Conſtantienſi in Normannia ſubfuerunt, ab ea abtractæ ſunt, & Diœceſi Wintonienſi in Anglia adjectæ. Hoc etiam anno exceſſit è vivis Jacobus Courcæus Baro Kinſalius, de quo anteà. Anglica hæc familia latifundiis & magna diù floruit potentia, ſed ampliſſimæ illæ poſſeſſiones paulatim quaſi diffugerunt,

---

Anno Christi MD.

NUnc ingredimur annum Chriſti quingenteſimum ultra milleſimum, qui & Jubilæus dicitur. Jubilæum primùm inſtituit Bonifacius VIII, centeſimo quoque anno celebrandum, poſteà verò Clemens VI, quòd

quòd tempus illud longius videretur, ad quinquageſimū contraxit, & tandē Sixtus IV, ad viceſimū quintū. Hoc anno Alexander VI poteſtatem conceſſit Gaſpari *Pow* ſive Poo, Hiſpano, Protonotario & S. Theologiæ Doctori, ac cuidam Guilielmo *Butts*, impertiendi hujus Jubilæi indulgentiam omnibus Anglis, Hibernis & aliis Henrici Regis ſubditis, qui per bella, itineris difficultatem, &c. Romam petere impediti, ſubſidium pecuniarium, adverſus Turcas, erogarent, ſecundum regulas in inſtrumento quodam expreſſas: Tempúſque dilatavit, uſque ad ultimas veſperas infra octavas Paſchæ ſequentis. Inſtrumenti exemplar in Anglicam linguam converſi, extat in Bibliotheca Cottoniana, ſub Cleopatra E. 3. Irritum ſucceſſum pecuniæ hinc collectæ, petas ex Polydoro Virgilio, in eodem anno.

Vix ſopitum ſeditionis incendium in Cónatia anno ſuperiore, quando aliud non minus grave exortum eſt in Ultonia: In eam itaque Provinciam, Kildarius, hoc anno, aliam ſuſcepit expeditionem, ubi, inter alia, caſtrum *de Kinard* expugnavit; cui Tirlachum O-Nealum Coni filium, (cujus ope biennio ante, caſtrum *de Donganon* ceperat) cum novo præſidio præfecit. Sub id tempus civibus Corcagienſibus (prolatâ amneſtiâ) in gratiam Regis receptis, ille pœnitentiâ ſæpiùs quàm pœnâ pacatus; Urbis immunitates, Auguſti primo, confirmavit & auxit; adeò verum eſt illud Ovidii, lib. 2, de Ponto, eleg. 9,

Regia (crede mihi) res eſt ſuccurrere lapſis,

Interim dum hæc fiunt, David Barrius Archidiaconus tam Corcagienſis quàm Clonenſis, neſcio unde infenſus, fratrem ſuum Guilielmũ Dominum Barrium, virum fortitudinis & liberalitatis laudibus venerandum, ſubitò & nihil minus expectantem crudeliter trucidavit. Fratricida autem mox captus à Thoma Barrio occiſus eſt, & cadaver ejus viceſimo die poſteà ex humo effoſſum, Mauritii comitis Deſmoniæ juſſu, publicè combuſtum eſt. O varii mortalium caſus!

——*En quo diſcordia fratres*
Perduxit miſeros.

Circa hæc ipſa tempora, ultimum diem clauſit Donaldus *O-Fallonus*, ordinis Minorum de obſervantia, Epiſcopus Derenſis, cùm illi ſedi præfuiſſet annos circiter 15, vir magni ſuo tempore nominis, ob eruditionem, & aſſiduas, per univerſam Hiberniam, conciones, annos totos 30. Hoc etiam fortaſſe memoratũ non indignum videatur, quòd hoc anno magna pars Galviæ urbis (quæ Conatiæ eſt quaſi ocellus) incendio fortuito conflagravit. Hæc urbs pro Magiſtratu (quod obiter hîc annoto) primum Præpoſitum habuit, inde Superiorem & Ballivos, poſteà Richardi III conceſſione, Majorem cum Ballivis, & demùm (ſi de recentioribus temporibus hic dicendi locus) Majorem & 2 Vicecomites.

His diebus, Rex Henricus, ut ob perſpectam prudentiam (Anglorum Salomon habitus) magnâ apud vicinos principes polluit authoritate, ita etiam hoc honori ejus acceſſit, quòd à procul diſſitis Equitibus Rhodienſibus,

hoc anno deſignatus fuerit illius ordinis Protector.

Ad Ingeniorum Seculum nunc accedimus, quo nimirum maxima crevit ſeges hominum doctorum & ſingulis ſcientiis illuſtrium, per univerſam Europam. Ut verò Seculum concludamus, de cujus poſteriore parte, hucuſque egimus, non omittendum duxi, quod inter Hibernorum præcipuos, qui, hoc exeunte ſeculo, doctrinâ claruerunt, ſuo jure meritò haberi debet, patriæ ſuæ Ornamentum, Mauritius de Portu, aliàs *O-Fibely*, ordinis Minorum, poſt aliquot annos, à Julio 2 Papâ, Archiepiſcopus renunciatus Tuamenſis, de quo alibi fuſiùs diximus. Sed memoriam ejus nemo meliùs celebravit, quàm Johannes Camers, Artium & S. Theologiæ Doctor, ordinis itidem Minorum, in notis ſuis ad 35 caput Solini, quem ut unicè dilexerat & coluerat, ſic ab eo viciſſim redamatus. Neque ſilentio prætereundus eſt Walterus *Fitz-Simon* Archiepiſcopus Dublinienſis, Dubliniique natus, cujus in præcedentibus plurima mentio, ob bonarum Artium ſcientiam, Theologiæ inprimis ac Philoſophiæ, à Richardo Stanihurſto celebratus. Sed ſingulos enumerare, non eſt hujus loci. Inter exteros ejuſdem melioris notæ, qui munera tunc temporis in Hibernia obierunt, non immeritò ob eruditionem numerandus Octavianus de Palatio, Florentinus, Juris Canonici Doctor & Archiepiſcopus Armachanus. Is à Sixto IV, in Edmundi Connesburgi anteceſſoris abdicantis locum ſuffectus, conſecrationem obtinuit paulò ante exitum Martii 1480, poſtquàm, ſub Connesburgo, Eccleſiam Armachanam per triennium vel

circiter adminiſtrâſſet. Deceſſit grandævus menſe Junio 1513, à conſecratione annis 33 & tribus menſibus. In hoc etiam non ſine laude nominandus, quòd quo tempore Henricus VII, à quamplurimis in Hibernia magnæ potentiæ viris, d ſertus fuit, à debita fidelitate nunquàm diſcedere voluerit, aut adverſæ parti adhærere, licèt multis inde ærumnis & difficultatibus conflictatus fuerit. Ejus ſunt in plebis Armachanæ ſui temporis mores barbaros, vulgati illi Rhythmi,

Civitas Armachana,
Civitas vana,
Abſque bonis moribus:
Mulieres nudæ,
Carnes crudæ,
Paupertas in ædibus.

Hinc itaque Pontanæ is plerúnque, aut in mannerio ſuo *de Termon-Fechan*, apud Louthenſes, degebat; Armachæ raRò aut vix unquam: Nam licèt Armacha, antiquitate priſcâ, academiâ illuſtri, & magnitudine ſuâ, plurimis Hiberniæ urbibus olim fuerit præferenda, haud mirum tamen, ſi per diutinam (in Ultonia) Bellorum rabiem, ad pudendam tunc temporis redacta fuerit paupertatem, & ferè conciderit. At urbes longè celebriores bellis concidiſſe, è doctis quis neſcit? Sed pergamus: Hoc anno, à medio Septembris uſque ad finem hyemis, Hibernia continuas pluvias & crebras tempeſtates perpeſsa eſt.

ANNO

Anno Christi MDI.

IN Lagenia & Momonia læta erat toto hoc anno quies: Atqui in Conatia & Ultonia res tumultuoſæ. Caſtrum Sligoenſe in Conatia, à ſtirpe Roderici O-Conner filii Tirdelvaci *Carragh* (i. Pſorici) obſeſſum eſt, & ſcalis admotis captum. In Ultonia porrò, per ſolita Dynaſtarum diſſidia, multæ cædes perpetratæ ſunt. Pugnam etiam Armachæ conſerueruut O-Neali & Scoti quidam, ſive (ut ab hiſtôricis Hibernicis appellantur) Albani, in qua Albani amiſerunt filium quendam Domini *de Aig*, ex familia Mac-Donellorum, tres filios Colli *Mac-Alexander*, Tirlachum ſcil. Donatum & Ludarum, ac gregarios milites plùs minùs 60. Die S. Patricii hæc geſta ſunt.

Decembris 28, è vita migravit Guilielmus *Shyoy*, aliàs *Seoy*, Archiepiſcopus Tuamenſis, cùm præfuiſſet annos plùs minùs 20. & in Eccleſiâ (ni fallor) S. Nicolai Galviæ ſepultus eſt, ubi proximus ejus prædeceſſor Donatus *Imurry* aliàs *Imirdle* Collegium Vicariorum eorumque *Guardiani* inſtituerat

Erat etiam hic annus duabus nuptiis in Anglia memorabilis: Nam Novembris 14 (die S. Erkenwaldi Epiſcopi Londinenſis) Londini in Eccleſia S. Paüli celebratæ ſunt nuptiæ inter Arthurum Henrici Regis primogenitum

nitum Walliæque Principem, & Dominam Catharinam, Ferdinandi Regis Hiſpaniæ alteram filiam, ille annos natus 15, hæc, circiter 18. Item Januarii inſequentis die 25, Londini itidem, ad crucem ſcil. Paulinam, publicatæ ſunt nuptiæ Jacobi IV Regis Scotiæ cum Dominâ Margaretâ Henrici primogenitâ, per procuratorem priùs contractæ, & Hymnus SS. Auguſtini & Ambroſii tunc temporis ſolenniter ibi decantatus eſt. Atqui ut hæc magnâ tranſacta ſunt pompâ, ita magno omnium ordinum applauſu recepta. Sed juxta illud Salomonis, Extrema gaudii luctus occupat: Non ita diù poſteà, Arthurus ille egregiæ ſpei Princeps, qui (ſub præceptore Bernardo Andrea) ex indole eximiâ, progreſſum in bonis literis fecerat ſuprà ætatem maximum, ut & Elizabetha Regina mater ejus, fœmina prudens, moribus ſuaviſſimis caſtiſſimiſque, & Sexus ſui & Seculi Ornamentum, magno Regis & popularium mœrore, extincti ſunt, ille Aprilis 2 1502, hæc 11 inſequentis Februarii, puellâ enixâ in puerperio.

Sed ut ad Hibernica redeamus, Holinſhedus, quo authore neſcio, Henricum jam dicti Arthuri fratrem juniorem, hoc anno à Rege conſtitutum aſſerit Hiberniæ *Locum-tenentē*. Ut ut fuerit, hunc certè titulum Archiva tradunt à Rege ei conceſſum 12 Septembris 1494, unico nimirum die, antequàm Dom. Edwardus Poyningus (de quo ſuprà diximus) deſignatus eſt Deputatus; quo tempore Henricus quartum duntaxat ætatis annum attigerat. Titulus ille Locum-tenentis Hiberniæ, poteſtatis & honoris pleniſſimus habitus (ut hoc obiter adnotem) olim ab Angliæ

gliæ Regibus, non ſolùm iis concedebatur qui in Hiberniam tranſmiſſi ſunt, ad Remp. ibi adminiſtrandam, ſed interdum iis etiam, qui in Anglia detenti, eo quidem titulo gaviſi ſunt, atqui adminiſtratio in eorum Deputatos collata eſt. Porrò ut facti erant aliquandò Deputati Locum-tenentium, ſic interdum, pro Principis arbitrio, Deputati ipſius Regis, interdum Juſtitiarii, & antiquioribus temporibus, Cuſtodes: ſed plerunque unâ eadémque authoritate, quæ ſanè ampla erat & Regia, neque abſimilis illi Proprætorum & Proconſulum, apud veteres Romanos.

ANNO CHRISTI MDII.

FUit hoc anno ſæviſſima lues, per univerſam Hiberniam, quæ infinitum pecorum numerum abſumpſit. Rerum publicarum nihil prætereà (quod ſciam) habet hic annus memoratu dignum. Non prætermittendum tamen in Ultonia, omnia cædibus fuiſſe plena, dum alii à gentilibus ſuis adverſæ partis confoſſi cadebant; alii, ab hoſtibus vicinarum regionum, trucidabantur.

ANNO CHRISTI MDIII.

Exeunte Aprili, Kildarius, à Rege accerſitus, è Dublinio in Angliam trajecit: Sed antequàm diſcederet, muneri ſuo præfecit (durante abſentiâ) Walterum Fitz-Simon Archiepiſcopum Dublinienſem. Præcipuæ profectionis ſuæ cauſæ fuerunt, cùm ad rationem muneris ſui reddendam, tum ad mandata Regis in rebus quibuſdam gravioris momenti recipienda. Poſt tres deinde menſes, in Aula Anglica exactos, negotiis jam, ob quæ venerat, ſecundùm animi ſententiam confectis, magno cum honore & novis inſtructionibus, à Rege in Hiberniam remiſſus eſt Deputatus. Dublinium rediit menſe Auguſto, unà cum Giraldo primogenito & uxore ejus Elizabetha, Domini Johannis Zeuchæi *de Codner* filia. Reverſum magna popularium gratulatio excepit.

Ante finem Autumni, Kildarius in Ultoniam profectus, ibi Belfaſtum caſtrum vi cepit diruitque. Deinde opidum *Knock-fergus* aliàs *Carig-fergus* ſive Ferguſii rupem ingreſſus, in caſtro ibidem, ad loci ſecuritatem, Stantonum quendam Præfectum, ſive *Conſtabularium* locavit. Hiſque rebus ita ordinatis, domum rediit.

Dum hæc in Ultonia aguntur, Theobaldus de

de Burgo Dynaſta *Muskriæ-cuirc* in Momonia, à Donato O-Carollo & Cornelio O-Duiro, in quadam (ni fallor) velitatione, interfectus eſt. In Conatia verò, circa idem tempus, Ulickus Bourkus ſive de Burgo Malachiam O-Kellæum, à quibuſdam è familia Bourkorum adjutum, profligavit.

Februarii inſequentis die 18, Henricus Dux Eboracenſis, mortuo (ut ſuprà retulimus) Arthuro fratre, creatus eſt, pro more uſitato, Walliæ Princeps & Ceſtriæ Comes. Decimo poſt die Geraldus comitis Kildariæ filius factus eſt ſummus Hiberniæ *Theſaurarius* (ut nunc loquimur) malim dicere Quæſtor; eodemque die ſacramentum præſtitit Dublinii, coram Deputato & Senatu Regio, de munere eo benè & fideliter adminiſtrando.

Fatis conceſſit, hoc anno, in autumno, Alexander Plunketus Eques auratus, Hiberniæ tum nuper Cancellarius, vir magni nominis. Eum & eodem anno ſecutus eſt David *Creagh* Archiepiſcopus Caſſelienſis, Theologus & Juris utriuſque peritus, qui mortem obiit Septembris 5, cùm Archiepiſcopus præfuiſſet annos circiter 20, eique ſucceſſit Richardus quidam. Davide ſedente, Kildarius (quod omittendum non putavi) neſcio unde ei offenſus, Eccleſiam cathedralem S. Patricii Caſſeliæ incendio deformavit. Hac de re, Archiepiſcopus, anno 1496, apud Regem Henricum, graviter conqueſtus eſt: Sed nihil (quòd mirũ) profecit, etiam licèt Comes ipſe, lite corã Rege & Concilio pendente, factum apertè faſſus eſſet, necnon (quod crimen aggravabat) de cauſâ tanti facinoris interrogatus, illud ſe nun-

quà n

quàm perpetrâſſe reſpondiſſet, niſi Archiepiſcopum intra Eccleſiam tunc fuiſſe putâſſet. In hoc certamine, ſuccubuit ita Archiepiſcopus, qui cùm fruſtrà ſe ſudâſſe comperiſſet, alto corde dolorem premens, in patriam reverſus eſt, ubi hoc anno vitam cum morte commutavit. Interim Kildarius, à Rege in gratiam receptus, & cum honore (ſicut anteà retulimus) in Hiberniam remiſſus, publica negotia, magnâ fide & ſolertiâ adminiſtravit: multis interim vicem Archiepiſcopi, non ſine cauſa dolentibus. Quid poſteà Kildarius fecerit, ad injuriam hanc reſarciendam non comperi: Veriſimile eſt eum qui Eccleſiæ cathedrali S. Trinitatis Dublinii, præter capas chorales magni pretii, & alia ornamenta, villam etiam quæ *Magna Caparaw* dicitur, contulerat, (hæc ſi vera, quæ ſanè vulgò feruntur) pœnitentiâ ductum, in Eccleſia Caſſelienſi reficienda, quam ipſe incenderat, pecuniam etiam impendiſſe. Sed redeamus.

Hoc etiam anno, obiit Laurentius Nevillus Epiſcopus Fernenſis, vir nobili ortus familiâ, in agro Wexfordienſi, cùm annos præfuiſſet plùs minùs 23, cui ſucceſſit Edmundus Comerfordus Decanus Kilkennienſis, qui anno ſequenti Kilkenniæ, in Eccleſia cathedrali S. Canici conſecratus eſt. Interim 5 Idus Aprilis 1503, mortem obiit Dom. Robertus Preſtonus primus vicecomes Gormanſtonius, cujus in præcedentibus plurima mentio. Hanc ille dignitatem filio Gulielmo reliquit. Hoc denique anno Decembris II, Philippus Pinſonus Minorita Anglus, S. Theologiæ Profeſſor ad Archiepiſcopatum Tuamenſem, Rege Henrico VII rogante, Romæ promotus, ibi triduo

pòſt,

pòſt, ex peſte obiit, ut ex literis Hadriani de Caſtello Cardinalis S. Chryſogoni, ad dictum Henricum, datis 4 inſequentis Januarii (quæ extant in Bibliotheca Cottoniana) intelligimus. Ex iiſdem literis conſtat etiam Pinſonum, ante promotionem ad Archiepiſcopatum, ſuffraganeum fuiſſe ipſius Hadriani, tunc Herefordienſis, poſteà Bathonienſis & Wellenſis in Anglia Epiſcopi. Vacavit deinde ſedes Tuamenſis per duos annos & ſex menſes.

Anno Christi MDIV.

FOedus inierunt, circa hoc tempus, Ulickus de Burgo Clan-Richardi Dynaſta, vulgò dictus *Mac-William* & alii nonnulli ejuſdem familiæ, cum Tirlacho O-Brien Tuomoniæ Dynaſta, Mælronio O-Carroll, aliiſque è primariis viris *Legh-Moæ*: ſic auſtralem Hiberniæ medietatem olim appellabant. De particulari eorum machinatione, non poſſum aliquid pro certo affirmare. Ut ut res fuerit, Kildarius, de eorum conſiliis certior factus, copiis contractis, ſub initium Auguſti, ſigna contra eos movit. Ei ſe adjunxerunt multi nobiles Lageniæ, ex Anglica ſtirpe, videlicet, Vicecomes Gormanſtonius, & Barones, Slanius, Delvinius, Killenius, Houthius, Trimletſtonius & Donſanius. Item Johannes Blakæus Prætor (ſive Major) Dubliniensis, cum armata ci-

vitatis

vitatis manu: Opidani prætereà Pontanenſes, necnon O-Donellus, O-Relius, Guilielmus Ferallus Epiſcopus Ardachadenſis, Annaliæ aliquando Dynaſta, etiam poſt infulas ſuſceptas; & alii nonnulli ex potentioribus *Legh-conæ* ſive *Legh-cunæ*; ſic medietatem Hiberniæ ſeptentrionalem appellabant, cum copiis ſuis auxiliaribus. *Mac-William* è contra, ſuum etiam exercitum, numeroſum ſanè, convocavit. Ejus copiis Kildarius obviam factus eſt, Auguſti 19, in loco dicto *Knock-to*, aliàs *Knock-tua*, ſive colle ſecurium, paucis milliaribus à Galvia diſtante. Pugnatum eſt per aliquot horas, utrínque acriter, dubio Marte: Sed Kildario demùm ceſſit victoria, hoſtibus in fugam converſis. In prælio & fuga, ex parte Ulicki de Burgo, plùs minùs quatuor millia hominum ceciderunt. Longè majorem numerum tunc temporis interiiſſe, videlicet 9000, refert Liber Houthenſis: ſed falsò proculdubio. In eodem prælio, multi etiam capti ſunt, inter quos fuerunt duo Ulicki filii. Ex parte Deputati, aliqui deſiderati, atqui numerus eorum incertus. Mirum eſt & vix credibile quod in libro albo Fiſci (quem *Scaccarium* appellamus) Dublinii annotatum fuit, in eo tam atroci prælio, *nullum Anglicum* (ex parte Kildarii, nam ita intelligo) *fuiſſe læſum*. Autographum anno Dom. MDCX, caſu combuſtum eſt, Sed penes me ſunt Notæ quædam hiſtoricæ ex eo olim excerptæ. Victores (ut pergamus) cùm regionem adjacentem vaſtâſſent, & Galviam ac Athenriam deditione cepiſſent, cum prædis opimis

domum

domum redierunt. Deputatus captivos ſecum duxit prædictosUlicki filios,&ut nonnulli tradunt duas etiam illius filias: Sed Ulickus ipſe fugâ evaſit. Is quidem vir fuit magni inter ſuos nominis, bello ſtrenuus, conſilióque non poſtremus, licèt in hoc prælio, pro Martis aleâ, ſuperatus. Stemma duxit à Guilielmo Aldelmi filio, Henrici Secundi Regis Angliæ Dapifero, & Hiberniæ ſub eo, ad tempus, Gubernatore. Kildarius poſt reditum, 30 vini *tonnas*, ſive dolia 120, benè merentibus diſtribuit. Neque deſunt qui dicant (quàm verè neſcio) totum hoc negotium initium ſumpſiſſe ex ſimultate quadam inter Kildarium & Ulickum oborta, quæ tandem in apertum illud bellum erupit. Menſe Julio, Kildarius (uti tradunt nonnulli) in honoratiſſimum Equitum *Garterii* ſive Periſcelidis ordinem adſcitus eſt. Alii verò honorem illum egregiæ fortitudinis præmium, paulò ſeriùs, nimirum poſt reditum, obtinuiſſe ferunt.

Brevi poſteà Walterus Fitz-Simon Archiepiſcopus Dublinienſis, à Kildario & Concilio Regio, in Angliam miſſus eſt, ad Regem, de his & aliis publicis rebus, informandum. Houthæ is navem conſcendit Septembris 20, Cruce ſuâ, pro more, Richardo Skereto Priori Eccleſiæ cathedralis S. Trinitatis Dublinii, tanquàm Cuſtodi nato priùs traditâ. Die ſequenti, vento uſus ſecundo, in Angliam appulit; & ad Aulam Regis, paucis poſt diebus, perveniens, ibi munus ſibi demandatum, adeò ſolerter, eáque prudentiâ exequutus eſt, ut Rex ſummo eum habuerit in pretio, & haud ita diu pòſt, cum gratiis & literis

literis voluntatem ejus experimentibus ; in patriam remiſerit.

Interim egit Henricus cum Julio 2 Papa, de Henrico VI, ultimo ante ipſum, familiæ Lancaſtrienſis Rege, in Sanctorum numerũ referendo. Atque hanc rem ut promoveret, libellum de virtutibus & miraculis ejus conſcribẽdum curavit, qui etiamnũ typis excuſus extat. Papa hujus negotii examen, Cantuarienſi Archiepiſcopo ; necnon Epiſcopis Londinenſi, Wintonienſi & Dunelmenſi, per Bullam commiſit, quam integram (typis quod ſciam antehac non editam) Lectori viſum eſt exhibere, ex autographo quod etiamnum extat Weſtmonaſterii in Bibliotheca inſtructiſſima V. CL. Dom. Thomæ Cottoni Baronetti, ſub effigie Cleopatræ, E. 3.

Julius Epiſcopus ſervus ſervorum Dei, Venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Cantuarienſi, & Winton. Dunelmen. & Londinenſi Epiſcopis, Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Divinæ providentiæ Altitudo, nullis clauſa limitibus, nulliſq; finibus terminata, cujus potentia inſcrutabilis & viæ inveſtigabiles ſunt, ad corroborationem & exaltationem catholicæ fidei, præter quam nullum aliud ad ſalutem, fundamentum poni poteſt, & ut ſecundũ Prophetam in ſuis ſanctis collaudetur, nonnullos ex hominibus quos ad ſui ſimilitudinem formavit ; ſuæ gratiæ infuſione clarius illuſtrat & benedictionibus ſuis ſpecialibus prævenit & exornat, ut & in illis gratiæ ſuæ radiis, ſingulari quadam prærogativa virtutum & meritorum uberius circumfulctis, ſuæ Majeſtatis potentiam oſtendat, & per lumen fidei quam in eis firmiter roboravit, ejus benignitate cognita, ad ipſius laudem & magnificentiam

fideles

fideles ferventiùs inducantur, & Sanctorum in quibus benedicitur & laudatur precibus & meritis, ad æternæ & incorruptibilis manſionis gloriam, feliciter perducantur. Sane ex literis cariſſimi in Chriſto filii noſtri Henrici VII Angliæ Regis illuſtris, ac etiam fama quadam non vulgari intelleximus claræ memoriæ Henricum VI Angliæ regem, dum in hoc mundo ageret, vitæ ſanctimonia, moribus probatis, ferventi in proximos caritate, & omni virtutis & ſanctitatis genere claruiſſe, ac jejuniis & miſericordiæ operibus aſſiduè vacaviſſe, & duo magna & inſignia Collegia, pro ſuſtentatione pauperum ſcholarium ad honorem omnipotentis Dei & ejus glorioſiſſimæ genetricis Beatæ Mariæ Virginis, in dicto regno erexiſſe, fundâſſe & dotâſſe, & tam eo vivente, quàm poſt ejus mortem, Dominum illius meritis & interceſſionibus multa & evidentiſſima miracula demonſtrâſſe & quotidiè demonſtrare. Nam cùm ad ejus ſepulchrum, debita cum devotione accedunt cæci videre, ſurdi audire, claudi ambulare, & quocùnque infirmitatis genere oppreſſi, ipſo Henrico VI quondam Rege intercedente, & Altiſſimo operante, ſanitatem recipere dicuntur. Cujus rei fama non ſolùm per totum dictum regnum, ſed etiam per alia loca vicina, mirificè divulgata, diverſarum Regionum populi ad illum frequens concurſus & ſingularis devotio habetur & continuè magis augetur, adeò ut totius populi illarum partium firma ſit opinio ut dictus quondam Henricus Rex Cathologo Sanctorum mereatur aſcribi. Quare præfatus Henricus Rex modernus nobis humiliter ſupplicari fecit, ut aliquibus Prælatis illarum partium qui de vita & meritis ac miraculis aliiſque ſupradictis diligenter & prudenter inquirant

rant & nobis per ſuas literas ſuper his quæ invenerint relationem fidelem facerent committere, ac alias ad effectum Canonizationis dicti quondã Henrici Regis in præmiſſis opportunè providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur etſi dicti Henrici moderni Regis deſideriis annuere cupiamus, attendentes tamen hujus rei divinum judicium potiùs quàm humanum exiſtere, & propterea pro tanti negotii magnitudine, in illo maturè, graviter & accuratè procedere intendentes, ipſius Henrici moderni Regis in hac parte ſupplicationibus inclinati, veſtigiis etiam felicis recordationis Innocentii VIII & Alexandri VI Romanorum Pontificum prædeceſſorum noſtrorum, qui ſimiliter Commiſſionem fecerunt inhærentes, fraternitati veſtræ, de qua in his & aliis magnis & arduis fiduciam gerimus in Domino ſpecialem, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus vos, vel tres aut duo veſtrum, de vita, moribus, ſanctimonia, caritate, devotione erga Deum, & piis operibus dicti quondam Henrici Regis, necnon miraculis, tam in vita, quam poſt mortem, aliiſque conſimilibus quæ circa pondus tanti negotii requiruntur, diligenter, ſolerter, prudenter, accuratè, cautè, & maturè in quocunque ſeu quibuſcunque loco aut locis, de quo vel quibus vobis magis expediens viſum fuerit, ad præmiſſa cognoſcenda, auctoritate noſtrâ inquiratis, teſtes legitimos recipiatis, & præſtito priùs per eos juramento, diligenter examinare curetis, de loco, tempore, menſe, die, nominibus, cognominibus, cauſa ſcientiæ, aliiſque circumſtantiis, in talibus neceſſariis & requiſitis fideliter inquirentes, Inſtrumenta etiam publica & alias ſcri-

pturas,

pturas, univerſáque alia probationum genera, ad hujuſmodi negotium facientia videatis, & diligenter examinetis, & perſonas apud quas fuerint, ad illa vobis exhibenda, per cenſuram Eccleſiaſticam & alia juris remedia, appellatione remotâ compellatis. Et *quicquid in præmiſſis inveneritis, ſub teſtimonio literarum veſtrarum clauſarum, & veſtris ſigillis munitarum, per fidelem nuntium, ad nos & ſedem Apoſtolicam tranſmittere curetis, ut nos illis viſis, & diligenter examinatis, & cum venerabilibus fratribus noſtris communicatis, in hujuſmodi negotio, prout illius magnitudo requirit, concedente Domino, ad ejus laudem & gloriam, ac Orthodoxæ fidei exaltationem, ad ulteriora & magis ſpecialia, ſi nobis & eiſdem fratribus viſum fuerit, procedere valeamus. Dat. Romæ, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo quingenteſimo quarto, Tertiodecimo Kalend. Junii, Pontificatus noſtri anno Primo.* Hactenùs ipſa Bulla.

Cæterùm res tota ſub ea Commiſſione quaſi ſenſim ſilentio expiravit. Ad Henricum ſextum ipſum quod attinet, ut ob pietatem & Chriſtianam patientiam, vulgò habitus eſt vir ſanctiſſimus, ita ob inertiam, à nonnullis, inter peſſimos Reges numeratus, ut qui Galliam à patre ſubactam turpiter amiſit, ac poſteà deinde Angliæ etiam regno excidit. Non omittendum hîc (quod traditum reperi) Henricum Sextum, dum manus aliquando lavaret, Bello in Anglia inteſtino exardeſcente, prædixiſſe Henricum noſtrum tunc puerum

 aſtantem

aſtantem regni gubernacula tandem ſuſcepturum, cúmque paulò poſteà in partes transmarinas clanculùm miſiſſe, ut procellam imminentem faciliùs evaderet. Ex Prædictionis hujus & cæterarum ſanctarum Henrici Sexti virtutum admiratione, Henricum V I I poſteà inductum ferunt ad Apotheoſim prædictam promovendam, licèt ſine fructu ſperato.

Peſtis hoc anno multos ferè ubique abſumpſit, ſed præcipuè in Ultonia, interque cæteros, Patricium Conallium Abbatem *de Cluanois*, tum nuper à Roma reverſum, ubi deſignatus fuerat Epiſcopus Clochorenſis, per reſignationem Nehemiæ *Clonin* ordinis Eremitarum S. Auguſtini, qui Auguſti 29, anno ſuperiore reſignâſſe dicitur, ad jam dicti Conallii inſtantiam, reſervatâ ducatorúm aliquot penſiunculâ, de Camera, quàm diù viveret, ſibi annuatim ſolvenda. Vacabat deinde ſedes Clochorenſis ad annum uſque M D V I I I, quandò Eugenius Mac Camæil Decanus Clochorenſis ad eam conſecratus eſt ab Octaviano Archiepiſcopo Armachano, aſſiſtentibus Thoma Kilmorenſi & Tiberio Dunenſi & Connerenſi Epiſcopis. Interirò, menſe Julio hujus anni 1504, Synodus Provincialis quam Pontanæ indixerat Octavianus Armachanus, peſtis metu, quæ ibidem multùm graſſabatur, ad Eccleſiam B. Mariæ Virginis de Atrio Dei, apud Louthenſes tranſlata eſt, ibique (quantùm auguror) derepentè, contagionis etiam metu, ſoluta.

Ad

Ad tempora jam pervenimus magìs pacata quidem, ſed inſignibus rebus geſtis, variiſque caſibus, non æquè memorabilia ac priora: Nam Pax, aurea Pax Hiſtoricis non tam uberem plerúmque ſcribendi materiam præbet, ut Bellona ſolet: verùm (quod longè glorioſius eſt) Regna, civilitate, opibus, bonis literis & legum ſalutarium fructibus, beat adornátque;

——————*Pax una triumphis*
Innumeris potior.

Sed nunquam optatior, quàm poſt Belli calamitates.

Obſervat Volaterranus Geographiæ ſuæ lib. 3, (quod hîc non reticendum) obortâ his diebus quæſtione de potiore loco in ſedendo, *inter Oratores Henrici noſtri VII. & Hiſpaniæ regis*, Julium II Pontificem, locum Anglis adjudicâſſe honoratiorem. Neque novum tamen fuit hoc privilegium: Siquidem in Conciliis generalibus, Piſano, Conſtantienſi & aliis, Reges Angliæ eundem locum pacificè tenuerunt. Tranſeamus jam tandem ad annum ſequentem.

Anno Christi MDV.

NOndum extinčta peſtis (de qua ſuprà diximus) hoc etiam anno Hiberniam graviter afflixit: quam continuis in æſtate & autumno pluviis, magna ſubſequuta eſt annonæ caritas. Idem annus ſupremus erat Johanni Alleno Decano Eccleſiæ S. Patricii Dublinii; viro docto & admodùm humano, qui Dublinii ultimum diem clauſit Januarii 2 (ſtylo Anglicano) 1505, cùm Decanus extitiſſet annos circiter 40, à morte nempe Philippi Norriſii S. Theologiæ Doctoris, ultimi ejus prædeceſſoris, & ibidem in navi dictæ S. Patricii ædis, cui Eccleſiæ multa contulerat, ſepultus eſt. Ptochotrophium is paulò ante obitum, pauperibus & infirmis extruxit Dublinii, in vico S. Coëmgeni, vulgò Kevini, eligendis præcipuè ex Allenis, Barretis, Beggis, Hillis, Dillonis & Rodieris, quibus prædia aſſignavit unde alerentur. Ptochotrophii fundum dedit Walterus Fitz-Simon Archiepiſcopus Dublinienſis 8 Junii 1504. Ante Allenum, Patricius O-Fihely ord. Minorum de Obſervantia, magnâ doctrinæ, famâ,

famâ, deceſſit, & in cœnobio ſui ordinis *de Temolagi*, apud Corcagienſes, ſepultus eſt.

ANNO CHRISTI

MDVI.

HOc anno magna pars Trimmæ (Opidum eſt primarium agri Midenſis) de cœlo tacta deflagrâſſe fertur. Menſe Auguſto, Cometes effulſit, ſed paucis diebus poſteà intercidit. Martii VI, debitum naturæ perſolvit Johannes Paynus S. Theologiæ Doctor, ordinis fratrum Prædicatorum, Epiſcopus Midenſis, cùm annos ſediſſet pluſquàm 23, conſtitutus interim ad tempus Rotulorum Præfectus, ſive (ut vulgò loquimur) Magiſter: Homo ob eleemoſynas & menſam hoſpitalem celebratus. Is à Sixto IV Epiſcopus renunciatus Midenſis, inthroniſatus dicitur *per Clerum Midenſem, in Eccleſia S. Patricii de Trim, in feſto S. Dominici* (4 nempe Auguſti) 1483, uti à Georgio Coglæo, Notario publico & Curiæ Midenſis *Regiſtrario*, annotatum eſt. Sepultum ferunt Dublinii, in cœnobio ſui ordinis. Veruntamen, ſepulchrum marmoreum æreis laminis olim ornatum ſibi & ſucceſſoribus ſuis, in Eccleſia S. Patricii

 Dublinii,

Dublinii, non procul à porta occidentali, ſtatuit, id quod rude Epitaphium, claudicante rhythmo, ibi inſcriptum etiamnum docet. Eodem anno Junii 26 (uti tradit Lucas Waddingus, ex Libris Conſiſtorialibus) ad Archiepiſcopatum Tuamenſem promotus eſt Mauritius à Portu, al. O-Fihely, Minorita, vir literis egregiè excultus. De quo ſuprà diximus: ſed pleniùs in libro noſtro de Scriptoribus Hiberniæ.

ANNO CHRISTI MDVII.

CIrca hos dies, Henricus rex podagrâ laborare cœpit, deinde catarrhi in pulmones defluxione, unde, poſt annum unum vel alterum, phthiſi abſumptus eſt. Interim verò mortem ſuam appropinquare ſentiens, ad eam ſe diſponere cœpit. Egenis itaque quamplurimas largitus eſt Eleemoſynas, atque multam pecuniam in alios pios uſus erogavit, paulóque ante obitum, in teſtamento ſuo juſſit, ut ſi quid Fiſcus ſuus injuſtè cuiquam diripuiſſet, id injuriâ affecto redderetur. Cæterùm exitus probavit longè tutius eſſe quemque ſuis oculis & manibus talia committere, quàm alienis, poſt mortem. Hoc anno Guilielmus

Rokeby

Rokeby Juris Canonici Doctor, patriâ Eboracenſis conſecratus eſt Epiſcopus Midenſis, & paulò pòſt, in numerum eorum aſcitus, qui Principi erant ab arcanis in Hiberniâ conſiliis. Is Dublinium poſteà tranſlatus (poſt mortem nimirùm Walteri *Fitz-Simon* Archiepiſcopi Dublinienſis, qui Finglaſſæ obiit, ad ſecundum à Dublinio lapidem, 14 Maii MDXI) Synodum provincialem celebravit anno MDXVIII, cujus Canones extant in libro rubro Epiſcopi Oſſorienſis. Sed hoc obiter.

Anno Christi
MDVIII.

MEenſe Octobri, Kildarius, impetratâ licentiâ Regiâ, Parlamentum Dublinii indixit, in quo conceſſum eſt Subſidium tam ab Eccleſiaſticis quàm à Laicis. Cæterùm de aliis Legibus in eo ſancitis, nihil extat, præter conſuetas illas, de Privilegiis & libertatibus Eccleſiæ & *Terræ* Hiberniæ confirmandis. Subſidium illud ſive Tributum agris duntaxat imponebatur, idque juxta ratam portionem 13 ſolidorum & 4 denariorum ex 120 jugeribus occupatis & cultis. Illæ enim taxationes non niſi ex Ordinum conſenſu, in Parlamento congregatorum irrogabantur: neque ſemper terris ſolùm imponebantur, ſed quandòque etiam, vel pro ratione agrorum,

vel bonorum, præſertim poſterioribus temporibus, ſecundùm regulas & cautiones in ſingulis Statutis præſcriptas. Abſtulit hic annus Walterum Blakæum Epiſcopum Clonenſem ſive Clonmacnoiſenſem, cùm ſedi illi præfuiſſet annos pluſquàm 20. Item, Thomam Congalanum Epiſcopum Elphinenſem, virum ob prudentiam & erga egenos liberalitatem celebratum, Item, Johannem *Orum* Abbatem XXXV cœnobii B. Mariæ Virginis juxta Dublin. qui deceſſit 5 Idus Decembris, & in Eccleſia cœnobii ſui, prope Richardum Graceum, quondam *Recluſum*, ſepultus eſt. Succeſſit ei Richardus *Beg*, ſive Parvus, qui ſuperſtes fuit vix 2 annos & 6 menſes.

ANNO

Anno Christi MDIX.

REſtat jam pars tantum poſterior anni ultimi Henrici VII. Circa quod tempus, Kildarius, ſuaſu quorundam è familiâ O-Nealorum, copiis collectis, Dublinio in Tironiam profectus eſt, ad recuperanda caſtra de *Donganon* & *Omey* : Atqui Donganonio ante adventum dedito, ultrà movit, & Omium caſtrum expugnavit, quod tamen poſtquàm Arthurum Coni filium, ibi captivum detentum libertati reſtituiſſet, diruit proſternavitque. Atque ita Kildarium vidimus, ut in initio, ſic in fine regni Henrici, Hiberniæ Deputatum, qui licèt magnis diù difficultatibus conflictatus fuerit, poſteriora tamen tempora, magnâ animi tranquillitate, rebus ſemper ferè ad vota fluentibus tranſegit. Ecce verò rerum humanarum fragilitatem: Is, paulò ante obitum, expeditionem contra O-Carollum ſuſceperat, ſed Athiæ in ipſo itinere; (quaſi in medio curſu) in ægritudinem incidit, & Kildariam diſcedens ibi poſt paucos dies, 3 nempe Nonas Septembris MDXIII, extinctus eſt. Cadaver Dubliniuni deportatum, in Eccleſia cathedrali S. Trinitatis, juxta ſacellum à

ſe

ſe conſtructum, à boreali parte ſummi altaris, tumulatum eſt. Hoc obiter. Erat is vir magnanimus, procerus, formâ decenti, & ob crebras victorias illuſtris, rigidus tamen & præferox. Anglorum confinia quædam (quod hîc etiam non prætermittendum) caſtris firmavit, unde tutelam iis & ſecuritatem præſtitit. Hujus anni ſub initium obiit Ulickus de Burgo (qui & Mac-William dictus) Clan-Richardi Dynaſta, cujus in præcedentibus nonnulla mentio, & Athenriæ ſepultus eſt, in Eccleſia cœnobii fratrum Prædicatorum. Sed nobiles jam relinquamus, de Rege, Nobilitatis fonte, dicturi. Ad finem nunc pervenimus regni Henrici VII, qui Aprilis XXII, in Palatio ſuo Richmondiæ, quod ipſe de novo conſtruxerat, ex hac vita migravit, ætatis anno LIII, regni XXIV. Corpus ejus XI inſequentis Maii, more Regio, Weſtmonaſterii, in medio nempe Sacelli, eximii operis, (*Orbis Miraculum* vocat Lelandus) quod ipſe ad ortum Eccleſiæ S. Petri, 14000 librarum Anglicarum ſumptu, à fundamentis excitaverat, ſepultum eſt: ubi Teſtamenti executores Mauſoleum ſplendidiſſimum ex ære ſolido deaurato, ſtatuis ejus & uxoris adornatum, poſteà extruxerunt. Princeps is fuit fortis & felix, prudens etiam & in rebus ſui temporis turbidis ſedandis admirandæ dexteritatis: porrò frugi, *quo verbo* (ut Cicero de Dejotaro) *ſcio laudari Reges non ſolere*, & per aliquot ante obitum annos (ne quid lectorem celemus) ob mulctas Legum pœnalium ejus authoritate exactas, populo videbatur gravis. Inter delatores,

præcipui

præcipui fuerunt Richardus Empſonus & Edmundus Dudleyus, uterque Juris Anglici conſultus, qui ſub initium Henrici VIII, ad mortem damnati, plebis furori victima facti ſunt, ſecuri percuſſi. Cætera, de Henrico, ſuis verbis, pro me narrabit Polydorus Virgilius, Archidiaconus Wellenſis, & Hadriani de Caſtello Cardinalis ac Epiſcopi Bathonienſis & Wellenſis in Angliâ ſubcollector: *Corpore fuit gracili, ſed benè firmo ac valido: Staturâ quæ parùm juſtam excederet, formâ eximiâ, vultu, præſertim in ſermone hilari, oculis glaucis, dentibus raris, capillo etiam raro, ingenio magno ſagacique, & à literis non alieno, animo excellenti atque forti, in ſummis quoque periculis, & naturæ ipſius habitu, propè divino. Res conſultò graviterque gerebat, quò ſuæ prudentiæ opinio per hominum animos faciliùs pervaderet.* Tum paucis interjectis: *Erat præterea moderatus, honeſtus, frugi & benignus, & adeò ſuperbiæ atque arrogantiæ abhorrens, ut in ejuſmodi vitiis notatos, durus ac aſper eſſet.* Pergo. Nuptiis inter eum & Elizabetham filiam & hæredem Edwardi IV regis feliciter confectis, titulus ille diù diſceptatus, inter familias Eboraci & Lancaſtriæ, terminatus eſt, atque conjunctæ fuerunt Roſæ, Alba, inſigne Domus Eboracenſis, & Rubra, Lancaſtrienſis: De quibus Bernardus Andreas, Tholoſas, ejus temporis Poëta:

Ecce nunc omnes poſuere venti
Murmures, præter Zephyrum tepentem:
Hic Roſas nutrit, nitidóſque flores
Veris amœni.

Quando ſeu longus tenuit colonos
Imber, & nubes reſoluta fluxit,
Et diù pendens aratrum reliquit
Triſtis arator.

Et non ita diù poſteà, D. Thomas Morus:

Purpureæ vicina fuit Roſa candida, utramque
Utraque dum certant ſit prior utra, premit.
Utraque ſed florem Roſa jam coaleſcit in unum,
Quoque poteſt uno lis cadit illa modo.
Nunc Roſa ſe pandit, nunc ſe explicat una, ſed omnes
Una habet hæc dotes, quas habuere duæ.
Scilicèt huic uni ſpecies, odor, atque voluptas,
Et color & virtus eſt utriúſque Roſæ:
Alterutram ergò Roſam, vel ſolam quiſquis amavit,
Hanc in qua nunc eſt quicquid amavit amet.
At qui tam ferus eſt, ut non amet, ille timebit:
Nempe etiam ſpinas flos habet iſte ſuas.

Atque

Atque ita tandem Pax firma , à majoribus noſtris toties exoptata coaluit , finemque impoſuit Bello illi inteſtino & funeſto, quod Angliam , plurimos per annos , graviſſimè afflixerat : adeò ut inimici Henrici Statum regni perturbare fruſtrà poſteà niterentur , ut ex præcedentibus ſatis liquet. Illi ſucceſſit filius Henricus , ejus nominis, in Regum ſerie, Octavus, vix XVIII annorum adoleſcens , qui regnavit poſteà annos 37. menſes 9. diéſque 6. túmque deliciis potiùs , quàm annis , aut laboribus confectus , obiit.

F I N I S.

BIBLIOTHÈQUE DE LA VILLE
LYON
1895